Wenzel
FP

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

NEGYEDIK OSZTÁLY.

DIPLOMÁCZIAI EMLÉKEK

AZ ANJOU-KORBÓL III.

Ára 4 frt.

BUDAPEST, 1876.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

KÖNYVKIADÓ HIVATALÁBAN.

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADÉMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGÁNAK KIADÁSAI.

Kaphatók saját könyvkiadóhivatalában (Akadémia épületében) és minden könyvárusnál.

ARCHIVUM RÁKÓCZIÁNUM. II. Rákóczy Ferencz Levéltára, bel- és külföldi irattárakból bővítve. I. Oszt. Had- és belügy, szerkeszti *Thaly Kálmán*. I. köt. Rákóczy Ferencz fejedelem Levelezőkönyvei, levéltárának egykorú lajstromaival 1703—6, XXVIII és 688 l. — II. 1707—9, XXVIII és 656 l. — III. 1710—12. X és 747 l. Pest 1873—4. Mindenik kötet ára 3 frt. — IV. kötet. Gróf Bercsényi Miklós levelei Rákóczy fejedelemhez. I. köt. 1704—1712. Közli Thaly K. 1875. XII és 763. lap. Egy utóirati táblával. Ára 3 frt 40 kr.

— — II. Oszt. Diplomatia I. II. köt. Angol diplomatiai iratok, angol levéltárakból közli *Simonyi Ernő*. Pest 1871—76, 639, 642 l. Egy kötet ára 2 frt.

TÖRÖK-MAGYARKORI TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. Első osztály. I. II. köt. Okmánytár a Hódoltság történetéhez Magyarországon Szilády Áron és Szilágyi Sándortól. I. II. köt. 1863. XXX és 458 és 480 l. 2 frt.

— — — III.—IX. köt. 1868—73. Török-magyar-kori Állam-Okmánytár szerk. és jegyzetekkel ellátták, Szilády Áron és Szilágyi Sándor.

— — — A kilencz kötet együtt megrendelve 15 frt.

— — — Név- és Tárgymutató a Török-Magyarkori Államokmánytár I.—VII. k. 1868—73. mindenik kötet 2 frt.

MAGYAR TÖRTÉNELMI TÁR. A történelmi kútfők ismeretének előmozdítására. Szerkeszti *Toldy Ferencz* I—XXI kötet. 1856—1875. 4-rét. Ára a 21 kötetnek, együttvéve 16 frt. Egyenkint egy-egy kötet ára 80 kr., kivévén a XX. és XXI. köt. egyenkint ára 1 frt 60 kr.

MAGYAR LEVELES TÁR. I. köt.: Négyszáz magyar levél 1504—1560. Szalay Ágostontól. XX. és 432 l. kilencz kőirratu hasonmásos táblával 1 frt 20 kr.

FEJÉR GYÖRGY MAGYARORSZÁGI OKMÁNYTÁRÁNAK betűrendű tárgymutatója Czinár Mórtól. XVI és 549 l. 2 frt.

ÉVMUTATÓ *Fejér* György Okmánytárához. Knauz Nándor által. 141 l. 80 kr.

HUNYADIAK KORA MAGYARORSZÁGON Gr. Teleki Józseftől. I.—V., VI. 1 és X.—XII. köt. Mindenik kötet ára 3 frt 50. kr. — (VI. köt. 2. része sajtó alatt.)

MAGYARORSZÁG HELYRAJZI TÖRTÉNETE. Főtekintettel az egyházi intézetekre, vagyis a nevezetesebb városok, helységek, s azokban létezett egyházi intézetek, püspöki-megyék szerint rendezve. Rupp Jakabtól. Első kötet, két darabban. Az esztergomi egyháztartomány a hozzá tartozó püspöki megyékkel együtt. Pest 1870. XVIII és 507 l. 1 frt.

— — Második kötet: Az egri érseki egyháztartomány, a hozzá tartozó püspöki megyékkel együtt. Pest 1872. XIV és 472 l. Ára 80 kr.

— — Harmadik kötet: A [illegible] [illegible] egyesített kalocsai főegyházmegye. 1876. XV. és 575. lap. Ára 1 frt 80 kr.

BUDA-PEST és környékének helyrajzi története, Rupp Jakabtól. Két térképpel. Pest 1868. 408 l. 80 kr.

ACTES ET DOCUMENTS pour servir à l'histoire de l'Alliance de George Rákóczy, Prince de Transylvanie, avec les Français et les Suédois dans la Guerre de Trente ans publiés par A. Szilágyi. 1874. In 8. VI-491. pag. 2 frt 50 kr.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

ACTA EXTERA.

III.

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
TÖRTÉNELMI EMLÉKEK.

KIADJA

A MAGYAR TUDOMÁNYOS AKADEMIA

TÖRTÉNELMI BIZOTTSÁGA.

NEGYEDIK OSZTÁLY.

DIPLOMACZIAI EMLÉKEK. III.

BUDAPEST, 1876.

A M. T. AKADEMIA KÖNYVKIADÓ HIVATALÁBAN.

(Az Akadémia épületében.)

MONUMENTA HUNGARIAE HISTORICA.

MAGYAR
DIPLOMACZIAI EMLÉKEK

AZ ANJOU-KORBÓL.

A M. TUD. AKADEMIA TÖRT. BIZOTTSÁGA MEGBIZÁSÁBÓL

SZERKESZTETTE

WENZEL GUSZTÁV

M. AKAD. RENDES TAG.

HARMADIK KÖTET.

BUDAPEST, 1876.

A M. T. AKADEMIA KÖNYVKIADÓ HIVATALÁBAN.

(Az Akadémia épületében.)

AN

Budapest, 1876. Nyomatott az Athenaeum nyomdájában.

TARTALOM.

MONUMENTA

HUNGARIAE HISTORICA.

ACTA EXTERA.

III.

1.

Erzsébet magyar királyné és Lengyelországban I. Lajos király helytartónőjének Kniprodei Winrich a német rend főmestere, hogy ő Ziemovit mazoviai herczegnek I. Lajos király ellen segitséget nyujtani soha nem szándokolt. 1370. végen.

Humillima recommendatione cum orationibus in Christo devotis premissis. Princeps Serenissima, Domina nostra graciosa. Litteram vestram nobis directam honorifice suscepimus, et sane intelleximus, Vestre Magnificencie significantes, quod de auxilio et subsidio domino Duci Masovie pro invasione Regni Polonie per nos inpenso, ut scribitis, nobis penitus nil constat; et occasione huiusmodi teste Domino erga Vestram Magnificenciam sumus innocenter delati. Bene quidem recognoscimus, quod ante festum Nativitatis Christi proxime elapsum dictus dominus Dux propter diversas causas et negocia inter ipsum et suos, et nos et nostros vertencia in civitate nostra Strasburg quendam terminum celebravit. Vbi inter cetera nobis suas votivas preces obtulit affectuosius supplicando, quatenus sibi XIIII milia florenorum mutuare dignaremur; nam pro eisdem nobis quandam suam Castellaniam dictam Wessna pro vadio seu pignore deliberaverat obligare. Nos vero considerantes, quod licet dicta Castellania esset in vasta solitudine situata, deserta et nullis omnino hominibus locata; quod exinde nullos vel paucissimos assequi fructus valeremus, tamen pro custodiis et municionibus Christianitatis fructuosa et utilis videretur; tandem ipsius domini Ducis peticionibus acquievimus sibi VII milia florenorum mutuantes, dicta Castellania pretextu cause premisse pro pignore acceptata. Post

hec tempore quadragesimali nobis idem dominus Dux suos direxerat ambasiatores auctoritatem suam plenam habentes, qui ipsius Ducis nomine nobis cum istancia supplicarunt, ut ad summam predictam sibi adhuc quandam pecunie summam concedere dignaremur. Et tunc nos iteratis vicibus et litteris obligatoriis perceptis ipsorum auditis votivis precibus sibi II-m sexagenos grossorum Bohemicalium mutuavimus tali condicione, ut dicta II-m sexagenorum grossorum nobis ad proximum Pascha solvere teneretur quavis dilacione cessante; et si non ad terminum prefatum nobis satisfaccionem condignam exhiberet, quod non in Castellania predicta, sed in omnibus aliis suis bonis usque ad refusionem habere deberemus capiendi pignora liberam facultatem. Domina Serenissima, predicta erga prefatum dominum Ducem ob dileccionem et peticiones suas nobis cum instancia oblatas fecimus bona fide' dolo et fraude quibuslibet remotis, propositum suum de invasione Regni vel quavis eiusdem Regni occupacione, quam conaretur facere, penitus ignorantes. Et teste Altissimo, inviti quidquam attemptare vellemus, quod contra Vestram Magnificenciam fore nosceretur, et de quo possemus laqueo suspicionis involvi. Datum Ylavie etc.

(Régi formularis könyvből, a német rendnek königsbergi titkos levéltárában.)

2.

XI. Gergely pápa felkéri I. Lajos magyar és lengyel királyt, hogy azon összegeket, melyekkel elődе III. Kazimir a római széknek adósa maradt, fizesse. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Vngarie et Polonie Regi illustri salutem etc. Cum clare memorie Kazimirus Rex Polonie Camere nostre Apostolice in diversis pecuniarum summis, dum viveret, prout dilectus filius Arnaudus de Caucina, Scolasticus Ecclesie Cracouiensis, Apostolice Sedis Nuncius Excellentie Tue latius exponet, legitime teneretur: Serenitatem Tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et

Apostolice Sedis reverentia de huiusmodi pecuniarum summis prefato Nuncio predicte Camere satisfieri facias; et etiam de quadraginta marcis grossorum Bohemicalium, pro quibus quedam domus eidem Camere efficaciter est obligata, prout per instrumenta publica legitime constare potest, vel saltem domum ipsam iuxta obligationem huiusmodi eidem Nuncio facias dimitti, ipsumque Nuncium sic in premissis et aliis nostris et Romane Ecclesie Matris tue negotiis habeas commendatum, quod ipse Magnificentie Tue fultus presidio commissa sibi dicte Sedis negotia bene peragere valeat, nosque Sinceritatem Tuam dignis in Domino laudibus attollamus. Datum Avinione XVI. kalendas Martii, Pontificatus nostri anno primo.

In eodem modo carissime in Christo filie Elizabeth seniori Vngarie et Polonie Regine.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

3.

XI. Gergely pápa felkéri I. Lajos magyar és lengyel királyt, hogy Adelhaid Lengyelország özvegykirálynénak adja vissza elfoglalt javait. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Vngarie et Polonie Regi illustri, salutem etc. Ad illa te, fili carissime, libenter inducimus ac precibus Exhortamur, que pietatem sapiunt, teque in conspectu Regis eterni reddere valeant gratiosum. Sane nuper pro parte carissime in Christo filie Adelaydis Regine Polonie illustris nobis fuit expositum, quod dudum clare memorie Kazimiro Rege Polonie viam universe carnis ingresso, tu, qui in Regno Polonie successisti, seu nonnulle gentes tue, omnia bona, que eidem Adelaydi in dotalio data fuerant, et eorumdem bonorum possessionem recepisti. Cum autem Regalem Excellentiam non deceat bona ipsa detinere, Eandem Excellenciam rogamus et hortamur in Domino, illam attencius deprecantes, quatinus pro nostra et Apostolice Sedis reverencia, ac pietatis et tui honoris intuitu, bona ipsa, que eidem Adelaydi in dotalio, ut premittitur, fue-

runt assignata, et de quibus per litteras auctenticas super hoc confectas eiusdem Kazimiri Regis, ac quamplurimorum Principum et aliorum nobilium sigillis sigillatas apparere potest, ipsorum bonorum possessionem in pace dimittas, eam bonis ipsis gaudere libere permittendo; ita quod Omnipotentem Dominum tibi constituat propicium, nosque, qui te sincere diligimus, devocionem tuam dignis in Domino laudibus attollamus. Datum Avinione XII. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

4.

XI. Gergely pápa felkéri I. Lajos magyar és lengyel királyt, hogy I. Johanna siciliai királynét országának birtokában háborgattatni ne hagyja. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Gaudemus et letamur in Domino, qui sic personam tuam gracia sue benedictionis perfudit, sicque tibi grandem animum prebuit ad sua beneplacita prosequenda, quod tamquam Princeps Christianissimus eximie devocionis et illustrium meritorum titulis presignitus apud ipsum Deum ac nos et Sedem Apostolicam, gerens reverenciam filialem, Romane Ecclesie iura atque bona Regio favore prosequeris, et quantum in te est, illa molestiis et iniuriis affici non permittis, honorans in hoc eandem Romanam Ecclesiam, in cuius caritatis visceribus locum precipuum obtines inter ceteros Catholicos Principes orbis terre. Cum itaque Regnum Sicilie et terra citra Farum a Romana Ecclesia, prout Magnificencia Tua bene novit, teneatur in feudum a carissima in Christo filia nostra Johanna Regina Sicilie illustri, que eidem Romane Ecclesie contra eius hostes tam in gentibus armigeris, quam in galeis et aliis obsequiis multa servicia impenderit, et propterea eam favoribus gratiosis prosequi velimus, et Regnum suum in pacifico et tranquillo statu teneri, nec immerito, quamplurimum affectemus : Celsitudinem Regiam rogandam attencius duximus et hortandam, quatinus

velut amator Divini Nominis constanter in eius, nostra et Ecclesie benivolencia perseverans, eidem Regine, quam gerimus in visceribus caritatis sicut filiam predilectam, ut Regnum Sicilie predictum in pacifico et tranquillo statu permaneat, pietatis intuitu, ac pro nostra et Apostolice Sedis reverencia favorem tuum prebeas; ac carissimum in Christo filium nostrum Philippum Imperatorem Constantinopolitanum et efficaciter scribendo hortari velit, ut prefatam Reginam tamquam Dominam et sororem suam honorare et revereri, ac eidem obedire debeat, ut tenetur; in premissis taliter te habendo, quod nos, qui te sincere diligimus, ad ea, que tui sunt honoris et commodi, reddas perpetuo proniores. Datum apud Pontem Sorgie Avinionensis Diocesis XII. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

5.

XI. Gergely pápa I. Lajos magyar és lengyel királyt felkéri, hogy Carrara Ferencz paduai és Della Scala Cangrande veronai fejedelmek közt, a békesség fenntartására hasson. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cum temporibus non longe preteritis inter dilectos filios nobiles viros Franciscum de Carraria Militem Paduanum in Paduana, et Canemsegnorium de la Scala, Militem Veronensem in Veronensi Civitatibus Imperiales Vicarios, fuisset discordia suscitata, id nobis considerantibus mala, que ex dicta discordia sequi poterant, presertim cum idem Franciscus sit nobiscum et cum Romana Ecclesia colligatus, erat satis implacidum et infestum; sed postquam inter eos, auctore Deo, extitit concordia reformata, complacentiam exinde recepimus singularem, et optamus, quod inter eos caritas et benivolencia conserventur. Ideoque cum nobis innotuerit, quod prefati nobiles Serenitatis Tue sint precipui servitores, Regiamque Excellenciam venerentur, Tueque Celsitudinis preces apud eos in magno precio et pondere reputentur: Celsitudinem Eamdem rogamus attente, ac in Do-

mino hortamur, quatinus pro nostra et Apostolice Sedis reverencia et pro bono pacis eos ad strictiorem inter se firmandam benevolenciam tuis persuasionibus exhorteris, in quo apud Deum Excellentia prelibata merebitur et nobis admodum complacebit. Datum Avinione VIII. kalendas Junii, Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

6.

XI. Gergely pápa I. Lajos magyar és lengyel királyt felkéri, hogy Siciliának integritását fenntartsa. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Agit nec immerito Mater Ecclesia, dum letanter Tue Magnificencie gesta commemorat, dies festos, iocunditatis et leticie cantica replicat, tui zeli fervorem et strenuitatis merita tam devoti filii, quasi recenter cottidie, delectabiliter recensendo, exultat et iubilat in tuorum felicium commemoratione successuum, per quos ad Deum ac nos et Sedem Apostolicam gerens reverenciam filialem, ipsius Romane Ecclesie iura atque bona Regio favore prosequeris, et quantum in te est, illa molestiis et iniuriis affici non permittis, honorans in hoc eandem Romanam Ecclesiam, in cuius caritatis visceribus locum precipuum obtines inter ceteros Catholicos Principes orbis terre. Sane nuper percepimus, Excellenciam Tuam carissime in Christo filie nostre Johanne Regine Sicilie illustri scripsisse, ut nepti tue, quam carissimo in Christo filio nostro Philippo Imperatori Constantinopolitano in uxorem dedisse diceris, Principatum Salerni, seu Principatum Barensem, vel Montem Sancti Angeli usque ad partes terre Ydronti concederet atque daret. Cum autem, fili precarissime, nuper quam plures ordinationes, prohibiciones, statuta, variosque processus diversas sententias atque penas continentes per nonnullos predecessores nostros Romanos Pontifices, ne terre demanii Regni Sicilie, et terre citra Farum, que a nobis et eadem Romana Ecclesia tenentur in feudum, alienarentur, factas duxerimus confirmandas, ac alias

ordinaciones, prohibiciones et statuta super premissis fecerimus, penas eciam graviores continentes, prefatamque Reginam nostris litteris duxerimus exhortandam, ut omnino precaveat, ne huiusmodi terras demanii alienet quoquomodo, et si que alienate sint, eas absque more dispendio recuperare non tardet; et propterea, ac etiam quia contra pacta iuramentis facta inter eamdem Romanam Ecclesiam et clare memorie Carolum Regem Sicilie illustrem in concessione dicti Regni habita et inita fuerit, dicta Regina aliquem ex dictis Principatibus seu Montem predictum, cum sint de huiusmodi demanio, et esset destruccio dicti Regni Sicilie, quod a nobis et eadem Romana Ecclesia, ut predicimus, tenetur in feudum, prout Tua Serenitas peciit concedere nequeat quoquomodo; et si ipsa etiam hoc vellet, nos in preiudicium eiusdem Romane Ecclesie id nullo modo pateremur. Ideo Serenitatem Tuam nobis caram rogamus, et hortamur in Domino, illam attencius deprecantes, quatinus pro nostra, et Apostolice Sedis reverencia prefatam Reginam, quam suis exigentibus meritis sincere diligimus, in premissis habere velis excusatam, ac ei, prout etiam nuper tibi per alias nostras litteras scripsimus, ut Regnum Sicilie predictum in pacifico et tranquillo statu permaneat, favorem tuum benivolum prebeas; necnon prefatum Imperatorem, ei super hoc efficaciter scribendo hortari velis, ut prefatam Reginam tamquam dominam et sororem suam honoret et revereatur, ac eidem obediat, ut tenetur, nullasque novitates facere seu attemptare presumat; cum nostre intencionis nequaquam existat, prefatum Regnum lacerari, sed prefate Regine pro statu suo et honore ac pacifico et tranquillo statu dicti Regni conservandis spiritualiter et temporaliter favere intendamus contra quoscunque occupantes seu occupare volentes terras demanii, seu statum pacificum et tranquillum dicti Regni turbantes, seu turbare volentes, quacunque prefulgeant dignitate, in premissis taliter te habendo, quod Omnipotentem Dominum tibi constituas propicium, Nosque, qui te sincere diligimns, sinceritatem tuam non immerito commendare possimus. Datum Avinione kalendis Junii, Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

7.

I. Lajos magyar és lengyel király és a bajor herczegek fogadják az ausztriai herczegeknek, hogy a IV. Károly és a bajor herczegek közt Brandenburg iránt kitört háboru alatt, az ö országukat nem fogják bántani. 1371.

Wir Ludwig von gots genaden Kunig ze Vngern, ze Polan, vnd ze Dalmacien etc.; vnd wir Stephan der Jünger von denselben gotz genaden Phalczgraue bey Reyn vnd herczoge in Bayern, tun chunt offennlich mit disem brife, vmb die stözze vnd kriege, die aufgestanden sind czwischen dem allerdurchleuchtigisten fürsten hern Karln Römischen Cheyser, ze allen czeiten Merer decz Reichs, vnd Kunig ze Behem an aynem taile, vnd den hochgebornen fursten hern Stephan dem eltern vnd seinen sünen, vns egenanten Stephan, Friedreichen vnd Johansen Phalczgrauen bey Reyn vnd herczogen in Payern, vnsern lieben vatter vnd brüdern an dem andern taile, von der Marich vnd decz landes wegen ze Brandenburch, dez wir, der vorgenante Kunig, der egenanten herczogen von Payern helffer seyn; daz wir mit den hochgebornen fürsten, vnsern lieben Brüdern hern Albrechten vnd hern Leupolten, Herczogen ze Osterreich, ze Steyer, ze Kernden vnd ze Chrain, vnd herrn auf der windischen Marich, ayner solchen saczung vberayn chomen sein, daz in denselben Leuffen vnd chriegen, die gemerkche der vorgenanten vnserr Lande von Vngern vnd von Payern, vnd aller vnserr helffer Land vnd gemerkch gen den Landen vnd gemerkchen vnserr obgenanten brüder, der Herczogen von Osterreich sicher sein, vnd fridleich gen eynander steen vnd beleiben sullen czwischen hynne vnd dem nahsten chumftigen sand Jörgen tag, vnd von dann ein ganczes Jar; also, daz den vorgenanten vnsern brüdern den Herczogen von den obgenanten vnsern Landen vnd gemerkchen ze Vngern vnd ze Payern, vnd von aller vnserr helffer Landen vnd gemerkchen gen Osterreich,noch andern iren Landen in der egenanten czeit von der obgenanten chriege wegen chein schad noch angriff geschehe in dhaynen weg an geuerde. Doch mugen die egenanten Herczogen von Oster-

reich dem chaiser wol gedienen mit solher bescheidenhait, daz sie auzz iren Landen cziehen gen Behem oder gen Merhern, vnd dieselben vnd andrew Land helffen retten, vnd auch auzz denselben seinen Landen cziehen gen Vngern, gen Payern, oder wohin er ir bedarff, auf vns vnd vnser helffer allenthalben, an allayne auzz iren vorgeschrieben Landen vnd gemerkchen, vnd sullen dannoch dieselben vnserre Land vnd gemerkche geruwet gegen eynander sein, als vor bescheiden ist. Wenn ouch si oder die iren von solhen czügen vnd der hilff wider in ire Land chomen, so sullen wir vnd vnserr helffer awer gen dem vorgenanten herczogen von Osterreich, vnd gegen iren helffern fridleich siczen vnd beleiben, vnd die egenanten czeit freuntlich mit eynander leben an alles geuerde. Vnd sullen auch dieselb czeit, die chauffleutt vnd arbaiter der egenanten Lande aller zu eynander wandeln, chauffmanschafft vnd all ir gewerb vnd arbait treiben fridleich vnd sicherleich, als si daz von alter her bei fridleichen czeiten getan habent an hindernuzz vnd geuerde. Vnd der vorgeschribenn saczung vertrösten vnd versprechen wir, die obgenanten Kunig vnd herczog, für die obgeschriben hern Stephan den eltern, Fridreichen vnd Johansen seine sün vnsere brüder, vnd für all vnser helffer, daz si dieselben saczung mitsampt vns die egenanten czeit stette vnd vnczebrochen behalten; vnd verhaizzen in dez, derselben herczogen von Payern offene brife czwischen hynn vnd Gylgen tag, der nu schürst chumpt, mit iren anhangunden Insigeln besigelt, ze schikchen vnd ze senden. Awer alle die weil vnd wir solhe brife von den herczogen von Payern nicht gewünnen, noch den herczogen von Osterreich geantwort haben : so sol dannoch die obgeschriben saczung bei aller irer chrafft vnd vertröstung beleiben. Vnd ze eynen vrchund der obgenanten saczung geben wir, die offtgenanten Kunig vnd herczog, disen offenn brief mit vnsern anhangunden Insigeln. Der geben ist ze Pressburch dez nahsten Mittichs vor sand Vlreichs tag nach Christs geburd drewczehenhundert Jar vnd darnach in den ayn vnd sibenczigisten Jare.

(Eredetie bőrhártyán a bécsi császári titkos levéltárban.)

8.

I. Lajos magyar és lengyel király biztosítja a nürnbergi és más birodalmi kereskedőket, hogy a kitört háború alatt nem fognak bántalmaztatni. 1371.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. vos vniuersos et singulos mercatores de Neurembergh, et de aliis Ciuitatibus affidantes assecuramus, quatenus noa obstante guerra inter nos et dominos Duces Bauarie fratres nostos karissimos ab vna, parte vero ab altera dominum Imperatorem Romanorum exorta, ad Regnum nostrum et Ciuitates in ipso habitas secure et absque omni formidine et periculo rerum et personarum vestrarum cum omnibus vestris mercimoniis, tociens quociens vobis placuerit veniatis, peractisque in empcionibus et vendicionibus vestris negociacionibus Regno nostro in eodem, redeatis ad propria. Nam commisimus Castellanis de Wyuar et de Berench, et nonnullis aliis fidelibus nostris, vt vos ad Regni nostri medium conduci faciant sub tutamine et proteccione. Datum in Wyssegrad in festo Diuisionis Apostolorum anno Domini M.CCC.LXX. primo.

(Eredetie papiron Münchenben a bajor királyi országos levéltárban.)

9.

IX. Gergely pápa Erzsébet magyar anyakirálynénak a fia I. Lajos magyar és lengyel király és IV. Károly császár közt kötendő békességet ajánlja. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissime in Christo filie Elizabeth seniori Vngarie et Polonie Regine illustri, salutem etc. Operatus est Dominus circa structuram habitaculi mentis tue, ut suorum donorum fieri sacrarium mereretur; ad cuius eminentiam et decorem profunde meditationis aciem extendentes, quanto illud intuitu perspicaciori conspicimus, tanto nostris intellectibus altius se extollit, nosque in eius consideratione plenius delectamur. Ipsius namque fundamentum super fir-

mam petram positum intuemur, quia tuam devocionem ingénuam vere fidei, que in petra, videlicet in Christo consistit, constantia roborasti, parietibus quoque constat eburneis, quia clarus undique candore meritorum in multis gentibus ambulantibus in lumine vultus tui subsistit; insuper sublimium altitudine columpnarum, quia circumamicta dinosceris varietate virtutum, quibus te Syon filiam ex alto Dominus insignivit, tectura nempe huius edificii claritatis tue plenitudo figurat, que Regios perficis actus in bonum, et illos Deo peramabiles obsequiosa tibi sedulitate presentas. Ex hiis profecto filiam satis evidenter ostendis, quod in te Deus clementer infudit timorem sui nominis, et amorem, dum Christi Vicarium et Romanam Ecclesiam Matrem tuam clara devotione prosequeris, Ecclesiasque et personas ecclesiasticas habes semper in honore, earumque iura atque bona protegis et defendis, carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Vngarie et Polonie Regem illustrem, natum tuum, ad id semper efficacibus studiis inducendo. Ideoque Regie Celsitudini condignas gratiarum actiones in Domino referentes, Divinam imploramus clementiam, ut ille, in cuius manu Regalium corda consistunt, et ubi voluerit, pro beneplacito sue voluntatis inclinat, Serenitatem Tuam in hoc ardore fidei, in hac devotione mentis, in hoc integre religionis studio in tempora longiora conservans virtutibus tuis semper adiciat, et ipsas successivis adaugeat incrementis. Porro cum summe nobis cordi sit, prefatum Regem Vngarie natum tuum, et carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem Semper Augustum inter se dissidentes ad bonam concordiam revocare Serenitatem Tuam nobis caram rogandam duximus et hortandam, quatinus pro nostri et Apostolice Sedis reverentia, ac etiam tue salutis, et publice vtilitatis intuitu ipsum Regem Vngarie ad bonam pacem et concordiam cum eodem Imperatore habendam omnibus viis et modis quibus poteris inducas. Datum apud Villamnovam Avinionensis Diocesis VII. idus Septembris Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

10.

XI. Gergely pápának különféle megkeresést tartalmazó levele Vilmos pécsi püspökhez. 1371.

Gregorius Episcopus etc. venerabili fratri Wilhelmo Episcopo Quinqueecclesiensi, salutem etc. In tuis meritis devocionis claritate perspicuis delectati letamur, quod te virum fama predicat multis virtutibus insignitum; letamur in hiis potissime, que nobis de tuis sinceris actibus referuntur, super eo maxime, quod carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Vngarie illustri fideliter et ferventer assistis circa suorum conservationem et sui exaltationem honoris, prout ex commendabili testimonio plurimum certitudinem accepimus veritatis. Sane nuper sinceritatis tue litteras paterna, sicut decuit, affectione recepimus, in quibus inter cetera supplicabas, ut dilectum filium Galvanum de Bononia Decretorum Doctorem, compatrem tuum, haberemus commendatum, quodque te diligere, sicut felicis recordacionis Urbanus papa V. predecessor noster dilexerat, dignaremur. Verum circumspectionem tuam scire volumus, quod te sincere diligimus, ac te nunc brachiis caritatis amplectimur, tuum in Domino desiderantes profectum, et ad illa, que tibi grata fore cognoscimus, apertos habebimus oculos et cor promptum, prefatumque Galvanum, ob contemplationem tui, et propter sua grandia merita, quibus Omnipotens Dominus eum insignivit, gerimus in visceribus caritatis, et sicut filium predilectum habebimus favorabiliter commendatum. Preterea honorificenciam dicti Regis, cui fideliter assistis, magnificis cupientes incrementis augeri, fraternitatem tuam nobis caram rogamus et hortamur attente, quatenus de bono in melius saltem more solito indefesse procures, quecunque statui Regis noveris profutura, ut eodem Rege fructus amabiles de tue solicitudinis studio colligente, nomen tuum crescat in gentibus, et ipsum Regem tibi constituas merito debitorem. Ceterum cum summe nobis cordi sit, prefatum Regem Vngarie, et carissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum Imperatorem Semper Augustum inter se dissidentes, ad bonam concordiam revocare;

fraternitatem tuam nobis caram rogandam duximus attencius et hortandam, quatinus pro nostri et Apostolice Sedis reverentia, ac etiam tue salutis et publice utilitatis intuitu, ipsum Regem Vngarie ad bonam pacem et concordiam cum eodem Imperatore habendam omnibus viis et modis, quibus poteris, inducas, ac venerabilem fratrem nostrum Johannem Episcopum Augustensem, et Johannem de Caprespino Canonicum Narbonensem, quos pro certis arduis negotiis ad partes illas duximus destinandos, ac nostra et Ecclesie Romane negotia habeas favorabiliter commendata; ipsis Nunciis, dum ad te venerint, et eorum alteri super hiis, que ex parte nostra tibi dicent, adhibeas plenam fidem. Et insuper cum nobilis vir Bernarbos de Vicecomitibus Miles Mediolanensis, abiecto Dei timore, Ecclesie Romane Matri sue cottidie iniurias irrogare non cesset, et ei guerram facere comminetur; affectuose te rogamus et ex corde, quatinus apud eundem Regem Vngarie, prout plene confidimus, et etiam apud illos, qui in hoc prodesse poterunt, diligenter insistas, ut nobis et eidem Romane Ecclesie, si expediens fuerit, ad resistendum eiusdem Barnabonis perversis conatibus auxilium prebeant et iuvamen. Et ut non solum terreni, sed et Superni Regis, et per consequens Apostolice Sedis gratiam et nostram ulterius merearis, sic premissa, de quibus te rogavimus, adimplere, ac prefatum Regem, ut in devotione solita persistens Ecclesias et personas ecclesiasticas semper habeat in honore, eorumque iura protegat et defendat, inducere studeas, et quod inde tibi premium compensetur a Domino, nosque tuis honoribus favorabilius intendere teneamur, et nichilominus prefato Galvano in hiis, que ex parte nostra tibi dicet, adhibeas plenam fidem. Datum apud Villamnovam Avinionensis Diocesis VII. idus Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból. Az itt emlitett Galvanus ugyanazon Magister Galvanus Bethini, ki az akkori pécsi egyetemes mint a kánoni jog tanára működött.)

11.

IX. Gergely pápának bullája, melylyel a mazoviai herceget inti, hogy alattvalóit a litvánok és rutheneknek a német rend ellen támogatásától visszatartóztassa. 1371.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro ... Duci Mazovie salutem et Apostolicam benedictionem. Gravis querela pro parte dilectorum filiorum .... Magistri et Fratrum Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum Jerusalemitani nobis nuper exposita continebat, quod licet ipsi, ut est notorium, contra infideles Lutwanos et nonnullos Ruthenos scismaticos subiectos eisdem, impugnantes ipsos fratres et alios Christianos, bellum continuum prosequantur; tamen nonnulli subditi tui, inter terras eorundem Magistri et Fratrum, ac Lutwanorum et Ruthenorum consistentes, apparatus et progressus eorumdem Magistri et Fratrum ex vicinitate locorum sepius sentientes, illos eisdem Lutwanis notificant, et ut se defendant, ac gentes dictorum Fratrum offendant et prepediant, reddunt premonitos et etiam premunitos; et e contra cum iidem Lutwani contra ipsos Fratres et terras, eorum procedunt hostiliter, eos amicabiliter recipiunt, et pertractant ipsis victualia et ducatum in locis inviis et solitudinibus exhibendo in magnum detrimentum eorumdem Magistri et Fratrum ac fidei Christianae, super quibus fuit nostre provisionis remedium postulatum. Quare Nobilitatem Tuam rogamus et hortamur attente, tibi nichilominus per Apostolica scripta mandantes, quatinus dictos subditos tuos, ut desistant a predictis et aliis favoribus eisdem infidelibus impendendis, studeas pro reverentia Dei, sueque fide, et honore tuo, sic fideliter et realiter coercere, quod non oporteat per Sedem Apostolicam super hoc aliter provideri. Datum Avinione VIII. kalendas Decembris Pontificatus nostri anno primo.

(Eredetie a német rendnek königsbergi titkos levéltárában.)

12.

XI. Gergely pápa I. Lajos magyar és lengyel királyt felkéri, hogy a florenczi köztársaságnak tevékeny segitségét eszközölje Miklós Estei őrgróf számára. 1371.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Chisto filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Cum dilecti filii . . . Florentini cum Romana Ecclesia et dilecto filio nobili viro Nicolao Marchione Estensi, in Civitate nostra Ferrariensi pro nobis et Ecclesia predicta Vicario colligati, eumdem Marchionem contra hostes suos et eorumdem colligatorum impugnantes Civitatem Mutinensem, in qua idem Marchio existit Imperialis Vicarius, non adiuvent, ut tenentur, ac idem Marchio cum gentibus eiusdem Ecclesie atque suis nequeat diucius resistere potencie hostium predictorum, propter quod predictis Ecclesie et colligatis maximum posset periculum imminere: Serenitatem Tuam, cuius eosdem Florentinos credimus esse devotos, affectuose rogamus, quatenus ipsos Florentinos ad iuvandum Marchionem prefatum auxiliis et favoribus oportunis Regiis inductionibus exhorteris. Nam nostre et nostrorum preces circa hoc hucusque minime valuerunt. Datum Avinione III. idus Decembris, Pontificatus nostri anno primo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

13.

A velenczei köztársaságnak követei I. Lajos magyar és lengyel királyhoz. 1372.

1372. január 9. (Missi ser Johannes de Vidoro et ser Jacobus Barozi Ambaxiatores in partibus Sclauonie ad Regem Hungarie pro recuperatione mercationum galeae Dandulae).

Január 26. (Loco Ambaxiatorum in partibus Sclauonie, qui redierunt Venetias antequam reciperent mandatum eundi ad Regem Hungariae, missus nobilis vir Nicolaus Valaresso.

— Commissum Ambaxiatori ituro ad Regem Hungariae, ut faciat quidquid poterit pro recuperatione rerum cuiusdam navigii rupti in partibus Curzolae).

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIII. kötetéből.)

Anno MCCCLXXII. die XXII. Februarii. Capta: Cum Comes et Regimina Tragurii scripserint, quod sunt parati restituere nuncio nostro res existentes apud eos de galea Dandula, dando illam partem repetitoribus, que conveniet, et faciendo sibi finem et securitatem; quod ser Johannes de Vidouo redeat ambasciator ad illas partes cum potestate quietare et facere finem et securitatem restitutoribus, habendo vnam et dimidiam pro centenario de rebus restitutis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIII. kötetéből 279. l.)

Anno MCCCLXXII.. die prima Junii. Capta: Vt possit dari expedicio mercatoribus, qui habuerunt sericum super galea Dandula naufragata de Oco, videlicet quod est recuperatum hucusque stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIV. kötetéből 23. l.)

14.

A veronai követ a velenczei követ kiséretében utazik I. Lajos magyar és lengyel királyhoz. 1372.

Anno MCCCLXXI. die VII. Februarii. Capta: Quod Communitati Verone complaceatur, sicut supplicat, in faciendo levari Nuncium suum cum eius familia super lignum riperie Istrie, quod conducere debet ser Nicolaum Valeresso usque Segniam, qui vadit Ambaxator ad dominum Regem Hungarie; cum dictus Nuncius portet ex dono aliqua arma prefato domino Regi.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIII. kötetéből.)

15.

Az 1358-ki békekötés tárgyában differentiák Carrara Ferencz paduai fejedelem és a velenczei köztársaság egykori szövetségesei közt. 1372.

Anno MCCCLXXI. die XVII. Februarii. Consiliarii infrascripti terminaverunt, quod Dominus Jadre possit eligere Potestatem Padue de Nobilibus Veneciarum pro execucione pacis alias facte inter dominum Regem Hungarie, et adherentes, sequaces et colligatos, et sequaces nostros. Item quia factum fuit dubium, si Capita de XL poterent (így) vel deberent participari in facto dicte responsionis fiende de dicta declaratione in ambaxatam Domini Padue; per dictos Consiliarios terminatum fuit, quod Capita de XL non poterent se impedire in facto dicte responsionis vel terminacionis; quia execucio et declaracio pacis spectat ad Consiliarios; verum bene fuit ordinatum et terminatum per dictos Consilarios, quod sicut Capita de XL debent vocari ad audiendum Ambaxiatas, ita deberent vocari, et fieri notum eis, quod sint presentes, quando debebit responderi dicto Ambaxiatori Padue.

Consiliarii fuerunt ser Johannes Scorlado, ser Delphino, ser Quirino, ser Johannes Mauroceno.

(Az »Estratti dai Notatori del Collegio di varie epoche« czimű velenczei jegyzőkönyvből 5. l.; a velenczei nagy levéltárban.)

16.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete Cattaro város fegyveres hajói ellen. 1372.

Anno MCCCLXXII. die XXIII. Martii. C a p t a. Cum in partibus circa Catarum sint alique scabe siue barche armate, que pluries intulerunt damna nostris ciuibus et fidelibus in Cataro conuersantibus; vadit pars : quod scribatur et committatur Capitaneo Culphi, quod quando sibi tempus videbitur, vadat ad partes Catari, et se informet a ciuibus nostris

de damnis sibi illatis per dictas barchas siue scabas, et secundum informacionem quam habuerit, procuret habere emendam et satisfaccionem damnorum predictorum ab illis, quorum in locis dicte scabe seu barche armate fuerint, et quod de cetero ipse seu alia nauigia non armentur vel stent in mari in illis partibus ad damnum aliquorum. Quod si poterit obtinere, bene quidem; alioquin intromittat et damnificet, cum securitate tamen galearum et gentis nostre sibi commisse, de hauere illorum, in quorum locis armate fuerint dicte scabe seu barche, et civium et subditorum suorum, vsque integram solucionem et satisfaccionem damnorum predictorum. Verum si in via sua inuenerit aliquas ex dictis scabis siue barchis, que starent ad damnum aliquorum, ipsas intromittat, servando formam sue commissionis. Et hoc eciam committatur ser Marco Arimondo Supracomiti Culphi, qui in via sua obseruet, vt dictum est; cum securitate tamen galee et gentis sibi commisse

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. kötet 6. l.)

17.

Velenczének kereskedése Cattaroval. 1372.

Anno MCCDLXXII. die XXIII. Marcii. (Ser Paulo Quirino, qui versus Catarum misit) certam quantitatem pannorum cum ordinibus terre, et casualiter aliqui eorum balneati sunt, taliter quod oportet, vt viginti ex eis Venecias reducantur pro aptando; (conceditur, ut libere eos possit reduci facere, et libere dein extrahere, jurando eosdem esse, qui alias extracti fuerunt.)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 7. l.)

18.

XI. Gergely pápa örömét fejezi ki IV. Károly császárnak, hogy I. Lajos magyar és lengyel királylyal kibékült. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori Semper Augusto salutem etc.

Ex litteris Tue Serenitatis manu scriptis accepimus, quod cum carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Vngarie illustri concordaras. Quod tanto nostris affectibus venit acceptius, quanto id desiderabamus ardentius, quantoque id ad tocius Christiani populi prosperitatem et gaudium noscitur redundare. Imperialem igitur Excellentiam paterne caritatis monitis exhortamur, quatenus quantum in te fuerit, in huiusmodi concordia tanquam pacis filius continue perseueres: nos enim prefato Regi exhortationem similem destinamus. Ceterum considerantes, quod mora venerabilis fratris nostri Johannis Patriarche Alexandrini, Apostolice Sedis Nuncii in partibus Alemanie, Tue Magnitudini oportuna de cetero non existit, et quod ex suis stipendiis Clerus illarum partium pregravatur; nisi eius presentia multum indigeas, providimus eum ad nostram presenciam reuocandum; quod ex causis premissis moleste non ferat Cesarea Celsitudo. Datum Avinione III. idus Aprilis, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

19.

Contarini Endre velenczei dogének a magyar, florenczi és pisai követek. 1372.

Littere Ambaxiatorum domini Regis Hungarie, Florencie et Pisarum ad Ducem Veneciarum.

Inclite et Excelse Domine. Ecce Dominus Paduanus fecit dirui domos, plancones destrui, et turrim Sancti Baldi, demolitis omnibus edificiis circa ipsam a tempore orte discordie factis, in pristinum statum restitui iuxta requisicionem Magnificencie Vestre per nos sibi expositam; et quinque de suis elegit, Syndicum pro compromisso deputauit, et letanti corde ad pacem et concordiam est dispositus et paratus. Cum igitur pro hac desiderabili et benedicta concordia sumus tam feruenti et laborioso itinere fatigati, Eadem Magnificencia Vestra ordinare dignetur, et sic petimus reuerenter, vt apertis palatis nauali quiete ad vestram presenciam redeamus. Dignum enim est, vt qui pro multorum tranquillitate facisci-

mur, eadem vicissitudine consolemur. Datum Padue XII. Aprilis (1372.)

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 2. r. 555. l.)

20.

Bálint, I. Lajos magyar és lengyel királynak követe, visszatér Velenczéből. 1372.

Anno MCCCLXXII. die V Maii. Capta: Quod iste dominus Valentinus Ambaxiator domini Regis Hungarie possit levari et conduci super ligno riperie Istrie vsque Segniam cum eius familia et levibus arnesiis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. II. l.)

21.

XI. Gergely pápa a török háborura buzditja I. Lajos magyar és lengyel királyt. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc, Audi, fili carissime, verba patris salubria, audita mature consideres, et considerata studeas adimplere, cum illa tibi studeant quicquid honoris, quicquid securitatis et commodi, quicquidve perpetui premii valeas adipisci. Diebus siquidem non longe preteritis multiplicati rumores de diversis partibus ad Sedem Apostolicam perduxerunt, quod impii Turchi, atroces hostes Christiani nominis, super nonnullas partes Grecie in gravi multitudine irruentes, subactis quibusdam Magnatibus Regni Rascie tum in eis dominantibus, in earundem partium populis professione Christianis, sed scismatum et heresum maculatione fedatis, et impietatis erroribus depravatis, lata terrarum spacia occuparunt, et usque ad tue Vngarie et prefate Rascie Regnorum, nec non Albanie et Sclavonie confinia pervenerunt, et venire ad matitimam, et portus obtinere maris Adriatici formidantur; propter que timor fidelibus partium vicinarum in-

cutitur, et desolationis earum proximum preparatur periculum, ac maris et terre conturbatio pertimetur. Eapropter cum ad obviandum sufficienter ingruenti turbini tante cladis aliud, quam tue pregrandis potencie valiturum non videatur remedium, cum presenti tempore, quo mundus plus solito est positus in maligno, de generali passaggio in hac parte nequeat provideri; devotissimam Magnificentiam Tuam, que inter omnes Reges Catholicos consuevit esse persecutrix infidelium et defensatrix Catholice fidei, omni qua possumus affectione precamur, quatenus pie grateque recognoscens, eximiam potentiam tuam ad hoc a Domino tibi datam, ut ea utaris ad defensionem sui populi, quem preciosissimi cruoris sui sparsione redemit, et per hoc de caduco regno seculi conscendas eternum, ad occurrendum potenter rabiei et presumptioni tam crudelis tamque execrabilis nationis, tamquam leo fortis et animosus exurgas, speresque in dextera Regis Regum, in tuo fideli populo, quod de ipsis hostibus victoriam reportabis, et a tuis aliorumque fidelium terminis procul pelles, sicque tui Regni, et aliorum fidelium securitati duraturo, Deo dante, efficaci remedio providebis, et preter tui famosi nominis adauctam gloriam eterni regni dyademate potieris. Nos enim dilectum filium nobilem virum . . . Ducem Veneciarum, ut tibi, si indigueris, de copia navigiorum subveniat, per nostras litteras exhortamur, aliosque possibiles favores Apostolice Sedis Magnitutini Tue offerimus, cum ad hec intendere volueris, promptis affectibus impendendos. Datum apud Pontem Sorgie Avinionensis Diocesis II. idus Maii, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. carissimis in Christi filiabus Elizabeth seniori, et Elizabeth iuniori Reginis Vngarie, dilectis filiis nobilibus viris Carolo de Duracio Duci Sclavonie, et Andree Contareno Duci Venetiarum, et venerabilibus fratribus Thome Archiepiscopo Strigoniensi, Stephano Archiepiscopo Colocensi, Johanni Episcopo Vaciensi.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

22.

Raguza város községének a velenczei kormánytanács. 1372.

Scripsimus vobis alias querelam Marci Conzanare ciuis et fidelis nostri contra Dechoe ciuem vestrum, qui ciuem nostrum assecurauerat ad intrandum in Narentum cum quadam cochina caricata sale, et postea per eius fraudulentam machinationem fuit captus et derobatus, ac enormiter lesus cum marinariis suis. Vos autem occasione predicti detineri fecistis Dechoe predictum. Vnde sperabamus, quod tum pro fauore justicie, tum intuitu requisicionum nostrarum compelleretis eundem Dechoe realiter et personaliter ad satisfaciendum ciui nostro de damno predicto, et ultra hoc ipsum puniretis taliter pro culpa sua, quod transiret aliis in exemplum. Sed sicut indicat litteralis responsio nobis facta, vos petebatis a ciue nostro, ut vobis claritatem faceret de predictis. Ciue igitur nostro dicente, quod de damno predicto liquide constabat apud officiales nostros extraordinarie ad talia deputatos; vos prefatum Dechoe a carceribus relaxastis, accepta aliqua plezaria seu caucione ab eo super predictis; et sic ciuis noster facta protestacione sua rediit vacuus cum expensis et laboribus multis, de quo non immerito miramur et grauamur, et precipue, quod requirebatis vobis fieri claritatem et probacionem de predictis. Scire enim debetis, quod de antiquissimo et semper obseruato more nostro probacio damnorum illatorum nostris ciuibus fit Veneciis apud officiales nostros predictos, et sic seruatum est et obtentum in aliis partibus mundi super damnis ciuibus nostris illatis. Quare licet pluries dici fecimus mercatoribus vestris hic degentibus, ut vobis notificarent intencionem nostram predictam, que est ut ciui nostro satisfiat de damnis suis predictis : tamen, quia nihil factum est, prouidimus iterato vos requirere, vt velitis tenere modum, quod ciui nostro protinus satisfiat; significantes vobis, quod legitime damnum predictum probatum et taxatum est apud officiales nostros predictos in libris LXXX grossorum. Si igitur ciuis noster satisfaccionem recipiet, gratissimum nobis erit; sin autem, pro indemnitate ciuis nostri absque alia requisi-

cione prouidebimus de remediis oportunis stb. (1372. die 24. Maii.)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 19. l.)

23.

I. Lajos magyar- és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy a velenczei köztársaság és a paduai fejedelem közti differentiákban közbenjárjon. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christi filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. De discordia, que inter dilectos filios nobilem virum ... Ducem et Commune Veneciarum ex una parte, ac Franciscum de Carraria Militem, in Civitate Paduana Imperialem Vicarium ex altera est exorta, pro quorum facienda concordia per nostrum Nuncium partes nostre sollicitudinis adhibemus, cum ipsa discordia vergere possit in grande Romane Ecclesie et reipublice detrimentum, dolentes quam plurimum materias fomitis ipsius discordie, inter quas esset, si dilecti filii nobiles viri ... Duces Austrie, et Canissegnorius de la Scala se contra dictum Franciscum cum eisdem Venetis colligarent, cupimus amputare. Ideoque Serenitatem Tuam, quam ad hoc valituram speramus, precamur attente, quatenus eo modo quo deceat, studeas cum prefatis Ducibus et Canesegnorio operari, quod sua quiete potientes, et materiam difficultatis predicte concordie quomodolibet non prebentes, velint ab ipsa colligatione penitus abstinere. Datum Avinione V. kalendas Julii, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

24.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, az ausztriai herczeg és az aquilejai patriarka közti fegyverszünet ügyében. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cum, sicut audivi-

mus, inter venerabilem fratrem nostrum Marquardum Patriarcham Aquilegensem ex una parte, et dilectos filios nobiles viros . . . Duces Austrie ex altera, treuga pendeat super guerra, que extitit inter eos, et in festo Beati Martini proxime secuturo debeat expirare : Celsitudinem Regiam affectuose rogamus, quatenus spe pacis inter ipsas partes, dante Domino, faciende pro longa prorogatione huiusmodi treuge partes Tue Magnitudinis interponas. Alioquin ubi huiusmodi treuga cum dictis Ducibus non posset haberi, prefatum Patriarcham et eius Aquilegensem Ecclesiam Eidem Magnitudini intime commendamus. Datum Avinione IV. kalendas Julii, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

25.

Erzsébet anyakirályné, I. Lajos magyar és lengyel királynak Lengyelországban helytartónéja, megerősiti Krakkó városnak árurakodási jogát. 1372.

Nouerint vniuersi presencium noticiam habituri, quod Nos Elisabeth Dei gracia Senior Hungarie et Polonie Regina, cupientes Ciuitatis nostre capitalis et excellencioris, videlicet Cracouiensis in status disposicione fieri tempore gubernacionis nostre cóndicionem meliorem et honestam, deposicionem omnium mercimoniorum et rerum venalium cuiuscunque generis, speciei, coloris, estimacionis et precii existant, de vniuersis mundi partibus in ciuitatem nostram Cracouiensem venientium, in iam dicta ciuitate Cracouiensi nostra facimus, constituimus et ordinamus, secundum quod fuit temporibus Serenissimi Principis domini Casimiri felicis recordacionis olim Regis Polonie, fratris nostri carissimi, obseruatum et tentum ; inhibentes nostro Regio edicto omnibus et singulis mercatoribus et negociatoribus vniuersis cum eorum mercibus in memoratam Cracouiensem ciuitatem venientibus, quatenus omnia ipsorum mercimonia et res venales vniuersi generis ibidem in Ciuitate Cracouiensi statuant et deponant. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum

et datum in Czchow dominica die proxima post diem Beati Alexii anno Domini MCCCLXX. secundo. Presentibus nobilibus viris dominis Johanne Castellano, Nicolao Judice Cracouiensibus Raphaele Vislicensi, Raphaele Zarnouiensi Castellanis, et aliis fidedignis.

(Eredetie bőrhártyán, a királynénak függő pecsétje alatt, Krakkó város levéltárában.)

26.

XI. Gergely pápa a IV. Károly császár s I. Lajos magyar és lengyel király közti kibékülés tárgyában. 1372.

Gregorius Episcopus etc. venerabili fratri Johanni Patriarche Alexandrino Apostolice Sedis Nuncio, salutem, etc. Letanter audivimus, quod carissimi in Christo filii nostri Carolus Imperator Romanorum Semper Augustus et Ludovicus Rex Vngarie illustris, ac nonnulli Ecclesiarum Prelati, et Principes seculares, ac Magnates Alamanie ad complendum quedam, que a concordia dudum facta inter Imperatorem et Regem prefatos, eorumque colligatos et valitores dependere dicuntur, debent circa metas Regnorum Vngarie et Boemie de proximo convenire. Quare volumus et tue fraternitati mandamus, quatenus una cum dilecto filio Helia de Vodronio Clerico Camere nostre, Apostolico Sedis Nuncio, in loco conventionis hujusmodi cum eisdem Imperatore ac Rege studeas personaliter interesse, ipsosque, ac valitores et adherentes eosdem ad omnia, que tendunt ad perfectionem dicte concordie, et ad perpetuam ipsorum pacem et quietem, ex parte nostra providis tuis consiliis et inductionibus exhorteris; ita quod inter eos sedatis cunctis dissidiis, eorumdem Imperatoris et Regis, ac Principum studia contra hostes sacre fidei et Romane Ecclesie, et alias ad utilitatem reipublice, dante Domino, convertantur. Preterea licet dictos Imperatorem et Regem tam per fraternitatem tuam, quam per nostras diversas litteras de potenti auxilio nobis et dicte Ecclesie contra Bernabonem de Vicecomitibus de Mediolano, eiusque complices et fautores, hostes et persecutores dicte Ecclesie, magnifice exhibendo duxerimus requirendos; quia

tamen illud nondum habuimus, et necessitas incumbit habendi; ipsos Imperatorem et Regem, necnon Prelatos ac Principes et Magnates communiter et divisim tempore conventionis predicte, si dante Domino eam contingit fieri, ut speratur, alioquin per tuos nuncios et litteras ex parte nostra instanter requiras et obnixius depreceris, quod etiam idem Helias faciat, ut ad exterminationem dicti Bernabonis, et Galeaz fratris sui, qui alias, ut ipsi divisim notificaverunt, et etiam significatum est nobis per multos alios fidedignos et magnos, et publicum reputatur in partibus Lombardie, sunt invicem colligati contra omnem hominem, etiam Imperatore prefato et Imperio non exceptis; propter quod eumdem Galeaz colligatum ac fautorem et defensorem dicti Bernabonis, ac hostem et persecutorem dicte Ecclesie merito reputamus, sua auxilia secundum decenciam, et potestatem eorundem, ob reverenciam Dei et Apostolice Sedis et nostram, et pro generali commodo etiam Imperii predicti et partium Italie nimium laniatarum et oppressarum per fratres eosdem, non differant destinare. Ac eos insuper moneas et requiras, ac etiam depreceris, quod dictis hostibus nullum dent auxilium, consilium vel favorem, nec gentes quascunque accedentes ad obsequium, stipendium vel defensionem dictorum fratrum, suorumque colligatorum, complicum et fautorum, per terras, passus et loca sua transire permittant; et si gentes ipse noluerint retrocedere, ipsas detineas, et bona etiam earundem, et ubicunque et apud quoscunque invenerint pecunias transmissas, seu transmittendas imposterum per ipsos fratres seu colligatos et complices ipsorum ad quascunque partes, pro stipendiarijs conducendis vel aliis causis, eas recipiant suis usibus convertendas; ac in suis Imperio, Regnis et dominiis per publicum edictum moneant et requirant, ac personaliter requiri faciant subditos suos, eis sub pena privationis feudorum et aliorum bonorum, que tenent ab eis, et perpetue proscriptionis, quod nullus ipsorum presumat accedere ad servitium dictorum fratrum vel alteriuseo rundem, suorumque colligatorum, complicum et fautorum, quin imo iam in ipsis serviciis existentes ab eis recedant, ad illa nullatenus reversuri; alioquin inobedientes privent feudis et bonis predictis, illaque

aut pro se retineant, aut aliis concedere non omittant, domosque eorum dirui, et alia faciant, de quibus te, cum a nostro recessisti conspectu, et prout cotinetur in aliis litteris nostris, quas super processibus per te faciendis contra tales eidem fraternitati cum presentibus dirigimus, plenius continetur. Specialiter autem venerabiles fatres nostros . . . Patriarcham Aquilegensem ac . . . Tridentinum, . . . Brixinensem et . . . Curiensem Episcopos, ac alios Prelatos et personas ecclesiasticas, et potissime dilectos filios nobiles viros . . . Duces Austrie, et alios habentes terras et passus de Alamania versus Lombardiam, super premissorum adimpletione ex parte nostra roges et moneas et inducas, et per dictos Imperatorem et alios Principes procures induci, et nichilominus processus, de quibus tibi per alias nostras litteras mandatum dirigimus, facias sine tarditate temporis celeriter publicari; ea que in predictis feceris, et responsa predictorum Imperatoris, Regis et Principum, nobis celeriter rescripturus. Datum apud Villamnovam Avinionensis Diocesis XI. kalendas Augusti, Pontifiicatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

27.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy a romai egyháznak ellenségei ellen segitségére legyen. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Luvics Regi Vngarie illustri salutem etc. Necessitatem Sancte Romane Ecclesie Matris tue, et indigentiam tui auxilii, quam habet plus solito, quo mediante suos hostes et persecutores, quos Regia Serenitas etiam hostes suos et dissipatores reipublice debet merito reputare, sperat de sua potentia deici; mandavimus per venerabilem fratrem nostrum Johannem Patriarcham Alexandrinum, et dilectum filium Heliam de Vodronio Clericum Camere nostre Apostolice Sedis Nuncium, vel eorum alterum exponi Celtitudini Regali. Tuam igitur Magnificentiam instanter et instantius requirimus et rogamus attentius, quatenus eisdem Nunciis, vel eorum alteri in hac

parte adhibens plenam fidem, peticioni eorum, ymo nostre et dicte Ecclesie, filiali promtitudine annuere non omittas Datum apud Villamnovam Avinionensis Diocesis XI. kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

28.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a galicziai kereskedésre vonatkozó privilegiuma a magyarországi és lengyelországi kereskedők számára. 1372.

Nos Ludouicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. notum facimus vniuersis et singulis quibus expedit per presentes, quod Nos, quos Diuine disposicionis clemencia plurimorum Regnorum et gencium gubernaculo et regimini extulit et prefecit, cupientes ex animo vtilitati et commodo omnium et singulorum nostrorum subditorum fidelium solicite et diligenter invigilare, et ea que ipsorum status, reformacionis, honorisque et vtilitatis augmenta conspiciunt, tanto propensius circumspeccionis nostre studio efficaciter promouere, quanto ex hoc et Regale decus alcioribus preconiis extollatur, et ipsorum fidelium deuocionis sinceritas ad exhibenda seruicia gratuita Regie Maiestati feruencius excitetur. Eapropter volentes commodo et profectui fidelium nostrorum regnicolarum, Regnorum videlicet nostrorum Hungarie et Polonie specialiter de Regie pietatis clemencia graciose prouidere, et eosdem fauoribus decorare graciosis; vniuersis et singulis dictorum Regnorum, Hungarie videlicet et Polonie, mercatoribus, regnicolis, damus, tribuimus et graciose concedimus liberum et perpetuum transitum ad ciuitatem nostram Lemburgensem, ac ad alias partes quaslibet et prouincias Terre nostre Russie pro mercibus seu rebus mercimonialibus cuiuscunque generis, speciei, coloris seu materiei ac precii existant, emendis seu comparandis pariter et commuttandis, ac ipsorum commercio ibidem exercendo, absque impedimento aliquali. Huiusmodi tamen transitum certis mercatoribus extraneis, utputa Bohemis, Morauis, Silesitis, Prussenis, signanter autem Thorunensi-

bus precludimus et perpetuo prohibemus, sub priuacione personarum et rerum suarum mercimonialium, quas tales mercatores extranei tanquam mandati nostri transgressores penes se dignoscerentur habere. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem presentes litteras nostras priuilegiales eisdem concessimus sigilli nostri maioris et authentici simplicis appensionis munimine roboratas. Datum in Wisegrad sexto die mensis Augusti anno Domini millesimo CCC.LXX. secundo.

Ad litteratorium mandatum domini Regis.

(Eredetie bőrhártyán Lajos királynak függő pecsétje alatt, Krakkó város levéltárában.)

29.

I. Lajos magyar és lengyel király megerősiti Krakkó városnak a kereskedelemre vonatkozó jogait. 1372.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Notificamus universis et singulis quibus expedit presencium per tenorem, quod cum Regie speculacionis et sollicitudinis esse debeat invigilare propensius commodis subditorum et quieti, et eos prosequi munificencius ampliori dono gracie specialis, ut tanto ex fidelibus feliciores, fideliores et devociores se exhibeant ex devotis, quanto pociores largitatis beneficio ex Regalis provisionis liberalitate eos contingerit copiosius insigniri. Eapropter nos considerantes sincere fidei et innarabilis fidelitatis devocionem, quam fideles nostri dilecti cives et hospites Cracovienses semper cum omni caritatis affectione ad Nostram Maiestatem habuerunt et habere exnunc probabiliter et efficaciter dinoscuntur, veluti quos in omni fidelitatis fervore stabiles, et in laudabilium operum exhibicione efficaces semper reperimus et incommutabiliter persistentes. Ut igitur ipsorum fidelitatis commendanda devocio premio gratuito Regie remuneracionis compensetur, volentes et ex animo cupientes predictam nostram Civitatem, eiusque cives, mercatores, incolas et habitatores universos favore Regio prosequi speciali, et eorum commoda utiliter adaugendo singularis privilegii libertate eosdem munifice decorare, qua-

tenus ipsi nostro felici tempore certis specialibusque prerogativarum titulis se senciant decencius insignitos, et in Nostre Maiestatis beneplacitis fervencius persistentes bonis pocioribus augeantur; eidem Civitati, eiusque civibus, mercatoribus et incolis universis hanc graciam duximus faciendam specialem infrascriptam, ut universa et quelibet mercimonia omnium rerum venalium cuiuscunque maneriei vel speciei, generis, colorum, estimacionis, seu precii existentia, que de universis Prussie partibus, et signanter de Thorun in ipsam Civitatem nostram Cracoviam per quoscunque dictarum parcium mercatores deferentur; in eadem Civitate Cracoviensi deponere debeant et vendere teneantur, non audendo ulterius seu extra ipsam Civitatem procedere cum mercimoniis eorum prenotatis. In cuius rei testimonium et perpetuam firmitatem presentes litteras nostras privilegiatas eisdem concessimus sigilli nostri maioris et autentici simplicis appensionis munimine roboratas. Datum in Wischegrad sexta die mensis Augusti anno Domini millesimo CCC.LXXII.

(XIV. századi másolat bőrhártyán; a német rend königsbergi titkos levéltárában.)

30.

A velenczei kormánytanácsnak tengeri kereskedésére vonatkozó rendelete Raguza város ellenében. 1372.

Anno MCCCLXXII. indictione XI. die VIII. Septembris. Capta: Cum sit quedam pars capta in nostris Consiliis quod cum aliquo navigio armato non possint extrahi de intra Culfum pro portando extra Culfum alique mercationes, excepto auro et argento; que pars capta fuit propter metalla de Raguxio, que caricabantur super nostris galeis cum maximo damno nostri Communis; et sint aliqui, qui dicta metalla extraxerunt de Raguxio, et conduxerunt Corfu et in Romaniam bassam pro caricando ipsa super galeis a mercato, quod esset contra intencionem Terre; vadit pars, quod nunc et de cetero totum metallum cuiuslibet condicio nis, excepto auro et argento, quod caricabitur extra Culfum super nostris

galeis, et fuerit extractum de intra Culfum, solvere debeat dacium nostro Communi, et nabulum galeis, sicut si esset conductum Venecias, et caricatum in Veneciis super galeis. Et addatur in commissione Capitaneorum galearum a mercato, quod exigant dictum dacium et nabulum, dando patronis galearum illam partem nabuli, que eos tanget, et residuum nabuli cum dacio reservent et assignent nostro Communi.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 34. l.)

31.

I. Lajos magyar és lenggel királynak XI. Gergely pápa, hogy a velenczei köztársaságot Carrarai Ferencz paduai fejedelemmel kibékítse. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem, etc. Quamvis, fili carissime, credamus indubie, quod propter antiquam devotionis intime puritatem, quam dilectum filium nobilem virum Franciscum de Carraria militem, in Civitate Paduana Imperialem Vicarium, cum Romana Ecclesia colligatum, ad Serenitatem Tuam gessisse hactenus, incessanterque gerere sepe percepimus, eidem Francisco cupienti cum dilectis filiis nobili viro ... Duce ac Communi Venetiarum, cum quibus est discors, habere concordiam; sed eam assequi eciam cum decentibus oblationibus nequeunti, concordiam ipsam tuis procures operibus studiosis : nichilominus tamen, quia nos nequimus in hac parte proficere, et speramus, quod exhortatio nostra te ad hoc promptum, debebit reddere promptiorem : Magnitudinem Regiam quanto cordialius possumus deprecamur, quatenus pie considerans, quod guerra dissidentium predictorum, si, quod absit, inchoetur, dicte Romane Ecclesie et negotiis, que ipsa Ecclesia prosequitur de presente, et in quibus status eius nimium vertitur, et alias reipublice, ac etiam Christiane fidei, cuius pugil existis, periculosa erit nimium et dampnosa; omnibus viis et modis, quibus poteris, pro eorundem discordantium reformanda concordia, vel saltem pro trium vel duorum annorum treugis sub spe pacis commodius pertractande, sol-

licitiori et efficaciori studio Tuam Celsitudinem interponas. Nam a multis prudentibus creditur, quod si cordialiter hoc opus sicut tuum assumpseris, illud feliciter consummabis, ac infinitis malis et periculis obviabis, et prefati Veneti non procedent ad guerram, sed tuis beneplacitis acquiescent. Datum apud Villamnovam Avinionensis Diocesis V. kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. carissime in Christo filie Elizabeth Regine Vngarie illustri.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

32.

I. Lajos magyar és lengyel királynak szabadalomlevele a pozeni kereskedők számára. 1372.

Ludouicus Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Rex notum facimus quibus expedit tenore presencium vniuersis, quod nos ad deuote et humillime supplicacionis instanciam fidelium ciuium et hospitum nostrorum de Posnania, eisdem de Regie liberalitatis clemencia et gracia speciali annuimus, quod ipsi fideles nostri ciues et mercatores ab omni solucione tributi seu thelonei a rebus et mercibus ipsorum per totum ambitum Regni nostri Polonie facienda liberi, absoluti et exempti per omnia habeantur. Vobis itaque Prelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, et aliis possessionatis hominibus in dicto Regno nostro Polonie tributa tam in terris quam super aquis habentibus, conseruantibus et possidentibus, nostrisque et vestris tributariis et theloniatoribus firmissimis Regiis damus sub edictis, quatenus a modo et in antea a prefatis ciuibus et mercatoribus nostris de Posnania, rebusque et mercibus eorum, tocies quocies iidem vel aliquis ex ipsis ad loca tributorum vestrorum testimonio presencium peruenerint, nullum tributum, nullamque tributariam exaccionem facere, aut exigere vel exigi facere audeatis; sed eosdem cum rebus simul mercimonialibus libere et absque omni tributaria exaccione ac impedimento aliquali transire et abire permittatis, saluis ipsorum rebus et personis; secus Maiestatem grauiter

offendere formidantes facere non ausuri in premissis. In quorum omnium premissorum testimonium presentes eisdem ciuibus nostris concessimus litteras nostras appensione sigilli nostri authentici munimine roboratas. Datum in Wiuar feria secunda proxima ante octauas Beati Michaelis Archangeli anno Domini millesimo trecentisimo septuagesimo secundo.

(I. Zsigmond lengyel királynak 1521. »in ciuitate nostra Thorunensi dominico die Oculi« kelt megerősitő privilegiumából, a vársói kir. lengyel levéltárban.)

33.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy rokona néhai Durazzoi Robert bizonyos adósságának kifizetését eszközölje. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Ungarie illustri salutem etc. Ad illa te, carissime fili, libenter inducimus ac precibus exhortamur, que honestatem sapiunt, teque in conspectu Regis Eterni reddere valeant gratiosum. Sane nuper dilectus filius Bartholomeus Spiefame de Luca mercator et civis Parisiensis nobis exposuit, quod ipse dudum quondam Roberto de Duratio in suis necessitatibus certam et magnam pecunie quantitatem generose mutuavit; idemque Robertus videns eiusdem Bartholomei gratum servicium, dictam pecunie summam eidem Bartholomeo etiam hoc non petenti infra brevem terminum solvere promisit, prout constare potest per legitima documenta; et deinde huiusmodi solucione non facta, viam fuit universe carnis ingressus, et dilectus filius nobilis vir Carolus de Duratio, dicti Roberti nepos, eidem Roberto ab intestato dicitur successisse. Quare dictus Bartholomeus nobis humiliter supplicavit, ut penes Excellentiam Regiam pro eo super hoc intercedere dignaremur. Nos igitur eundem Bartholomeum suis exigentibus meritis nobis carum gerentes in visceribus caritatis sicut filium predilectum, Serenitatem Tuam rogamus et hortamur attente, quatenus pro nostra et Apostolice Sedis reverencia, ac eciam tui honoris et iusticie intuitu eidem Bartholomeo de huiusmodi

pecunia sibi debita satisfieri facias atque mandes; in hoc taliter te habendo, quod provide humane laudis attolli preconio merearis, nosque devotionem tuam non immerito commendare possimus. Datum apud Villamnouam Avinionensis Diocesis V. nonas Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

34.

Erzsébet magyar anyakirálynénak XI. Gergely pápa ugyanazon ügyben. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissime in Christo filie Elizabeth seniori Regine Vngarie illustri, salutem etc. Carissimo in Christo filio nostro Ludovico Regi Vngarie illustri nato tuo scribimus, ut dilecto filio Bartholomeo Spiefame de Luca mercatori et civi Parisiensi, qui dudum, ut asserit, quondam Roberto de Duratio in suis necessitatibus certam et magnam pecunie quantitatem generose mutuavit, de huiusmodi pecunie summa, cum idem Robertus de ea non satisfacto decesserit, ac dilectus filius nobilis vir Carolus de Duratio, dicti Roberti nepos, eidem Roberto ab intestato defuncto, ut asseritur, successerit, satisfieri faciat atque mandet. Cum autem in premissis favor tuus sit plurimum opportunus, sinceritatem tuam attente rogamus, quatenus pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, et atiam pietatis et iustitie intuitu apud eundem Regem natum tuum, quod nostris in hac parte precibus annuat, opem des et operam efficaces. Datum apud Villamuovam Avinionensis Diocesis V. nonas Octobris, Pontificatus nostri anno secundo.

In e. m. Elizabeth juniori Regine Vngarie.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

35.

I. Lajos magyar és lengyel király és az ausztriai herczegek közti egyezkedés országaik határainak fenntartása tárgyában. 1372.

Wir Ludwig von gotz genaden Kunig ze Vngern, ze Polan, ze Dalmacien etc. bechennen vnd tun kunt offenlich mit disem brife, das wir mit guter vorbetrachtunge, nach rate vnserr Lantherren vnd vnsers rates, mit den durchleuchtigen hochgebornen fürsten vnsern lieben Brüdern, hern Albrechten vnd hern Leupolten herzogen ze Osterreich, ze Steyer, ze Kerenden vnd ze Krain, herren vff der windischen Marich, Grafen ze Tyrol etc. durch freuntschafft vnd bruderlicher liebe willen, die wir beydenthalb alleweg gen eynander her bracht haben, vnd durch frides gemaches vnd frumen willen vnserr Lande, Leutte vnd ouch ze vnderstende solche ouffloufle vnd newunge, Kriege vnd gebresten, die czwischen den vnsern von den gemerken in vnsere Land beidenthalben beschehen mochten, vber einkomen sein solcher secze vnd ordenunge, als hie nach bescheiden ist. Dez ersten, daz wir, noch die vnsern dheinen angriff, newung noch oufflouff tun noch machen sullen vber die gemerke vnserr Lande, in ire obgenante Land. Wer awer, daz ez darvber von vns oder dheinen der vnsern beschehe, wie sich daz gefugte, daczu sullen di egenanten vnser Bruder die Herczogen noch die iren, an den der angriff oder die newung beschehen were, oder yemand ander von iren wegen nichts her wider tun, dene allein daz die egenanten vnser pruder die herczogen beide, oder ir eyner, oder ir Landmarschalk in Osterreich daz zehant nach der getat bringen sullen an vnsern grozzen Grafen vnd an den Bischolff von Agrem, di czu den czeiten sind, die selben czwene vnuerczogenlich, dar nach, so ez an si bracht vnd geuordert wirdet, erkennen vnd erfinden sullen bei den aiden, die sie dorumb sunderlich getan habent, wie die angriffe vnd scheden, nach gelegenheit der sache, abgelegt, widertan vnd gepezzert werden, vnd sullen daz nicht lazzen, durch lieb, noch laid, durch freuntschafft, noch durch veintschafft, noch vmb dhainerlaj sache, an allez geuerde, vnd

sullen ouch wir ernstleich schaffen vnd nötten, swaz die egenanten czwen denne erfunden vnd erkennet haben, daz das also gepezzert vnd widertan werde ynner den nahsten czwayn Manöden nach irem spruche vnd erkantnusse, an allez verczìehen vngeuärlich. Dasselbe habent die egenanten vnser bruder die herczogen ouch also gegen vns her wieder versprochen vnd gelobt, als wir dez ire brife haben ze gleicher weise. Ouch sol dise ordenunge vnd geseczde veste, stete vnd vnuerrucket bliben, die weil di egenanten vnser brüder die herczogen, odeu ir eyner, vnd wir leben. Mit vrchund dicz brifs versigelt mit vnserm grozzen anhangundem Insigel, der geben ist ze Odenburch an Sand Gallen tag nach Christs geburd drewczehenhunder Jar vnd dornach in dem czwai vnd sibenczigsten Jare.

(Eredetie bőrhártyán a bécsi cs. titkos levéltárban.)

36.

Ragusa és Ancona tengeri városok közti kereskedelmi egyezkedés. 1372.

Thomas tituli Sancte Marie in Transtiberi Presbiter Cardinalis ac Ecclesie Romane Vicarius Generalis stb. (megerősiti a Ragusa és Ancona városok közt 1372. kötött kereskedelmi egyezkedést »de confirmatione et renovatione omnium et singulorum pactorum et conventionum, quae mutuo intercesserant«. Memorantur merces orientales, species, zacharum, saricum. Agitur de mercationibus quibuscunque, et solvenda inde doghana unum et quartum valoris pro quolibet centenario mercationum, quae exonerantur. Quoad arma, laboreria coraminis, concii etc.; quoad merces Apuleae et Siciliae, et de extra Culphum alia mensura, duo vel sex pro centenario. Ultra haec nulla exactio. Statuitur inter duas Civitates reciprocitas.) Datum Bononie die XXII. Octobris anno MCCCLXXII.

(Régi jegyzői okmány, melynek csak töredéke megvan, és ez is igen megrongált állapotban ; a bécsi cs. titkos levéltárban.)

37.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy Johanna siciliai királynéhoz barátsággal legyen. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. In omnibus, fili carissime, occurrentibus nobis, que Tuam Celsitudinem dinoscuntur contingere, prius anime salutem, meritique apud Deum, ac temporalis honoris, qui eciam ex virtutibus provenit, et demum mundane potencie, qui in Dei obsequiis exercetur, augmentum ac consolationem honestam eiusdem Celsitutinis extimamus et etiam peroptamus. Hic enim debitus caritatis est ordo, de quo sponsa Christi, sua videlicet Ecclesia, in canticis gloriatur; hic esse debet ordinatus affectus Christiani cuiuslibet, cui moderatus usus temporalium, iustus dominatus et honesta desideria a Rege Regum et dominantium Domino in seculo sunt promissa, et Eterni Regni possessio repromissa, ut pro se vel alio non agat vel optet in mundialibus ea, per que Regem ipsum provocet, et amittat eterna. Hec siquidem prelibavimus, vt non turbetur, nec etiam miretur Excellencia Regia, si eius forsan videamus reluctari conceptibus et desideriis contraire, quod tenemur facere in quocumque fideli, presertim Principibus, per quos Catholici populi gubernantur, vt prima iusticia reperiatur in ipsis, qui secundam habent aliis ministrare. Sane carissima in Christo filia nostra Johanna Regina Sicilie illustris nobis cum multi doloris amaritudine, ut sue innuebant littere, reseravit, quod Serenitas Tua dilectos filios nobiles viros Franciscum Comitem Gallipoli, et Budislavum Militem, Ambaxiatores tuos ad eam cum certis ambaxiatis et capitulis destinavit, ex quibus non solum ipsa, sed sui Curiales ac Magnates et populi fuerunt repleti mestitia et timore; cum suspicarentur offensam ex tua parte inferri, per quem sperabant defensionem contra alios offensores; nobisque supplicavit, super hoc sibi et suo Regno Sicilie de Apostolice Providencie remedio provideri. Nos igitur prefatis tuis saluti et honori, ac quieti dicti Regni providere salubriter cupientes, visis eisdem capitulis et dicte Regine

responsionibus super ipsis, ea que nobis super illis secundum Deum, dictosque tuos salutem et honorem, ac Regni prefati quietem videbuntur utilia, Maiestati Tue per dilectum filium Galvanum de Bononia Decretorum Doctorem, Ambaxiatorem tuum ad nos pro aliis megotiis destinatum, duximus reseranda; sed ad exponendum ea plenius venerabilem fratrem nostrum Agapitum Episcopum Ulixbonensem, Apostolice Sedis Nuncium, harum latorem, ad presenciam Tue Magnitudinis paterne caritatis affectibus destinamus; Eam rogantes et obsecrantes attencius, quatenus dictum Nuncium ob reverenciam prefate Sedis et nostram digneris benigne recipere, et sibi in hiis, que de premissis tibi ex parte nostra narraverit, fidem credulam adhibere, ac annuere benignitate Regia et promtitudine filiali. Datum Avinione IV. kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

38.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy más keleti keresztyénekkel a törökök ellen szövetkezzék. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Dudum per nos intellecto cum multa amaritudine cordis nostri, quod impii Turchi, hostes Sacri Nominis Christiani, contra nonnullos Magnates et populos Parcium Grecie, Walachie et Regni Rascie obtinuerant grandem victoriam, et terris fidelium nimium apropinquabant; Serenitatem Tuam cordialiter rogamus, quod pro reverencia Dei et Catholice fidei ad resistendum eisdem Turchis brachium tue potencie apponere procurares. Nuper autem lacrimabili expositione venerabilis fratris nostri Francisci Archiepiscopi Neopatrensis, latoris presencium, publiceque fame attestacione admodum dolenter audivimus, quod ipsorum Turchorum tanta copia de suis finibus est egressa, et peccatis exigentibus, ipsi Turchi noviter sic prevaluerunt, quod nonnullos populos dictarum partium Christianos professione, licet scismatis scissione a Catholice et Apostolice Eccle-

sie vnitate divisos, vsque prope fines dicti Regni Rascie ac Albanie, ac Principatus Achaie et Ducatus Athenarum, sue perfidie per armorum potenciam subiugarunt, et tenent astrictos sub sua miserabili servitute; et tam potenter tamque ferociter alias partes Christianorum obsident et impugnant, ac invadunt assidue, quod nisi obvietur eisdem, de perdicione dictorum Principatus et Ducatus, aliarumque terrarum fidelium ultramarinarum probabiliter pertimetur. Nos igitur in tantis Christianitatis periculis de oportunis providere remediis cupientes, inter alia remedia, Deo dante, utilia super resistencia Turchis facienda prefatis unionem ad hoc Tue Magnificentie ac aliorum fidelium de dictis ultramarinis partibus providimus, et consulimus esse, quam cito fieri poterit, faciendam; et super hoc certis Prelatis ac Principibus et Magnatibus dirigimus scripta nostra. Quare Regalem Celsitudinem requirimus et hortamur attencius, ac totis cordis affectibus deprecamur, quatenus ad Civitatem Thebanam, que licet sit a tuo Regno remota, tamen aliis, qui ad hoc convocantur, magis quam alius locus reputatur accomoda, ad kalendas mensis Octobris proxime secuturi tuos Ambaxiatores et procuratores cum pleno mandato ad tractandum et faciendum unionem huiusmodi cum Ecclesiarum Prelatis ac Principibus et Magnatibus, qui in ipsa unione ligari et contribuere voluerint, et ad offerendum et promittendum certum subsidium armigere gentis in mari vel terra tenende, Tua dignetur Sublimitas destinare. Nos enim Archiepiscopo prefato iniunximus, quod ad requirendum ex parte nostra te, et eosdem Prelatos ac Principes et Magnates debeat personaliter se conferre, vel mittere alium loco sui; et cum sit in mora periculum, et conventio requirendorum huiusmodi propter longam eorum distanciam non possit citius commode fieri; Eandem Celsitudinem rogamus ex corde, quatenus non expectata firmatione unionis prefate, quam cito poteris, tue gentis subsidium contra eosdem Turchos mittere non retardes, sic prompte, sic magnifice super hiis facturus, quam tuus et totius Christianitatis damnis et periculis proinde obvies, et nichilominus minus exinde a Deo perenne premium consequaris. Nos eciam de mittendo ad partes illas Apostolice Sedis Legato, et aliis oportunis exhibendis remediis, dante Domino,

curabimus providere. Datum Avinione idibus Novembris, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

39.

László opelni herczeg, Gaücziában I. Lajos magyar és lengyel király kormányzójának szabadalma Thorn város kereskedői számára. 1372.

Nos Ladislaus Dei gracia Dux Opoliensis, Velunensis, Terreque Russie Dominus et Heres, notum facimus tenore presencium universis, quod nos ad instanciam venerabilis viri domini Winrici Magistri Generalis Terre Prussie, amici et fautoris nostri carissimi, damus et concedimus universis et singulis civibus et mercatoribus de Thorun et de Terra Prussie plenam et omnimodam securitatem ad nos et ad civitates atque terras nostras Russie super protectionem nostram cum bonis ipsorum et rebus atque mercimoniis quibuscunque veniendi, ibidemque morandi, negociandi, et cum quocunque ac quibuscunque mercandi, sub theoloneis debitis et antiquis perpetuo duraturam. Volumus eciam, ut cives et mercatores predicti in eisdem Civitatibus et terris nostris pro se et bonis ipsorum, rebusque et mercimoniis adductis et adducendis, tam in emendo quam in vendendo per se et per interpretes universis et singulis iuribus, libertatibus et consuetudinibus, sicut ab antiquis temporibus circa nostros predecessores usi fuerunt, ita nunc tempore nostro uti debeant libere et gaudere. In cuius evidens testimonium firmitatemque cerciorem presentes scribi fecimus nostri sigilli appensione assignatas. Datum in Sanok feria secunda post festum Sancti Nycolai confessoris, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo.

(Eredetie bőrhártyán, László herczegnek függő pecsétje alatt; Thorn város levéltárában.)

40.

László opelni herczeg, I. Lajos magyar és lenyyel király gáliciai kormányzójának adománya Lemberg város községe számára. 1372.

In nomine Domini Amen. Vere dignum et justum est, ut ea, que per Reges et Principes in profectum et vtilitatem suorum subditorum benignius largiuntur, ne simul cum fluxu temporis a memoria hominum decrescant, neccesse est, vt ea solemnis roboret titulus literarum. Proinde nos Ladislaus Dux Opoliensis, Velunensis, Terreque Russie Dominus et Heres notum facimus tam presentibus quam futuris tenore presencium, quibus expedit vniversis, quod consideratis quibusdam ac nonnullis defectibus Civitatis nostre Lemburgensis, et civium ac incolarum in ipsa degencium, quibus ipsa Civitas Lemburgensis in Terra Russie constituta per insultus infidelium Lithuanorum ortodoxe fidei inimicorum, prohdolor! fore noscitur agravata et preventa, volentesque eidem Civitati, et civibus ac incolis ipsius de benignitate Nostre Celsitudinis, vt merito tenemur, de remedio providere opportuno; exnunc ipsis civibus, incolis, et eorum veris et legitimis heredibus natis et nascendis, centum mansos franconicos Jure Theutonico Magdeburgensi, cum omnibus vtilitatibus, pratis, pascuis, paludinibus, sylvis, nemoribus, rubetis, agris cultis et incultis, molendinis, piscinis, piscaturis, aquis, aquarum decursibus, que intra limites et mensuram predictorum centum mansorum continentur vel protunc contineri ad extirpandum, locandum, colendum, meliorandum, et ad usus beneplacitos vtifruendum, incipiendo a fronte murorum predicte Civitatis, et a monte, qui dicitur Stephani mons, et etiam deorsum, ex vtraque parte fluvii Polthiwa, et ab inde per circumitum prefate Civitatis Lemburgensis, vsque ad molendinum Ecclesie Parochialis Sancte Marie Virginis Gloriose, inclusiue quod subtus prefatam Civitatem est situatum, damus, donamus et concedimus plenam et omnimodam facultatem. Preterea molendinum Sancte Marie Ecclesie predicte antiquitus et perpetue ipsi Ecclesie junctum, una cum laneo, quem etiam ipsi

Ecclesie de dictis centum mansis, presentibus adjungimus, ac molendinum Gregorij dicti Stecher civis Lemburgensis, in mensura predictorum centorum laneorum, seu mansorum, similiter volumus permanere. Et vt onera cives predicte Civitatis eo facilius et melius poterint supportare, decem mansos liberos de prefatis centum mansis, absque solutione census, eidem perpetuis temporibus damus et elargimur, cum potestate plenaria vendendi, commutandi, et ad vsus bleneplacitos convertendi, nostro tamen et successorum nostrorum de consensu et beneplacita gracia et voluntate. Adiicientes specialiter et expresse, quod in paludine quodam intra limites et mensuram octuaginta novem mansoram situato, omnes Rutheni ad Castrum nostrum Lemburgense pertinentes, vna cum civibus et incolis prelibate Civitatis, equos et pecora ipsorum communiter depascant, iuxta ipsorum omnimodam voluntatem. Insuper ut eo citius, commodius et facilius sepedicti centum mansi per iamdictos cives et incolas valeant collocari, et in uberiorem redigi condicionem; omnibus et singulis kmethonibus colonisque in predictis centum mansis locandis, ab omnibus nostris solutionibus, exaccionibus, collectis, et depactacionibus vniuersis, infra viginti annorum spacium a data presencium continue computandorum, plenam et omninodam damus, concedimus de gracia nostra libertatem; qua elapsa cives, coloni seu incole octuaginta novem mansorum seu laneorum, de quolibet manso seu laneo solubili duodecim grossos Pragenses in festo Beati Martini singulis annis nobis et successoribus nostris, pro censu et decima soluere tenebuntur. In quorum omnium testimonium et evidenciam clariorem sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum in Staschow feria quinta post festum Sancti Nikolai, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo secundo. Presentibus strenuis et famosis militibus, dominis Swenthopelcone Palatino Siradiensi, Paschcone Zlodzej de Pilchowicz, Petro Gumprecht Palatino Premizliensi, Merkastha de Zirawa, Petro Bruncl. Strata de Kokier, et pluribus aliis fide dignis.

(Eredetie bőrhártyán László opelni herczegnek pecsétje alatt, Lemberg város levéltárában.)

41.

IV. Károly császárnak valamely birodalmi fejedelemhez intézett levele, melyben az I. Lajos magyar és lengyel király és a velenczei köztársaság közti közel háborura vonatkozik. 1372.

Princeps devote dilecte! Sicut de sinistris eventibus tue captivitatis dolendi materiam nostra suscepit affectio; sic novitate tue liberationis audita, causam accepimus gaudiorum, eo quidem de consolatione tua plaudentes alacrius, quod te crebro reperit Imperialis Serenitas fide preditum, et imbutum virtutibus constantie purioris. Verum quia Serenissimus Princeps dominus Ludovicus Rex Hungarie illustris, frater noster carissimus, ex certis legitimis causis Communi Venetiarum et ejus sequacibus guerras movere proponit, nosque simus cum dicto Rege talis et firme fraternitatis et amicitie vinculo federati, vt eum in guerris hujusmodi nulla racione possimus aut etiam velimus dimittere; ideo finali decisione Imperialis Serenitas decrevit dicto Regi, tamquam fratri dilectissimo, in hiis et in alijs incumbentibus sibi negotiis, iuxta nostrum posse adversus dictos Venetos, et signanter Vicarios et Officiales nostros, qui sibi adversari contenderent in guerra presenti, quam ex dilectionis ardore, quo dictum fratrem nostrum prosequimur, et occasione sue justitie, (quam) propriam reputamus, cura sollicita et fraterne dilectionis studio subvenire. Consultum nobis apparet, teque requirimus et hortamur attente, quatenus tu velut a temetipso consultive scribere et intimare deliberes nobilibus Barnaboni et Galeaz de Vicecomitibus, Vicariis Mediolani, nostris et Imperii Sacri dilectis fidelibus, quod ipsi adversus prefatum carissimum fratrem nostrum Regem Vngarie, nobilem Franciscum de Carraris Vicarium nostrum Padue, et alios adjutores Regis ipsius, dicto Venetiarum Communi et eorum complicibus confederationibus (igy), consiliis vel auxiliis nullo modo seu quovis pretextu subveniant, aut aliquo modo suffragentur. Nam qui secus faceret, quod tamen de ipsis et aliis Vicariis nostris non confidimus; tunc adversus tales inobedientes disponimus eidem fratri nostro persona et rebus pariter suffragari. Vnde industria tua

provideat a predictis Mediolanensibus postulare responsum, vt eorum intentione comperta, eo securius dicti carissimi nostri fratris negotia dirigantur. Et ut a tua devotione super hiis omnibus latius informari possimus; volumus, ut statim visis presentibus iter assumens, sis apud nos in Nuremberg, aut in civitate Pragensi finaliter constitutus; provisurus nichilominus, quod tua consilia, sicut premittitur, dictis Mediolanensibus indilate scribantur, nullam in hoc facturus negligentiam, sicut de te Imperialis Celsitudo retinet presumptionem indubiam fiducie singularis.

(A prágai káptalannak könyvtárában lévő H. 3. alatti kézirati codexéből 48. lev.)

42.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy a velencze-paduai differentiák elintézése után a római egyháznak segitségére legyen. 1372.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Quia intelleximus, quod Tua Serenitas certam gentem armigeram in auxilium dilecti filii nobilis viri Francisci de Carraria Militis, in Civitate Paduana Imperialis Vicarii, disposuit destinare, et ... Nuncius Apostolice Sedis adhuc est Veneciis, pacem inter Venetos et dictum Franciscum, de qua non desperat, sollicite procurando: Magnificentiam Tuam, quanto affectuosius possumus, deprecamur, quatenus si dictam pacem, quam multum optamus, contingat fieri, gentem huiusmodi nobis et Romane Ecclesie contra suos hostes et persecutores, contra quos ipsa Ecclesia incipit per Dei graciam multipliciter prosperari, velis liberaliter et graciose concedere pro eo tempore, de quo tue liberalitati videbatur convenire. Super hoc de tuis litteris mandatoriis ac stipendiis sic providendo celeriter, quod ipsa gens in casum dicte pacis ad tuum Regnum ante servicium dicte Ecclesie, de quo disposueris, minime revertatur. Datum Avinione XV. kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

43.

Kereskedelmi egyenetlenségek a velenczei köztársaság és Raguza város közt. 1372.

Anno MCCCLXXII. die XXIII. Decembris. Capta. Cum Raguxei noviter fecerint quendam ordinem in Raguxio, per quem privant nostros Venetos franchisiis et libertatibus, quas habent in Ragusio iam longissimo tempore, prout in eorum catastris ordinate continetur; et per hunc novum ordinem dant nostris Venetis commeatum, ut non conserventur in Raguxio, quia observando dictum ordinem expedit omnino, ut recedant inde; et super hoc scriptum fuit Regiminibus Raguxii, quateuus vellent revocare dictum ordinem, quod facere recusant, ut patet per responsionem per eos nobis factam superinde per litteras suas; et bonum sit super hoc pro honore nostro et bono nostrorum mercatorum providere. Vadit pars, quod ordinetur et cridetur publice in locis solitis, quod elapso mense Januarii proximo aliquis Raguxeus non audeat, nec possit extrahere de Venetiis aliquas mercationes, ponere vel conducere, per se vel alios ullo modo vel ingenio, sub pena perdendi totum id in quo fuerit contrafactum; et ultra hoc cadat quilibet contrafaciens, et quilibet qui taxaret mercationes alicuius Raguxei per aliquem modum vel ingenium ad penas, stricturas ligaminaque conraordinum haveris subtilis.

Ego Johannes Nicolai Rubei manu mea subscripsi.
Ego Nicolaus Delphino manu mea subscripsi.
Ego Franciscus Contareno manu mea subscripsi.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 67. l.)

44.

XI. Gergely pápa I. Lajos magyar és lengyel királyt felkéri, hogy neki és a római egyháznak Visconti Barnabás ellen segitségére legyen. 1373.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Serenitati Tue per

plures Apostólicas litteras, et etiam per Ambaxiatores tuos ad nostram presentiam destinatos, notificasse meminimus, quod nos et Romana Ecclesia cum iniquitatis alumpno et tiranno credulissimo, ac antiquo hoste et persecutore seuissimo dicte Ecclesie, qui ei sepius fregit pacem, habere concordiam nequeuntes, ut alias eius impietates execrabiles, quas contra Deum ac Clerum et populum immaniter patrat assidue, presentibus omittamus, ad ipsius et Galeaz fratris et colligati ac fautoris sui, perpetrantis similia, exterminationem et dissipationem, cum aliquorum fidelium auxilio iutendimus toto posse. Et iam gratia Dei successus prosperos dicte Ecclecie elargitur; sed ad tantum opus maiori auxilio indigemus. Ideoque cum audiverimus, quod nuper Tua Sublimitas certas gentes armigeras in adiutorium dilecti filii nobilis viri Francisci de Carraria militis, in Civitate Paduana Imperialis Vicarii, contra Venetos destinavit; nos considerantes, quod inter prefatos Venetos et Franciscum pacem per nostrum Nuntium assidue procuramus, de qua aliqua spes habetur, devotam Magnificentiam Tuam, in qua semper speravimus et speramus, omni, quo possumus, affectu rogamus, quatenus dictas tuas gentes in casum predicte pacis velis in auxili m dicte Ecclesie contra hostes huiusmodi pro tempore, de quo Regie liberalitati videbitur, destinare. Datum Avinione kalendis Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely papa regestáiból.)

— —

45.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, hogy Della Scala Cangrandet veronai fejedelmet és a florenczi köztársaságot arra birja, mikép a Viscontik ellen segitségére legyen a romai széknek. 1373.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Canissegnorius de Lascala in Civitate Veronensi Imperialis Vicarius sit vicinus terris, quas detinet Bernabos de Vicecomitibus, et eius desolacionem et oppressionem, licet

sit eius cognatus, ut audivimus, formidet et habeat merito formidare, et pro securitate sui status et aliis eius prerogativis, ut a multis creditur, expediret, quod ipse Canissegnorius se contra dictum Bernabonem cum Romana Ecclesia colligaret; que colligatio eidem Ecclesie ad exterminationem prefati Bernabonis sui hostis et persecutoris multum utilis probabiliter redderetur, et nos sepe audiverimus, quod ipse Canissegnorius est tuus devotus precipuus, et libenter tuis consiliis acquiescit, gratum quamplumum haberemus, si Serenitas Tua, si quo modo hoc decenter facere poteris, memoratum Canemsegnorium inducat ad colligandum se cum dicta Ecclesia, vel ad alias ei tribuendum auxilium et favorem. Preterea licet dilecti filii populus Florentinus sint cum dicta Ecclesia colligati, et colligatio huiusmodi tempore nesessitatis eorum, videlicet quando idem Bernabos contra pacta, que ipse et Domus sua habebant cum eis, perverso more suo infideliter veniens, intraverat Tusciam, et molestabat eosdem, et ad eorum instanciam tractata fuerint et firmata, et quando receperunt a quadam societate per dictum Bernabonem submissa conflictum, prefata Ecclesia magnam gentem armigeram destinaverit ad eosdem, guerram propriam, quam tunc habebat pro recuperatione sue Civitatis Perusine, non absque multo damno et periculo dimittendo; in presenti tamen guerra, quam ipsa Ecclesia habere cogitur ex culpa dicti Bernabonis, qui pacem factam cum eo, primo dilectis filiis nobilibus viris Marchionibus Estensibus, nostris in Civitate Ferrariensi Vicariis et cum eadem Ecclesia colligatis, et deinde ipsi Ecclesie, invadendo territoria eiusdem Ferrariensis et Bononiensis Civitatum, spectantium ad Ecclesiam prelibatam, adinventis quibusdam frivolis exsusationibus, noluerunt contribuere, neque volunt in magnum dicte Ecclesie detrimentum. Cumque ipsi populus devotus Tue Celsitudinis asserantur multum; etiam nobis esset acceptum, si decenti modo exhortareris eosdem, quod pro honore et debito ac utilitate ipsorum, cum nullum alium hostem quam dictam Domum de Vicecomitibus habeant formidare, eandem Ecclesiam in tanto onere non relinquant; sed ei dent gentem, quam vigore colligationis huiusmodi ipsi Eccle-

sie debent dare. Datum Avinione kalendis Januarii, Pontificatus nostri anno secundo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

46.

I. Lajos magyar és lengyel király az ujonan kitört háború alatt kalózi jogositványt hirdet a velenczeiek ellen. 1373.

Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. vniuersis et singulis Christi fidelibus quibus expedit salutem in eo, qui Regibus dat triumphum. Nouerint vniuersi ad quorum noticiam peruenerit, quod cum pro sedanda questione et discordia inter Dominum Padue colligatum meum ex parte vna, et Ducem Veneciarum ac Venetos ex altera, sepe et pluries nostros solempnes Ambasciatores misimus ad eosdem conquerentes, quod ipsum Dominum Paduanum, licet adeo consideratum a nobis, offenderint grauius, nullo juris ordine subsecuto, inuiantes enixius ad pacis concordiam et amorem, ne quod pietatis nostre carius habemus visceribus, inhumana sequeretur effusio sanguinis Christianorum; cumque prefati Veneti Diuine obliti potencie, que deposuit potentes de sede et exaltauit humiles, se magis extollerent in ampullosam superbiam; quia ad pacem nunquam se humiliauerunt reformandam, quam quidem ipsi elati in spiritum superbie violarunt: quod dissimulare non valentes vlterius, cum eisdem Regibus et Principibus terre Diuinitus detur, vt comburant superbos, subleuent eciam oppressos; contra predictos Ducem Veneciaeum et Commune Venecie procedentes tam per mare quam per terram Diuino nobis suffragante brachio, a quo Nostre Celsitudinis gladius supplex petit vires, bellicoso nomine potencie vexilla ad flagellandum iam dudum inueteratam superbiam, distrahere proponimus in pios et in piorum confinia quelibet bona et res tanquam inimicorum, eosdem Venetos cnm ingenti exercitu hostiliter invadentes. Quocirca Nos Lodouicus Rex de Culmine Maiestatis Nostre damus et concedimus, in parte item assentimur, largicionem omnibus et singulis volentibus ipsos Venetos et ipsorum bona dampnificare,

subripere et predari per mare et portus, in galeis, in barchis, barchociis et nauigiis quibuscunque, plenam libertatem et omnimodam licenciam et liberam potestatem, quod deinceps possint et valeant ipsos Venetos, et ipsorum bona et res quaslibet in mari et in portibus quilibet dampnificare et offendere, prendere, capere et predari, in galeis, barchis et nauigiis quibuscunque, res bonaque ipsorum per eos ablata et abrepta vendere et in suum vsum conuertere, et profectum pro se suisque debitum obtinere, omnes nostri portus in Dalmacia ad nos pertinentes sint eis aperti et patentes; ita vt quandocunque voluerint et necessitas exegerit, possint intrare libere ipsos portus, et ibi stare et exire quandocunque voluerint. Item concedimus et assentimur, vt licitum sit ipsis descendere in terram, et ire ad castra, ciuitates, oppida, loca et villas quaslibet in Dalmacia causa ibi refrigerium habendi et refrescandi, vt more ceterorum nauigancium victualia quoque oportuna ipsi possint vendere, et emere pro eorum pecuniis in omnibus castris, Ciuitatibus, oppidis, villis et locis quibuslibet nobis in Dalmacia subiectis. Et hec omnia et singula suprascripta volumus esse firma et rata vsque ad guerram finitam, vel quousque ipsi a nobis habuerint aliud in eorum mandatis. In quorum omnium testimonium presentes concessimus litteras nostri sigilli maioris autentici appensione munitas. Datum in Wissegrad die VII. mensis Februari anno Domini MCCCLXXIII.

(XVI. századi kézirati codexből a velenczei Marciana nevű nagy könyvtárban.)

47.

A velenczei kormánytanács eltiltja alattvalóit a Raguzávali kereskedéstől. 1373.

Anno MCCCLXXIII. die secundo Aprilis. Capta: Cum per ea, que habentur per aliquos cives nostros, per indirectum contrafiat intentionibus Terre et ordinibus captis super facto Raguseorum, et bonum sit super predictis providere; vadit pars, quod de cetero aliquis noster civis, subditus vel

fidelis non audeat, possit vel presumat per se vel alios, directe vel indirecte modo aliquo vel ingenio conducere seu conduci facere aliquod havere, res, pannos vel mercationes de Veneciis, vel de aliqua alia parte, ad partes Raguxii, nec ad aliquas alias partes intra Culfum, unde possint conduci Raguxium, sub penis omnibus et stricturis novis contrabanorum; et hoc cridentur publice in locis solitis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 84. l.)

48.

I. Lajos magyar és lengyel király segéd hadakat küld Cavarai Ferencz paduai fejedelemnek Velencze ellen. 1373

1) Historia victorie de Paduanis et Hungaris et Transilvanis cum Voiuoda in partibus Lupe Territorii Paduani.

— — — — — — — — — — — — — — —

— — Erant Hungari III mille etc. Gentes Padue resistere non valentes, vilissime posite sunt in fugam, captivos relinquentes ac vinctos Magnificum et potentem dominum ... Voyvodam Transilvanum Capitaneum Hungarorum, qui erat secundus apud Regem, cum banderario et banderia domini Regis ... nec non alios XXX notabiles milites Hungaros etc.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyből. V. köt. 8.1 .)

2.) Infrascripti sunt carzerati missi a bastitis nostris capti in conflictu dato inimicis die primo Julii MCCCLXXIII. indictione XI. in guerra contra Paduani.

Nobilis vir ser Petrus Grimani Capitaneus Gauzarolaris presentauit die IV. Julii dominum Voiuoda Capitaneum Vngarorum et alii sex milites Hungari.

Nobilis vir ser Franciscus Abocolis presentauit dominus Comes Vbol et alij milites Vngari, item dominus Niger de Nigris Paduanus miles.

Ser Marcus Teldi presentauit alii Hungari.

Nobilis vir ser Johannes Barbadico presentauit Hungari — — — —

Ser Zaninus Alberto et ser Paulus Mauroceno presentauit Bonzauelum de Vigonza de Padua.

Item multi alii presentauerunt multi Hungari capti.

Item fuerunt deputati sex nobiles ad custodiam predicti domini Voivode; videlicet sex omni die, ut secundum in dicto notatorio.

(Az »Estratti dai notatori del Collegio di varie epoche«-ből; 28. l. a velenczei nagy levéltárban.)

49.

I. Lajos magyar és lengyel király a leánya Mária és Zsigmond IV. Károly császárnak fia közt kötendő házasság ügyében. 1373.

Lodouicus stb. cum matrimonii contractum inter Illustres Sigismundum Serenissimi Principis secundo genitum domini Karoli Diuina fauente clemencia Romanorum Imperatotoris Semper Augusti, Bohemieque Regis, fratris nostri carissimi, et Mariam secundo natam nostram, cum eodem fratre nostro nuper iniisse noscamur; quem quidem contractum ab vtraque parcium tam nostris litteris consumpmandum et in effectum deducendum vallauimus, quam eciam corporalibus juramentis nos, vt euidenter luceat intencionis nostre fore per omnia contractum supradictum consumpmare: finaliter tempore et termino in litteris contractus, quas mutuo sibi dedimus, positis et conceptis, eidem fratri nostro karissimo Romanorum Imperatori etc. nec non omnibus, quorum interest vel interesse poterit, bona fide et sine omnis doli scrupulo promittimus et spondemus, quod legaciones nostras solempnes ad dominum nostrum Summum Pontificem quantocyus velimus transmittere, et nos quoad consumpmacionem tractatus hujusmodi sub pena excommunicacionis mandare valeat atque possit. Datum in nostro Regali palatio Wyssegradii sub anno Natiuitatis Domini MCCCLXX. tercio, indiccione XI. die XXI. mensis Junii.

(Eredetie bőrhártyán, a királynak függő pecsétje alatt; a bécsi császári titkos levéltárban.)

50.

XI. Gergely pápa azon keleti hitüek vallásos érdekéről gondoskodik, kik Galicziában a romai egyházzal az uniót elfogadták. 1373.

Gregorius Episcopus etc. dilectis filiis universis et singulis neophytis quarumcunque nacionum in Terra Lemburge et aliis Russie partibus constitutis, salutem etc. Letamur in Domino, filii, et nostrorum cordis holocaustum et labiorum vitulum immolamus, quod de infidelitatis tenebris et heresi ac scismaticis erroribus vos misericorditer eduxit ac produxit ad lumen Catholice veritatis. Eapropter vestrarum animarum obviare periculis, ac vestris consolationi et saluti providere salubriter cupientes, vestris precibus inclinati, dilecto filio ... Vicario dilecti filii Ministri Generalis Ordinis Fratrum Minorum in partibus Russie deputato vobis ministrandi ecclesiastica Sacramenta ac omnibus aliis privilegiis eis ab Apostolica Sede concessis usque ad beneplacitum dicte Sedis utendi, non obstante contradictione venerabilis fratris nostri ... Episcopi Lubuzanensis seu Lubucensis, qui in eisdem partibus ordinariam iurisdictionem habere se asserit, et alterius cuiuscunque, auctoritate Apostolica hodie concessimus facultatem. Quare fidelitatem vestram hortamur in Domino, quatenus conversionis vestre ad fidem Catholicam eximiam gratiam vobis datam a Deo in humilitatis spiritu et virtute constancie recognoscentes, perseverantes sitis in fide prefata, nec ab ea propter temptaciones et scandala recedatis; sed cum invocacione Divine Gracie, per vestre perseverantie, et aliorum vestrorum bonorum operum exempla alios de nacionibus vestris in huiusmodi tenebris et erroribus persistentes ad dictam fidem adducere satagatis, ut post huiusmodi vite exitum non solum vestras, sed eorum animas mereamini Altissimo presentare. Datum apud Villamnovam Avinionensis Diocesis XII. kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno tercio.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

51.

I. Lajos magyar és lengyel királynak szabadalomlevele a thorni kereskedők számára. 1373.

Providis viris Judicibus, Consulibus, Scabinis et Civibus de Torun, amicis suis.

Lodovicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc.

Amici carissimi. Quamvis alias universos mercatores de Torun pro eo, quia vos mercatores Regnorum nostrorum tam in mutacione pannorum et commutacione pecuniarum, quam in aliis factis diversimode perturbatis, ab ingressu Regni Ruscie et Civitatis Lemburge prohibuerimus : tamen nunc peticionibus vestris amicabiliter inducti, eisdem mercatoribus de Torun liberum transitum per stratam publicam tempore olim domini Kazimiri Regis Polonie fatris nostri bone memorie consuetam duximus usque ad nostram beneplacitam voluntatem annuendum. Ita ut dicti mercatores de Torun solutis iustis teloneis amodo et deinceps tute et expedite per ipsam viam publicam alias consuetam ad Rusciam ire possint et redire. Dum autem aliqua racione interveniente dictos mercatores de Torun reinterdicere voluerimus, tunc vobis et eis ante sex menses huiusmodi intencionem nostram prescire faciemus, ut per ipsos sex menses ijdem mercatores sua bona de dicta Ruscia extrahere possint sine dampno. Requirentes vos affectuose, ut mercatores nostros et Regnorum nostrorum ea benignitate et favore pertractare velitis, quibus nos vestrates pertractabimus, et quibus tempore olim ipsius fratris nostri specialiter in premissis mutacionibus et commutacionibus fuere prosequuti. Datum Cassovie in octava festi Beati Michaelis Archangeli anno LXX. III.

(Eredetie bőrhártyán Thorn város levéltárban.)

52.

I. Lajos magyar királynak védlevele a thorni kereskedők számára. 1373.

Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. fidelibus suis universis Prelatis, Baronibus, Capitaneis, Castellanis, Militibus, Nobilibus et Teoloniariis, aliis eciam cuiusvis status et preheminencie Regni sui Polonie hominibus, Regiam graciam cum favore. Cum nos habita deliberacione cum domina Regina genetrice nostra karissima annuerimus, ut mercatores de Torun ad Rusciam per stratam publicam tempore olim domini Regis Polonie fratris nostri consuetam, solutis iustis tributis procedere possint et abhinc redire salvis suis rebus et personis, ita ut dum eosdem mercatores ab ingressu ipsius Regni Ruscie prohibere voluerimus, tunc ante sex menses eis presciri damus nostram in hac parte intencionem, ut per ipsos sex menses de ipsa Ruscia extrahere valeant sua bona sine dampno. Mandamus igitur fidelitati vestre per presentes, quatenus a modo et deinceps dictos mercatores de Torun iuxta premissam nostram commissionem cum suis mercanciis ad Rusciam, receptis iustis teoloniis ire permittatis semper et redire libere et expedite, et dum eos ab huiusmodi via forsitan aliqua racione prohibueritis, tunc eis detis inducias sex mensium, per quos iidem de dicto Regno Ruscie, excipere possint suas res sine molestia aliquali. Et aliud pro nostra gracia non facietis. Datum Cassovie in octava festi Beati Michaelis Archangeli anno domini M.CCC.LXX. tercio.

(Eredetie Thorn város levéltárában.)

53.

I. Lajos magyar és lengyel király Lengyelországban. 1373.

Ludovicus stb. Capitulo Ecclesie Agriensis stb. Dicit nobis Nicolaus filius Georgij de Telekus Aule nostre juuenis, quod quedam litteralia instrumenta super ipsa possessione sua Telekus vocata confecta stb. (levél-kerestető parancs).

Datum in Grodua loco venacionis nostre feria sexta proxima post festum Beati Ztanyzlaij martiris anno Domini M.CCC.LXX. tercio.

(Szepesi Jakab országbirónak 1372-ki átiratából a budai kir. kamarai levéltárban.)

54.

László opelni herczeg s I. Lajos magyar és lengyel király galicziai kormányzójának Gwozdziecz helységet tárgyazó feudalis adománya Galicziában Loiowicz Chodko számára. 1373.

In nomine Domini Amen. Decet Excellentiam Principum, suorum subditorum commodis et utilitatibus intendere, ut dum eorum profectibus invigilant, ipsos in honoris sui promotione et seruicijs sentiant promptiores. Nos igitur Vladislaus Dei gratia Dux Oppoliensis, Dominus Vieluniensis et Russie etc. ad perpetuam rei memoriam volumus devenire, quod inspectis dignis et fidelibus obsequiis per Chodkonem Loiowicz fidelem nobis exhibitis et adhuc futuris temporibus nobis et nostris successoribus eo fidelius exhibendis, maturo nostrorum Seniorum prehabito consilio diligenti, de nostre largitatis munificentia eidem Chodkoni et suis heredibus atque legitimis successoribus villam nostram dictam Gozdzecz prope fluvium dictum Czarnawa in Districtu nostro Colomiensi cum omnibus suis pertinentiis, juribus et dominiis, proventibus, obventionibus, censibus et emolumentis, prout eadem villa in suis metis et granicijs est situata circumferentialiter et distincta, cum agris cultis et incultis et de nouo extirpandis, cum siluis, mericis, nemoribus, rubetis, aucupationibus, venationibus, pratis, pascuis, molendinis, stagnis, piscinis, montibus, collibus, planiciebus, aquis, aquarumve decursibus, ceterisque omnibus adherentiis, utilitatibus et usufructibus pronunc in dicta villa existentibus, vel temporibus successivis ex eadem prouenire valentibus, damus, conferimus, donamus et approbamus eidem Chodkoni et suis heredibus et legitimis successoribus hereditarie, jure feudali, ea libertate et consuetudine, qua ceteri vasalli nostri possident sua bona, perpetuis

temporibus possidendam, tenendam, habendam, vendendam, obligandam, donandam, alienandam, immutandam, et ad usus beneplacitos conuertendam. Hoc tamen excluso, quod singuli cmethones in dicta villa residentes nobis et nostris successoribus singulis annis ad festum Sancti Martini confessoris duos grossos latos soluere pro censu nostre Camere sint astricti, et quod prenominatus Chodko aut sui successores de prescripta villa nobis aut nostris heredibus, quotiescunque ad expeditionem generalem in Terra Russie vocatus fuerit, cum una hasta et uno sagitario cum armis bene preparatis in equis valentibus tenebitur deseruire. Promittimus insuper prenominato Chodkoni ac suis successoribus, quod si captus vel capti fuerint sub nostro balmario (így) in exercitu nostro, seu aliqua damna in equis interfectis perceperint ab hostibus nostris, ipsum vel ipsos ab huiusmodi captiuitate liberare. In cuius rei testimonium presentes scribi fecimus et nostri sigilli maioris munitione roborari Actum et datum in Jaroslaw feria quinta post diem Sancte Lucie virginis gloriose anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo tertio. Presentibus his strenuis Bohyncono Magistro nostre Curie, Merbathe de Odiowicze, Fencone de Kunczowicze, Chodkone de Riblicz, Leone de Dworkowicz, Sienkone Castellano Lamburgensi, et Johanne de Glogouia nostro Prothonotario.

(A »Zapisy tribunalu Lubielskiego« czimű törvénykezési copialis könyvből a varsói kir. lengyel levéltárban XXX. köt. 243. l.)

55.

XI. Gergely pápa Guillermot sienai püspököt és apostoli nunciust meghatalmazza arra, hogy a római szék nevében I. Lajos magyar és lengyel királylyal szövetséget kössen, a Viscontik és az egyház egyéb ellenségei ellen. 1374.

Gregorius Episcopus etc venerabili fratri Guillermo Episcopo Senensi Apostolice Sedis Nuncio etc. Quoniam funiculus triplex difficilius rumpitur, et per strictiorem unionem fidelium malignantium ausus reprimuntur, ac status reipublice solidatur: nos intendentes ad statum Romane Ecclesie

sponse nostre, et alias publicum presertim partium Italie conservandum, et favente Deo prospere promovendum, de tuaque fraternitate in hiis gerentes in Domino fiduciam pleniorem: tibi nomine nostro et dicte Ecclesie ac successorum nostrorum Romanorum Pontificum cum carissimo in Christo filio nostro Ludovico Rege Vngarie illustri, et cum aliis quibuscunque tam Nobilibus et Dominis ac Officialibus, quam Communibus et Vniuersitatibus quarumcunque Civitatum, Castrorum, Terrarum, et locorum, seu cum procuratoribus et sindicis eorundem ad hoc ab eis mandatum habentibus speciale, tractandi, ineundi, faciendi, ordinandi et firmandi confederationem, colligationem seu ligam usque ad tempus, de quo videris expedire, cum illis conventionibus, modis, formis et articulis, de quibus tibi videbitur, duraturas, ac offerendi et promittendi nomine nostro et dicte Ecclesie supradicte certas gentes armigeras equestres et pedestres, vel pecunias, de quibus tibi videbitur, pro defensione Provinciarum, Civitatum, Terrarum Castrorum, villarum et locorum, ac jurium, jurisdictionum, et bonorum dicte Romane Ecclesie, eiusque subditorum et fidelium, nec non omnium et singulorum colligandorum et recipiendorum in huiusmodi confederatione, colligatione seu liga; et contra Bernabonem et Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano fratres, hostes et persecutores dicte Romane Ecclesie, suorumque subditorum et fidelium, devotorum ac colligatorum, et contra eorundum fratrum colligatos, fautores, defensores, sequaces et adherentes, et alios quoscunque presumentes, seu qui presument imposterum dictam Romanam Ecclesiam, eiusque colligatos, valitoros, fautores, sequaces et adherentes, et colligatos cum eis, ipsorumque colligatorum subditos, Civitates, Terras, Castra et loca, villas, nec non jura, jurisdictiones et bona, in Italia dumtaxat consistentes et consistentia invadere, occupare, turbare, impedire, molestare et gravare, et pro eorundem invadentium, occupantium, turbantium, impedientium, molestantium seu gravantium, seu invadere, occupare, turbare, impedire, molestare et gravare volentium, et cuiuslibet eorum repressione, impugnatione, molestatione, invasione et subiugatione, secundum quod eisdem colligandis videbitur expedire, et quascunque promissiones,

obligationes, stipulationes, firmitates et renuntiationes cum adiectione pene, de quibus tibi videbitur, faciendi et recipiendi, ac pro hiis obligandi dictam Romanam Ecclesiam, eiusque Provincias, Ciuitates, Castra, Terras, villas et loca ubicunque in dicta Italia consistant, et alia faciendi, que in premissis et eorum quolibet, ac circa ea, circumspectioni tue videbuntur oportuna et utilia, plenam, omnimodam, generalem et liberam, ac specialem tenore presentium auctoritate Apostolica concedimus potestatem; ratum et gratum habituri, quidquid per te in premissis et eorum quolibet ac circa ea tractatum, ordinatum, firmatum, oblatum et promissum, et alias factum fuerit sive gestum. Datum Avenione VII. idus Januarii Potificatus nostri annno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

56.

I. Lajos magyar és lengyel királynak XI. Gergely pápa, az idősebb leánya és Lajos, V. Károly franczia királynak második fia közt kötendő házasság tárgyában. 1374.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Dilectum filium Symonem de Pata Nuncium tuum, latorem presentium, benigne recepimus, et audivimus pluries spaciose, pluresque litteras Regias et supplicationes nobis pro tua parte presentatas per eum, quas prudenter et fideliter in commissis sibi habuit, perlegimus et pleno suscepimus intellectu. Ad quas respondemus, quod carissimo in Chirto filio nostro Carolo Regi Francie illustri causam Tue Dilectionis mittendi tuos Ambaxiatores solennes ad Romanam Curiam pro tractandis matrimoniis pro filiabus tuis et natis dicti Regis, eidem Regi duximus intimandam; et cum honesta sit causa huiusmodi, proinde Regiam providentiam commendamus, rogantes cordialiter Deum, ut de prole masculina te tuaque Regna, et Ecclesiam Dei dignetur misericorditer consolari, ad sui laudem et gloriam, ac defensionem ejusdem Ecclesie et fidei Christiane. Et vere hoc audire totis nostris desideriis affectamus. Ceterum

quia et gravitas Apostolice Sedis de Ecclesiis nondum vacantibus non consuevit, sicut nec decet, spem dare aliquibus, si de Ecclesiis Cathedralibus Regnorum tuorum, quas scripsisti credere de primo vacaturas, non respondemus ad presens, id moleste non ferat Regia Celsitudo; sed pro certo teneas, quod in hiis, in quibus honeste poterimus, votis tuis libenter curabimus complacere. De negocio autem Monasterii Scepusiensis Ordinis Cisterciensis Strigoniensis Diocesis, cui iam de Abbate ydonco provideramus; et de similibus, de quibus nobis supplicatio pro parte Tue Magnitudinis fuit exhibita, per aliquos Prelatos Regni tui, quibus super hoc scribimus, quia materia talis sic exigit, ordinavimus Regie Celsitudini responderi. Datum Avinione VI. idus Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

57.

XI. Gergely pápa de Lupis Bonifáczot felkéri, hogy Magyarországban Guillerm sieniai püspök és apostoli nuncius misszióját támogassa. 1374.

Gregorius Episcopus etc. dilecto filio nobili viro Bonifacio de Lupis Militi Parmensi salutem etc. Prudentiam tuam et devotionem sinceram, quam geris ad Romanam Ecclesiam, sepe gratanter audimus testimoniis fidedignis; propter que de tuo servitio in oportunis casibus impendendo eidem Ecclesie confidimus et speramus. Quare cum intellexerimus, te apud carissimum in Christo filium nostrum Ludovicum Regem Vngarie illustrem presentialiter immorari; nobilitatem tuam rogamus attente, quatenus super hiis, pro quibus venerabilem fratrem nostrum Guillermum Episcopum Senensem Apostolice Sedis Nuncium ad dictum Regem transmisimus, apud ipsum Regem insistas persuasionibus, consiliis et precibus oportunis, et alias ipsi Nuncio assistas, sicut videris expedire. Datum Avinione VI. idus Januarii, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

58.

Markard aquilejai patriarkának szövetsége az austriai herczegekkel minden ellenségek ellen, a pápa, a császár és a magyar király kivételével. 1374.

Wir Marquard von Gocz genaden Patriarch des heiligen Stuls ze Aglay veriethen vnd tun kunt offenlich mit disem brief allen den die in sächent, lesent oder hörent lesen, daz wir mit den Hochgeborn Fürsten vnd hern Herczog Albrechten vnd Herczog Liupolden, Herczogen ze Oesterreich, ze Steyr, ze Kernden vnd ze Krain, Grafen ze Tyrol etc., vnd si mit vns, fruntlich vberain komen sein in der weis, als hernach geschriben stat: Wär daz si in der zeit vnd wir Patriarch sein, ain offen Krieg angieng in iren Landen, die an vnz stozzend, vnd sunderbar an der Esch vnd in dem Intal, so sulle wir in, wann si vns baid dez ermanent, beholffen sein an geuerd mit funzig mannen mit Spiessen, in denselben Landen drey Monat vnd nit mer auf vnser Kost vnd schaden. Wär aber daz si derselben vnser Leut fürbaz bedörfften, so die drey Monat vffgiengen; so mügent si die behaben mit irem sold ann vnsern schaden. Wär ouch daz man mit gewalt in die vorgenanten Land ziehen wölt, so sulle wir in beholffen sein mit allem dem so wir mügent an geuerd. Wir verbinden ouch mit diser Fruntschafft vnser Goczhus vnd vnser Land ze kainer hilff vnd ze kainen andern sachen, dann daz si den Frid stät haben sullen, den die vorgenanten Hern von Oesterreich vnd wir gemacht hannd, vnd alz derselb Fridbrief sagt; vnd tun daz darumb, daz wir si in kainen Krieg werffen wellen, wa wir ez mügen übrig werden. Vnd die vorgenante hilff welle wir in tun von vns selb, vnd mit vnsern Frunden vnd besundern dienern. Daz selb sullen si gen vns herwider tun, alz si baid vns dez ir brief gegeben habent. Wir nemen ouch in den vorgenantes sachen auss vnsern Hailigen Vater de Baubst vnd den Stul ze Rom; vnsern hern den Kayser vnd seine Kind, v n s e r n h e r n d e n K u n i g v o n V n g e r n. Vnd wölten die vorgenanten Herczogen von Oesterreich mit dem Kunig von Vngern kriegen, so sulle wir darunder stil siczen. Wir nemen ouch vss den

Erbern hern Graf Menharten von Görcz, mit dem vnser Land verbunden ist, vnd er mit im. Vnd darumb zu vrkund vnd sicherhait hiezze wir vnser Insigel henken an disen brief, der geben ist zu Sant Veit in Kernden an dem achzehenden Tag des monads Januarij nach Kristes geburt driuzehen hundert Jar vnd darnach in dem vier vnd sibezigesten Jar.

(Eredetie bőrhártyán, a bécsi császári titkos levéltárban.)

59.

XI. Gergely pápa de Podio Simont perugiai nemest ajánlja I. Lajos magyar és lengyel királynak. 1374.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Regi Vngarie illustri salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Symon de Podio Miles Perusinus, lator presentium, qui in tuis negotiis, prout sepe perpendimus, promotor fidelis existit, ad presentiam accedit ad presens; eum tanquam bene meritum Tue Regie Celsitudini commendamus, sibique imposuimus, quod ex parte nostra Pietatem Tuam precetur instantius, ut negotia Romane Ecclesie contra hostes suos, que sunt in bona dispositione, si magnifice illa suscipias, filiali promptitudine habeas commendata. Super quibus precibus dicti Militis, imo nostris digneris gratiose annuere, ut speramus, et dicto Militi dare fidem. Datum Avinione XV. kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

60.

De Podio Simon, diplomacziai ügynök a római szék és a magyar udvar közt. 1374.

Gregorius Episcopus etc. venerabili fratri Guillermo Episcopo Senensi, Apostolice Sedis Nuntio salutem etc. Cum dilectus filius nobilis vir Symon de Podio Miles Perusinus, lator presentium, qui pro matrimoniis tractandis inter natos et natas carissimorum filiorum nostrorum . . . Francie et . . .

Vngarie Regum illustrium in Curia nostra diutius moram traxit, ad presentiam dicti Regis Vngarie accedit ad presens; sibi imposuimus, quod negotia Romane Ecclesie, que prosequeris, dicto Regi attentius recommendet. Ideoque cum de ipsius Militis fidelitate ac prudentia confidamus, sibi facta et motiua nostra confidenter communices, prout videris expedire. Datum Avinione XV. kalendas Februarii, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

61.

Visconti Galeazzo a milanoi fejedelem testvérének a florenczi köztársaság. 1374.

— — — — — — — — — — — —

— — — Per ea que de loco fide digno sentimus, et de Avinione fuit nobis secretissime nunciatum, in tractatu pacis iniende cum Magnifico fratre vestro, scimus per ecclesiasticos verba dari. Nam Ciuitas Vercellarum et alie terre, quas in Lombardia tenet Ecclesia, offeruntur Regi Vngarie in nidum belli, contra ipsum in suis finibus multa clade et oportunitate gerendi. Cui Regi eciam votiua disposicio de factis Regni per Papam, quod hactenus noluit, consentitur. Et scimus Dominum Paduanum iturum, aut Ambaxiatores solemnes transmissurum ad Regem, vt defensionem Ecclesie in Italia suscipiat, et in potenti brachio sine mora descendat. Et de hoc videtur per Dominum Paduanum Pape certissima spes offerri. — — — — Data Florentie die VIIII. Martii.

(A »Signori, Carteggie Missive, Registri della Cancellaria« XV. kötegében 26. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

62.

IV. Károly császárnak XI. Gergely pápa, hogy az Albert ausztriai herczeg, és Violancza Visconti Galeaznak leánya közt tervezett házasságot akadályoztatni igyekezzék. 1374.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori Semper Augusto salutem et Apostolicam benedictionem. Dudum, fili carissime, cum sensissemus fidedigno relatu, quod Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano solita sua presumptione temptabat, quod eius filia dilecto filio nobili viro Alberto Duci Austrie matrimonialiter copularetur; quod nec Romane Ecclesie, nec Imperio, nec etiam tuo Regno Boemie expediret; nec etiam posset licite fieri, cum exigentibus culpis grauissimis eiusdem Galeaz et Bernabonis fratris sui, pessimorum Tirannorum, omnia matrimonia suorum natorum et natarum cum quibuscunque Magnatibus sint per nostros processus, quos dudum publice fecimus, interdicta, et non esset matrimonium sed contubernium detestandum; ipsumque Ducem tam ex sua bonitate, quam ex tua inductione sincera, nostrum et dicte Ecclesie filium deuotum reputaremus, prout reputamus; et ipse Dux, et etiam dilectus filius nobilis vir Leupoldus frater eius sepius nobis scripsissent, et Nuntiis nostris dixissent, quod nunquam fauerent Tirannis eisdem, ymo nobis seruire magnifice etiam cum persona alterius eorum obtulissent promptitudine filiali. Et propterea non credebamus, quod idem Albertus ad talia indecentia aures sue puritatis inclinaret. Nichilominus tamen, quia praua corruptorum consilia sepe deprauant et errare faciunt mentes puras, et tuum sanum consilium erga ipsum Albertum Ducem, quem ut prius carum filium Tuo Culmini extimauimus, multum valere non indigne putauimus; Imperialem Serenitatem rogauimus attentius, quod apud eundem Ducem, si expediret, efficaciter operareris, quod si ita esset, talibus temptacionibus minime acquiesceret, ymo temptantes debitis obiurgationibus procul pelleret, et post filiam gloriosi Imperatoris non reciperet de facto filiam talis viri; per hoc dando gloriam et fauorem inimico dicte Ecclesie ac malo

Christiano, contra quem pendebat, prout pendet, processus de ehresi, vt est omnibus diuulgatum; et matrimonium huiusmodi nullum esset, et ipse Dux excommunicatus, et terre sue supposite essent ecclesiastico interdicto, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem nuper audiuerimus fide digno relatu, quod in dicto tractatu proceditur sicut prius, quod plurimum moleste ferimus et ferre debemus; memoratum Albertum per nostras litteras iterum, quanto cordialius possumus, deprecamur, quod super eodem tractatu de cetero non procedat. Quare Serenitatem Tuam affectuose rogamus, quatinus ob reuerentiam Dei, ac Apostolice Sedis et nostram, prefatum Albertum uelis cordialiter inducere, quod ad complementum tractatus huiusmodi non procedat; ita vt, quod ab ipso et fratre suo in filialibus verbis, quibus credebamus, habuimus, possimus in factorum certitudine experiri, nec cogamur ad declarationem nullitatis huiusmodi de facto matrimonii, si fieret, ac sententie excommunicationis in personam eiusdem Ducis, et interdicti in terras eiusdem procedere, necessitate dicte Ecclesie ac justitia exigente. Nos copiam litterarum, quas dicto Alberto super hoc dirigimus, mittimus presentibus interclusam. Datum Avinione V. kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

Kivül : Carissimo in Christo filio Carolo Romanorum Imperatori Semper Augusto.

(Eredetie bőrhártyán a bécsi császári titkos levéltárban.)

63.

XI. Gergely pápa Albert ausztriai herczeget eltiltja a Violancza, Visconti Galeaz leányával kötendő házasságtól. 1374.

Gregorius servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberto Duci Austrie salutem et Apostolicam benedictionem. Heri quandam litteram Tue Nobilitatis recepimus, in qua nobis scripsisti, quod ex certis causis in ea scriptis, et ex aliis per dilectum filium Johannem de Constantia in Romana Curia procuratorem, latorem presentium, pro parte tua et sub credentia in eadem littera attributa, nobis prudenter ex-

positis, natam Galeaz de Vicecomitibus de tuorum Baronum et fidelium consilio decreueras recipere in consortem. Que quidem cause in his effectualiter consistebant; videlicet haberes maiorem causam prefatum Galeaz ad nostram et Apostolice Sedis obedientiam reducendi, alioquin esses eius durior inimicus; et ut tollerentur crebre dissensiones, que inter tuos et ipsius Galeaz officiales in confinibus mutuis continue emergebant; et quia factis scrutiniis seu explorationibus in domibus Principum nulla reperiebatur tibi coniungenda, ex qua prolem de proximo sperare valeres. Ad quas breuiter respondemus : quod idem Galeaz utique superbus, et Sacrosancte Romane Ecclesie, tue et cunctorum fidelium Matris, et aliarum Ecclesiarum et personarum ecclesiacticarum seuissimus persecutor et hostis, pro suaque possibilitate destructor, si tuam affinitatem haberet, quod absit, cum sis diues et potens, sibique vicinus, esset de suo statu tirannico magis tutus, et contra easdem Ecclesias et populos Imperii, quos opprimit diro iugo tirannice seruitutis, superbior et seuior procul dubio redderetur, et ad hunc finem id tota sua calliditate procurat. Et sic tu etiam eum non iuuando, vt asseris; tamen quia timereris a miseris Lombardie populis, causa existeres tanti mali, et iste quem videris velle seruare, foret ordo preposterus manifeste. Nam si ante contractum matrimonium se ad debitam reuerentiam Ecclesie non inclinet, post illud id faceret multo minus, tuque suscepta affinitate omitteres et doleres tuam illustrem et deuotam progeniem commixtione talis sanguinis fedauisse. Preterea sicut a fidedignis hoc scientibus audiuimus, in nulla vel modica parte tue cum terris, quas idem Galeaz detinet, se contingunt; nec inter te ac tuos, et ipsum fuerunt guerre hactenus, nec propter contiguitatem terrarum verisimiliter possent esse; et de hoc a tuis fidelibus veridicis, non ab aliis, qui tue puritati talia mendaciter asserunt, velis te plenius informare. Et si guerram haberes cum eo, tu es eo multo potentior, et iam ipse per Dei gratiam debilitatus est multum, et speratur deduci ad infirma, ut meretur. Nec credimus, quod mundus sit ita sterilis, quin de Domibus Principum saltem multum nobiliorem, quam sit genus dicti Galeaz, utique simpliciter militare, valeas reperire consortem. Potes nempe re-

cordari, quomodo per tuos solennes Ambaxiatores et litteras, quas habemus, nobis pluries notificasti, et quibusdam nostris Nunciis narrasti, quod multo modo prestares dicto Galeaz, et Bernaboni fratri suo, auxilium vel fauorem; et quantus sit fauor, tuam magnificentiam et potentiam inclinare, et ire personaliter ad domum et presentiam talis viri, tot facinoribus et vinculis alligati, ducereque nobilium et aliarum gentium multitudinem gloriosam, etiam cum armis, ut in talibus solet fieri, eumque ostendere tuis benevolentia, parentela et auxiliis, ac fauoribus et potentia communitum. Nos satis agnoscimus, et tua tuorumque providorum et fidelium Consiliariorum prudentia debet iusto iudicio iudicare, considerareque, quid preter Diuinam offensam de te dicetur per mundum, si in tuis honestis oblationibus et promissionibus deficias vicario Jesu Christi, et contrarium operеris. Attende igitur, fili, quem sincere dileximus, atque diligere semper intendimus, si tali pudoroso et contemptibili modo a filiationis tramite nostro discedas, quod ipse Galeaz predecessorum suorum perfidiam perfidior mutans in multiplicibus verbis et factis sacrilegis et horrendis, se malum Christianum ostendit; propter quod processum super fide fecimus contra eum, et cum amodo tempus annale, in quo excommunicationem in causa fidei animo contumaci sustinuit, sit elapsum, intendimus de proximo ad citationem et sententiam super heresi procedere, ut est iuris. Tua quoque devotio ignorare non debet, quod pronunciato per nos dicto Galeaz in causa fidei contumace, propter hoc et alios gravissimos suos excessus, vniuersis et singulis Principibus et Ducibus per nostram sententiam, et auctoritate Apostolica districtius inhibuimus, ne cum eodem Galeaz damnato, ac sacrilego et persecutore dicte Ecclesie, et excommunicato in causa fidei prelibate, et de heresi ex iustis causis suspecto, aut cum eius filiis et filiabus presumerent contrahere vel inire matrimonium, affinitatem, parentelam, ligam, aut aliam confederationem quamcunque; alioquin omnes et singulos contrafacientes excommunicauimus, et eorum terras supposuimus ecclesiastico interdicto, ac matrimonia seu potius contubernia, si qua contra inhibitionem huiusmodi, scienter vel ignoranter forsitan contraherentur, irrita duximus decernenda; et huiusmodi processum, inhibitionem et sententiam non solum in

Romana Curia, sed in diuersis terris tuis, et Italie, et Alamanie partibus fecimus publicari, et tibi nihilominus intimauimus per nostras litteras speciales. Vnde tua sincera hucusque deuotio diligenter aduertat, si velis pro matrimonio execrabile contubernium acceptare; si in claritate tue Domus inextricabilem ponere maculam sic horrendam; si a deuotione tua recedere, quam semper ad Deum et prefatam Ecclesiam ostendisti; si etiam velis gener, licet non esses, hominis tam nefandi et heretici appellari; et sustinere, quod nati tui sententiis, quibus ligantur hereticorum posteri, astringantur, et quod predicetur per mundum, quod hoc in contemptum Clauium, que Celum claudunt et aperiunt, deuotus usquequaque Princeps duxeris presumendum? Existimatur siquidem, quod tua puritas ad hoc a quibusdam tuis corruptis Consiliariis, aliis tamen probioribus et sapientioribus contradicentibus, sit seducta; quibus seductoribus credere in talibus non deberes. Et si speres magnam dotem pecunialem habere; iam in similibus est probatum, quod tales pecunie, sicut male veniunt, sic male et inutiliter euanescunt. Sciasque indubie, fili, quod tantum conceptum non poterimus, sicut nec debebimus, equanimiter tolerare; et nedum, quod nolimus, prout non debemus, eandem natam dicti Galeaz, et tuam et suam prolem a sententiis, quibus ligatur et alligabitur idem Galeaz, immunes reddere, vt Johannes prefatus pro tua parte petiit; quin etiam contubernium huiusmodi non esse matrimonium, et per consequenter prolem procreandam non esse legitimam, teque excommunicatum et fautorem talis viri nequam et damnati, ac terras tuas omnes suppositas esse ecclesiastico interdicto. Et postquam idem Galeaz erit velut hereticus condemnatus, fautorem heretici, cum fauor sit tibi talis, licet de facto fiat coniunctio, tam in Romana Curia, quam per Alamaniam, Franciam, Italiam, Vngariam, et alias partes mundi faciemus auctore Deo, cuius sumus in terris vicarius, publice nunciari. Hoc tamen faciemus inuiti: sed ad id debitum justitie et nostri pastoralis officii nos compellet; prout idem Johannes hec et alia tibi latius exponet oraculo viue vocis. Insuper tibi tenore presentium districtius inhibemus, ne ad tractatum seu contractum huiusmodi conuentionis illicite quoquo modo pro-

cedas, nec ad dictum Galeaz, nec ad suos, nec etiam ad terras quas tenet accedas; et si accessisti, et in eis existas, abinde incunctanter abscedas. Alioquin te excommunicationis vinculo innodamus, et omnes tuas terras supponimus ecclesiastico interdicto. Et si tu, tuique consanguinei et Consiliarii super hiis iuramenta forsitan prestitisti, et promissiones ac obligationes fecistis : illa et illas tanquam iniqua auctoritate predicta relaxamus, et vos absoluimus ab eisdem. Datum Auinione V. idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápának a fentebbi levélnek átiró, és annak tartalmát megujító 1374. junius 23-ki leveléből, mint alább 70. sz. alatt. Ugyanazon értelemben XI. Gergely már ugyanazon 1374. évi martius 29-én irt Albert ausztriai herczegnek, mely levélnek eredetie találtatik a bécsi császári titkos levéltárban.)

64.

Contarini Endre velenczei dogének Frangepán István a Segniában felállitandó velenczei consulatus ügyében. 1374.

Serenissimo Principi et Domino, domino Andree Contareno Dei gratia inclito Duci Venetiarum etc. nostro amico honorando.

Serenissime Princeps et Domine. Salutationis honorificentia premittente Vestre Magnificentie Ducali, quam erga nos semper reperimus gratiosam, duximus tenore presentium declarandum, quod sicut providus vir dominus Guilelmus, Notarius et Ambaxiator vester, huc ad nostri presentiam accedens, nobis pro vestri parte de facto Consulatus et erectione seu elevatione vexilli oretenus exposuit; ita vestri intuitu amoris et requisitionis ad hoc consensimus, et plene fecimus, ut idem Ambaxiator vester vobis de hoc poterit enarrare distintius, paratos nos pro posse nostri honoris semper habentes (ad queque vobis grata. Datum Segnie XXVI. Aprilis.

Stephanus Comes Vegle, Modrusse etc.

A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 195. lap.)

65.

Contarini Endre velenczei dogének Frangepán János ugyanazon ügyben. 1374.

Serenissimo Principi et Domino domino Andree Contareno Dei gratia inclito Duci Venetiarum, Domino et amico honorando.

Serenissime Princeps, Domine et amice honorande. Votive salutacionis honorificentia intellecta, Ducali Magnificentie Vestre, quam erga nos semper reperimus graciosam, duximus tenore presentium declarandum, quod sicut providus vir dominus Guilelmus Filippi, Notarius et Ambaxiator vester huc ad nostri presentiam accedens, nobis pro vestri parte de facto Consulatus et elevatione vexilli Segnie residentium, oretenus exposuit: ita vestri amoris intuitu et requisitione ad hoc consensimus et plene fecimus, ut idem Ambaxiator vester vobis de hoc abilius poterit oretenus enarrare, paratos nos iuxta posse nostri honoris semper nobis habentibus ad queque vobis grata. Datum Segnie die XXVIII. Aprilis.

Johannes Comes Vegle, Modrusie atque Gezeghe.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VII. köt. 195. l.)

66.

A lengyelországi püspökségek a magyarországi egyházi jogtól eltérő módon töltetnek be. 1374.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludouico Vngarie et Polonie Regi illustri salutem etc. Gratie Diuine premium, et humane laudis preconium acquiritur, si per seculares Principes Prelatis presertim Ecclesiarum Cathedralium regimini presidentibus oportuni fauoris presidium et honor debitus impendatur. Dudum siquidem prouisiones omnium Ecclesiarum Cathedralium tunc apud Sedem Apostolicam vacantium et in antea vacaturarum ordinationi et dispositioni nostre reservantes decrevimus extunc irritum et inane, si

secus super hiis per quoscunque quauis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero Ecclesia Gneznensi ex eo apud dictam Sedem vacanti stb.; Nos ad provisionem eiusdem Ecclesie Gneznensis celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis stb. Johannem Decanum Ecclesie Cracouiensis eidem Gneznensi Ecclesie preficimus in Archiepiscopum et pastorem stb. Cum itaque, fili carissime, sit virtutis opus Dei ministros benigno favorę prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis Eterni gloria venerari: Serenitatem Regiam rogamus, et hortamur attente, quatenus eundem Electum, et prefatam Ecclesiam Gneznensem sue cure commissam habens pro nostra et Apostolice Sedis reverentia propensius commendatos, ipsos benigni favoris auxilio prosequaris; ita quod idem Electus Tue Celsitudinis fultus presidio, in commisso sibi cure pastoralis officio possit, Deo propicio, prosperari, ac tibi exinde a Deo perennis vite premium, et a nobis condigna proveniat actio gratiarum. Datum apud Villam Novam Avinionensis Diocesis IIII. kalendas Maii, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

67.

Visconti Barnabás milánói fejedelemnek a florenczi köztársaság. 1374.

Magnifice et Excelse Domine, frater karissime. Alias meminimus vobis scriptum, quod Papa Regis Hungarie subsidium implorabat, et quod Dominus Paduanus erat futurus harum conventionum et tractatuum mediator. Nunc autem totum secreti fomitem habuimus, quod vobis interclusum presentibus destinamus, ut Fraternitas Vestra cognoscat, que et quanta contra Vos et nos per clericorum astutiam procurentur. Et cum visa fuerint nobis fore magni periculi; et eciam cum de Hungaria nuper littere fuerint ad quosdam mercatores Florentinos his diebus proximis destinate, quibus vnum Sacre Theologie Magistrum Apostolicum Nuncium esse in his tractati-

bus cum Maiestate Regia nunciatur : visum nobis est Ambaxiatores nostros confestim in Hungariam destinare, ut hanc perniciosam nobis et toti Italie concordiam diruamus, et fauorem Regium pro nobis, quantum fuerit possibile, procuremus. — — — — — — — — — — — —

(A »Signori, Carteggie, Missive, Registri della Cancellaria« XV. kötegéből 57. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

68.

A velenczei kormánytanács eltiltja a velenczeieket a Cattaróval folytatandó kereskedéstől. 1374.

Anno MCCCLXXIV. die XI. Junii. Capta: 'Quod cridetur publice in locis solitis, quod nemo audeat mittere aliquid ad partes Catari sub penis et stricturis contentis in parte contrabannorum; et quod scribatur Consuli et civibus Venetis in Cataro, quatenus intra tres menses a receptione hujus mandati debeant se levare de dictis partibus sub pena perdendi sua bona, reservato officio Advocatorum Communis procedendi contra illos, qui forent inhobedientes.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 224. l.)

69.

I. Lajos magyar és lengyel király szabályozza a dunai kereskedés után Bécs és Buda közt járó vámnak beszedését. 1374.

Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. fidelibus suis vniuersis Prelatis, Baronibus, Comitibus, Castellanis, Nobilibus, ac aliis cuiusuis status et condicionis hominibus tributa infra Wiennam et Budam super fluuio Danubii vbilibet habentibus et tenentibus, suisque ac eorundem tributariis, castellanis et officialibus, quibus presentes ostenduntur, salutem et graciam. Noueritis, quod licet pridem habita matura deliberacione disponendo ordinauerimus, vt de carrinis seu uauibus magnis, que super dicto fluuio Danubii ad prefatam Budam mercimoniis oneratis (így) ducerentur, in

singulis tributorum locis huiusmodi carrine seu naues magne per transuersum in fundo earundem cum planta pedis mensurari, et secundem huiusmodi nostre ordinacionis mensuram tributum exigi et solui deberet: tamen quia nunc, vt intelleximus, contra ordinacionem et maturam disposicionem nostram premissam vos nouitates et calumpnias inducere attemptastis, propter quod mercatores ad Reguum nostrum cum suis mercibus venire verentur, nobisque et regnicolis nostris dampna continue eveniunt satis magna, que tollerare nullo modo volumus. Ideo ad euitandas huiusmodi nouitates, calumpnias atque dampna, quoddam ferrum longitudinem dicte plante pedis continentem, et signum Clipei nostri Regii sculptiue habentem, mercatoribus de Wienna duximus concedendum. Cum quo ferro siue mensura plante memoratas carrinas seu naues magnas deinceps cum mercimoniis super dicto fluuio descendendas per transuersum in fundo mensurare, et iuxta numerum dicte plante modo alias consueto, et non aliter, tributum recipere et exigere debeatis de carrinis et nauibus ac mercimoniis repositis in eisdem annotatis: mandamus vestre fidelitati firmissimo Regio sub edicto omnino volentes, quatenus de longitudine dicte plante pedis per nos de nouo data in ferro contenti, mercatores quoslibet cum suis carrinis seu nauibus magnis intrantes ad breuiorem mensuram in eorum carrinis faciendam nullo modo compellere, nec tributum indebitum quauis occasione ab eisdem recipere seu exigere presumatis, sed sinatis huiusmodi carrinas seu naues magnas, habita mensura per nos data, et recepto debito et consueto tributo, absque impedimento transire pacifice et quiete; cauentes, ne deinceps quicquam nouitatis facietis in premissis. Secus etenim, sicut indignacionem Regiam euitare cupitis, facere non ausuri. Datum Wissegrad in festo Beatorum Viti et Modesti martirum anno Domini M.CCC.LXX. quarto. Presentes autem post earum oportunam inspeccionem reddi volumus presentanti. Datum ut supra.

(Eredetie bőrhártyán, a királynak gyűrű pecsétje alatt; Bécs város levéltárában.)

70.

XI. Gergely pápa ismételve eltiltja Albert ausztriai herczeget a Violancza, Visconte Galeaz leányával kötendő házasságtól. 1374.

Gregorius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio nobili viro Alberto Duci Austrie salutem et Apostolicam benedictonem. Circa principium mensis Aprilis proxime preteriti ad quandam litteram Tue Nobilitatis, et ad quedam pro parte tua per dilectum filium Johannem de Constantia in Romana Curia procuratorem vigore credentie in eisdem litteris attribute per nos sibi dande super matrimonio, quod cum . . . nata iniquitatis filii Galeaz de Vicecomitibus de Mediolano volebas contrahere, tibi respondimus per litteras nostras, quas tunc Eidem Nobilitati per prefatum Johannem duximus destinandas. Verum quia dilecti filii nobiles viri Vaenhardus Dapifer Miles, et Johannes Magister Forestorum Austrie domicellus, Ambaxiatores tui harum latores ad nos missi videntur innuere, quod tempore recessus eorum a tua presentia ignoraras contenta in nostris litteris prelibatis; eorum tenorem de verbo ad verbum insertum presentibus tibi de nouo destimamus; credimusque, quod per deuotam Ducalem prudentiam tenore ipso considerato mature, contrahendi huiusmodi matrimonium per nos generaliter cum illustribus, de quibus existis, iuste prohibitum, abicies voluntatem, et permanentibus grauissimis excessibus dicti Galeaz, apud nos pro obtinenda licentia contrahendi cum eadem nata, ulterius non obstabis. Tenor autem dictarum litterarum nostrarum talis est :

Gregorius Episcopus stb. Alberto Duci Austrie stb. (következik XI. Gergely 1374. april 9-ki levele, mint fentebb 63. sz. a.)

Datum Sallonc Arelatensis Diocesis VIII. kalendas Julii, Pontificatus nostri anno quarto.

(Eredetie bőrhártyán, a bécsi császári titkos levéltárban.)

71.

Erzsébeth magyar anyakirályné, és I. Lajos magyar és lengyel király Lengyelországban helytartónőjének bizonyos cujaviai soltészséget tárgyazó adománya. 1374.

In nomine Domini Amen. Quoniam omnium habere memoriam plus noscitur esse Diuinum quam humanum; proinde Nos Elizabeth Dei gracia senior Hungarie et Polonie Regina noticie vniuersorum presencium et futurorum commendamus, quod vtilitates Regni nostri Polonie per locaciones villarum augere cupientes, ex nunc prouido viro Woitkowi Schwolino racione seruiciorum, que nobis constanter exhibuit, et in futurum dante Domino exhibere est paratus; horum intuitu, racioneque locacionis ville nostre wlgariter Rachutowo dicte in Terra Cuiauie prope Kowale site, sculteciam in eadem villa exponimus de quadraginta quatuor mansis locandam; dictam sculteciam dudum incorporatam eidem cum pertinencijs et fructibus infrascriptis; videlicet quatuor mansos liberos, vnum molendinum in superiori parte fluuij vltra molendinum Regale, tabernam, tercium denarium de qualibet re judicata, pratum ad quatuor jugera; eciam ligna in siluis et borris nostris secare et incidere licitum sit ei. Que omnia supra dicta idem Woitko et sui posteri tenebit, habebit, possidebit, cum omni facultate vendendi, et quomodo sibi et sue posteritati vtilius videbitur, libere conuertendi; nostro tamen et nostrorum successorum de consensu. Seruire autem ad nostram expedicionem generalem in equo quatuor marcarum valoris, in pancerio curialiter expeditus debebit. Cmethones vero dicte ville, expirata libertate trium annorum, nobis singulis annis per sexdecim grossos Pragenses soluere, et vnam de quolibet manso diem qualibet septimana laborare tenebuntur. Vt autem eadem villa celerius possit locari, exnunc ipsam de Jure Polonico in Jus Theutonicum, quo Ciuitas nostra Brestensis gaudet et vtitur, transferimus ibidem perpetuo duraturum; remouentes in ibidem omnia jura Polonicalia, modos et consuetudines vniuersas, que ipsum Jus Theutonicum vt plurimum solet impedire. Eximimus insuper, absoluimus ac liberamus sculteciam, cmethones, ac omnes incolas ville pronominate ab omnibus Potesta-

tibus, Jurisdiccionibus, Judicijs et citacionibus omnium Palatinorum, Castellanorum, Judicum, Subjudicum Regni nostri et Officialium eorumdem; ita quod coram ipsis, vel coram aliquo pro causis magnis et paruis, puta furti, sanguinis, homicidii, et aliis quibuscunque citati minime respondere, vel aliquas penas soluere sint adstricti; sed tantum cmethones et incole predicte ville coram ipsorum Sculteto, qui pro tempore fuerit, Scultetus vero coram Nobis, aut Judicio nostro Generali, dum tamen per litteram nostro sigillo signatam euocatus fuerit, tunc de se querulantibus suo jure predicto respondebit. In causis autem criminalibus et capitalibus superius expressis eidem Sculteto judicandi, sententiandi, condemnandi et puniendi plenam et omnimodam damus potestatem, prout dictum Jus Theutonicum in omnibus articulis suis, clausulis et punctis postulat et requirit; juribus nostris Regalibus semper saluis. In quorum testimonium premissorum presentes scribi fecimus et nostri sigilli appensione roborari. Actum et datum Cracovie in octaua Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto. Presentibus Petro Sandomiriensi, Dobeslao Cracouiensi Palatinis, Barthosio de Sokolowo, alio Barthosio Visemberg Capitaneis nostris Cuiaviensibus, Laurencio de Bodzanow, Sbiszkone de Daponow, et aliis valde multis. Datum per manus Reverendi viri domini Janussii Cancellarii et Prepositi Cracoviensis.

(A Kruszynski Pomian János-féle gyűjteményből közölte velem Pauli Zsagota krakói tudós,)

72.

Eljegyzési okmány I. Lajos magyar és lengyel királynak egyik leánya, és Lajos V. Károly franczia királynak másodszületett fia közt. 1374.

In nomini Domini Amen. Per hoc presens publicum instrumentum cunctis euidenter sit notum, quod anno a Nativitate eiusdem Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto, indictione duodecima, die decima mensis Augusti,

Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris ac Domini nostri domini Gregorii Diuina Prouidentia Pape Undicimi anno quarto, in nostrorum Notariorum Publicorum subscriptorum, testiumque infrascriptorum ad hec vocatorum specialiter et rogatorum presentia personaliter constituti Illustrissimus Princeps dominus Carolus Dei gratia Francorum Rex pro se et Illustrissimo Domino domino Ludouico filio suo secundo genito ex una parte, et venerabilis nobilis et potenter venerandus in Christo Pater dominus Stephanus Episcopus Zagrabiensis, Magnificus vir dominus Petrus Zudar Banus Sclauonie, et strenuus miles dominus Simon de Podio, Nuntii, Ambassiatores et Procuratores illustrissimi Principis domini Ludouici Regis Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. prout de potestate et procuratorio ipsorum constabat per quasdam patentes literas ipsius Domini Regis Hungarie, eius sigillo in pedenti cum cera crocea, ut prima facie apparebat, sigillatas, coram nobis Notariis et testibus subscriptis exhibitas et presentatas, quarum tenor inferius est insertus, nomine ipsius domini Regis Hungarie et pro ipso ex altera parte, rocognouerunt et confessi fuerunt, se tractasse, concordasse et firmasse, promiseruntque, concordauerunt et intrauerunt pacta, conuentionis et obligationes que sequuntur, videlicet prefatus dominus Rex Francie in propria pro se et pro prefato domino Ludouico filio suo, et predicti Ambassiatores pro dicto domino Rege Hungarie virtute potestatis sibi date et nomine procuratorio predicto. Scilicet, quod si Deo et Ecclesie placuerit, contrahent sponsalia et matrimonium inter prefatum dominum Ludouicum Francie, et dominam Catherinam primogenitam filiam prefati domini Regis Hungarie, cum peruenerit ad nubiles annos; et ipsam dominam Catherinam ex nunc dant et concedunt prefati Ambassiatores in sponsam et uxorem futuram ipsi domino Ludouico in personam dicti domini Regis Francie, et pro ipso stipulantis et acceptantis; in casu tamen quod per prefatum dominum Regem Francorum, vel ambos Reges Francie et Hungarie predictos poterit de propinguo obtineri declaratio a Sancta Sede Apostolica super Regno Sicilie, et Terris, Regnis, appendentibus et dependentibus ad ipsum pro prefato domino Rege

Hungarie, quod ad ipsum et suos successores dictum Regnum Sicilie pertineat et debeat pertinere. In eo vero casu, in quo dicta declaratio dilationem haberet, prefati Ambassiatores et procuratores promiserunt, iurauerunt et firmauerunt nomine quo supra, dare in sponsam et uxorem futuram, et etiam ex nunc dant et concedunt prefato domino Ludovico Francie alteram de tribus filiabus prefati domini Regis Hungarie, videlicet Catherinam, Mariam vel Aduiga, optione reseruata prefato domino Regi Hungarie, dare illam de dictis tribus filiabus, de qua magis sibi placuerit, predicto domino Ludouico Francie in sponsam et uxorem; ita tamen, quod unam de dictis tribus filiabus Ambassiatoribus domini Regis Francie per ipsum ad dictum Regem Hungarie presentialiter destitinandis, idem Rex Hungarie nominare teneatur. Dederunt insuper prefati Ambassiatores et procuratores nomine quo supra donatione pura, simplici et irreuocabili in dotem et ad opus predicti matrimonii duce Domino contrahendi illi de dictis tribus filiabus, siue sit domina Catherina primogenita, siue domina Maria secundogenita, siue domina Aduiga tertiogenita, prefatum Regnum Sicilie, cum Regno Neapolitano, Apulia et omnibus terris, villis, castris, honoribus et juribus pertinentibus ad ipsum, nec non Principatum Salerne, Honorem Sancti Angeli, Comitatus Prouintie et Forcalquerij et Pedemontis, cum villis etiam, castris, honoribus, terris, pertinentiis et suis juribus uniuersis, et quicquid interesse et rationis habet et habere potest vel debet quocunque modo, titulo siue causa prefatus dominus Rex Hungarie in dictis Regnis, Principatu, Honore, Comitatibus et terris habendis, tenendis et possidendis in perpetuum et irreuocabiliter per prefatum dominum Ludouicum, et eius sponsam et uxorem predictam futuram, et eorum liberos, heredes et successores ab eis legitime descendentes. Promiserunt insuper et iurauerunt prefati dominus Carolus Rex Francie, et Ambassiatores in animam prefati domini Regis Hungarie, videlicet ipsi Ambassiatores dare in sponsam et uxorem futuram alteram de dictis tribus Dominabus modo predicto, et ipse dominus Rex Francie eandem recepit pro prefato filio suo secundogenito, cum peruenerit ad nubiles annos, quodque neuter prefatorum

dominorum Regum faciet aut fieri procurabit seu permittet per se vel per alium quouis modo, quominus dicta sponsalia et matrimonium sub forma et modo cum Regnis, Comitatibus, et terris et dote predictis perficiantur et compleantur; imo premissa universa et singula, quatenus in ipsis est et erit, adimplebunt, et per alios facere adimpleri facient totis suis viribus et procurabunt; et si aliquid factum fuisset, propter quod possent premissa vel aliqua ex ipsis aliquatenus impediri, illud reuocare et tollere impedimentum ex toto; quodque prefatus dominus Rex Hungarie nullo alio modo disposuit, ordinauit, disponet vel ordinabit de dictis Regnis et Terris, nisi in personam dicte filie sue, sponse et uxoris future dicti domini Ludouici, et in heredes ab eis legitime descendentes, prout superius est expressum. Feceruntque prefati dominus Rex Francie pro se et filio suo predicto secundogenito ac suis successoribus quibuscunque; et prefati Ambassiatores pro prefato domino Rege Hungarie et suis successoribus uniuersis, nec non pro ambobus Regnis Francie et Hungarie, et dictis dominis Regibus sub dictis colligatis et confederatis, bonas, fideles, irreuocabiles et firmas amicitias, confederationes et colligantias, super prosecutione, recuperatione, confirmatione et defensione dicti Regni Sicilie, cum prefatis Regnis et Terris ad ipsum appendentibus et pertinentibus, ac Dominiorum, Principatuum, Honoris et Comitatuum et Terrarum superius expressarum; et super his promiserunt, iurauerunt et firmauerunt, dictos Reges Francie et Hungarie, et eorum successores, mutuo sibi prestituros ad inuicem per omnes vias et modos possibiles et honestos, de totis suis, suorum Regnorum supradictorum et colligatorum potentijs, consilium, auxilium et fauorem dictis dominis Regibus, quecunque eisdem dominis Regibus visum fuerit expedire; et omnia facere, que boni viri et fideles alligati et confederati tenentur facere in hac parte. Que premissa uniuersa et singula modis et forma predictis tractata, concordata et firmata, prefati dominus Rex Francie pro se et prefato domino Ludouico filio suo secundogenito et suis successoribus; et prefati procuratores pro dicto domino Rege Hungarie et suis successoribus uniuersis, in nostrorum Notariorum predictorum nomine omnium quorum in-

terest et intererit stipulantium presentia firmauerunt, laudauerunt et approbauerunt, et perpetuam voluerunt habere firmitatem, et ea tenere firmiter et fideliter promiserunt et iurauerunt, nec in contrarium per se vel per alios quouis modo, quacunque occasione vel causa facere vel venire. Et nihilominus fuit actum, et conuentum et concordatum inter partes predictas, quod predictus dominus Rex Hungarie, domina Elisabeth mater, et domina Elisabeth uxor dicti domini Regis, Regine Hungarie, nec non Archiepiscopi, Episcopi, Comes Magnus, Bani et alii Barones majores Hungarie, presentem tractatum iurabunt ad Sancta Dei Euangelia, et promittent tenere, attendere et inuiolabiliter obseruare, in presentia Nunciorum dicti domini Regis Francie destinandorum ut supra; renunciantes dicti dominus Rex et Ambassiatores, Nuncii et procuratores predicti per iuramentum suum exceptioni premissorum omnium et singulorum non factorum, non promissorum, non concordatorum, seu aliter vel alio modo quam superius est expressum, doli mali, qui metus causa, fraudis, deceptionis vel circumuentionis cuiuscunque, omni iuri scripto et non scripto, usui, consuetudini vel statuto Regnorum vel Terrarum predictarum, omni gratie, concessioni vel dispensationi impetrate et impetrande a Sede Apostolica super premissis vel quolibet eorundem; et generaliter omnibus et singulis, que contra premissa vel aliquod eorundem de iure vel de facto possent obici quomodolibet vel opponi. Quam renunciationem voluerunt et concesserunt predictus dominus Rex et Ambassiatores sepedicti in omnibus casibus singularibus valere et obtinere plenam roboris firmitatem, ac si dicti casus erant in presenti publico instrumento sigillati et specifice expressi. Quibus omnibus et singulis, ut premissum est, per dictos dominum Regem Francie, Nunciosque et Ambassiatores dicti domini Regis Hungarie, factis, concessis, concordatis et promissis, iidem dominus Rex in animam suam, et Ambassiatores in animam dicti domini Regis Hungarie, iurauerunt Sacrosanctis Euangeliis tactis manualiter per eos, eadem tenere, attendere et facere inviolabiliter obseruari in omnibus et per omnia, ac modo et forma superius designatis; ac una cum ipso de prescripto dicti domini Regis Francie,

Magnifici et Spectabiles viri domini Anguerrannus Dominus de Coussiaco, Petrus de Ordeomonte Cancellarius Francie, Simon de Roussi Comes de Brena, Radulphus Dominus de Raineual Magnus Panetarius Francie, Burellus Dominus de Riparia primus Cambellanus, Petrus Dauoir Dominus de Castrofromondi Cambellanus, Galiotus de Cois et Petrus de Cernesel, Milites et Consiliarii predicti domini Regis Francie, ac etiam Ambassiatores suprascripti nominbius suis priuatis, ad requestam dicti domini Regis Francie promiserunt et iurauerunt suprascripta tactis Sacrosanctis Euangeliis, ut superius est dictum. De predictis vero omnibus et singulis voluerunt et petierunt dicte partes, et quelibet earum, per nos Notarios suprascriptos, sibi fieri et tradi publicum instrumentum vel publica instrumenta, scilicet duo, tria, vel plura, et tot quot habere voluerint, eiusdem tamen substantie et tenoris. Tenor vero literarum potestatis dictorum dominorum Nunciorum, Ambassiatorum et procuratorum sepe dicti domini Regis Hungarie, de quibus superius fit mentio, sequitur et est talis: Nos Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. notum facimus uniuersis, quod nos confidentes ad plenum de discretione et fidelitate dilectorum et fidelium nostrorum Reuerendissimi in Christo Patris domini Stephani eadem et Apostelice Sedis gratia Episcopi Ecclesie Zagrabiensis, et Magnifici viri domini Petri Zudar Regni nostri Sclauonie Bani, nec non strenui Militis domini Simonis de Podio, ipsos ad Illustrissimum Principem Carolum Francie Regem, fratrem nostrum charissimum, Ambassiatores es Nuncios destinauimus, et ad infrascripta procuratores constituimus et Nuncios speciales; dantes eisdem plenam et liberam potestatem et principale mandatum tractandi, promittendi iurandi et modis melioribus quibus poterit fieri, vallandi vice et nomine nostro sponsalia et matrimonium contrahi faciendum inter Illustrem dominum Lodouicum Francie secundogenitum prefati charissimi fratris nostri, et alteram de nostris filiabus, Catherinam videlicet, Mariam et Aduigam, illam videlicet de dictis tribus nostris filiabus, que nobis videbitur et placebit; nec non et nos obligandum specialiter et expresse ad ipsa sponsalia et matrimonium contrahi faciendum, et

unam de dictis filiabus nostris, ut premittitur, dandam in sponsam et uxorem prefato domino Ludouico cum peruenerit ad legitimam etatem, melioribus et fortioribus pactis, promissionibus et obligationibus quibus fieri poterit, et nostris predictis procuratoribus visum fuerit expedire; dandumque pro nobis in dotem et ad opus predicti matrimonii contrahendi illi de dictis filiabus de qua duxerit, ut superius continetur, pro futuris sponsalibus et matrimonio cum dicto domino Ludouico, et tractandum, et concordandum, et que cum ipso contrahet in futurum, Regna, Terras et Dominia Sicilie, Neapolitanum, Apulie, Calabrie, cum omnibus terris appendentibus et pertinentibus ad ipsa, et Principatum Salerne, Comitatum Prouincie, Fortalguerii, et Pedemontis, et Honorem Sancti Angeli, cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem, et quicquid iuris habemus, habere possumus vel debemus quocunque titulo vel causa in prefatis Regnis, Principatibus Comitatibus et Terris, tenendis videlicet et habendis pleno iure hareditario per prefatum dominum Ludouicum et nostram filiam sponsam eius futuram, liberosque et successores ex ea, si Deo placuerit, legitime descendentes sine contradictione quacunque. Volentes insuper, quod prefati Ambassiatores nostri tres filias nostras predictas, videlicet usque ad ultimam superstitem, in casu, quod Deus auertat, quod alias ab humanis decedere contigerit, usque quo promissio sponsalium firmata fuerit, tunc alternatiue ad nutum et optionem nostram illam quam voluerimus, simus et maneamus adstricti optandam et concedendam. Qua promissione firmata et declarata super illa quam prefato domino Ludouico tradendam duxerimus in uxorem, tunc nobis liceat et liberi consistamus de reliquis aliis nostris filiabus ad nostrum libitum cum quibuscunque contrahi matrimonium. Queque premissa et sequentia promittere possint prefati procuratores nostri una cum dote, Regnis, et Terris predictis prefato Regi fratri nostro pro dicto domino Ludouico meliori modo quo fieri poterit, et obligare; et habeant plenam et liberam potestatem et speciale mandatum ad faciendum confederetiones et obligantias in perpetuum vel ad tempus inter prefatum Regem Francie et nos, sua et nostra Regna et subditos et confederatos generales et speciales, su-

per recuperatione predictorum Regni Sicilie, Comitatuum et Terrarum, vel aliter secundum quod videbitur faciendum; et quicquid in premissis et circa premissa et quodlibet premissorum dependentibus et connexis fecerint et tractauerint, ac concordauerint vel firmauerint, etiamsi maiora fuerint premissa expressa, et mandatum exigant speciale, in animam nostram iurandi, et nos ad ea fortioribus vinculis et penis, obligationibus et submissionibus, quibus fieri poterit, obligandi, et omnia faciendi, que nos in eis et circa ea possemus facere, si presentes et personaliter interessemus. Promittentes bona fide et in verbo Regio, et per iuramentum nostrum super Sancta Dei Euangelia corporaliter prestitum, ea tenere et fideliter adimplere, nec per nos vel per alium in contrarium facere vel venire; ratum et gratum habentes et perpetuo habituri, quicquid in premissis et circa premissa per dictos procuratores nostros factum, concordatum et tractatum extiterit vel firmatum fuerit. In quorum testimonium sigillum nostrum presentibus literis duximus apponendum. Datum Bude sedecimo die mensis Aprilis anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto. Acta fuerunt hec Parisiis in Castro de Lupara anno, indictione, mense, die et Pontificatu quibus supra. Presentibus nobilibus et prudentibus viris dominis Emerico Zudar Preposito Albe Regalis; Petro Cierte de Yda milite Aquensis Dioceseos; Ricardo Decano Ecclesie Bisuntinensis; Feruco de Metis, et Euerardo de Cramogensi, Utriusque Juris Professoribus; ac Magistro Thoma de Bononia Magistro in Artibus et Medecina, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis. Insuper anno, indiccione, mense, die, et Pontificatu predictis, Illustrissima Domina domina Johanna Regina Francie, in presentia mei Alberti Notarii Publici, et testium subscriptorum, de authoritate predicti domini Regis Francie, iurauit ad Sancta Dei Euangelia corporaliter tacta, omnia et singula suprascripta, prout per dictum dominum Regem Francie iurata fuerunt et promissa, testibus ad hec vocatis specialiter et rogatis, dominis Emerico Zudar, et Petro Cierte de Yda predictis, nec non presentibus ad hec dominis Ambassiatoribus dicti domini Regis Hungarie subscriptis.

Et Ego Johannes de Rebompre oriundus d'Authonville Ambianansis Diocesis Clericus, Apostolica et Imperiali authoritate Publicus Notarius suprascripta omnia et singula manu propria scripsi et in hanc publicam formam redegi, et eis que acta fuerunt in castro de Lupara predicto presens fui una cum suprascriptis testibus et Notario infrascripto; et cum appensione sigillorum prefatorum dominorum Nuntiorum, Ambassiatorum et procuratorum dicti domini Regis Hungarie, signum meum huic instrumento publico apposui consuetum requisitus in testimonium premissorum.

Ego vero Albertus Viviam de Sancto Christophoro Clericus Tullensis Diocesis, Apostolica et Imperiali authoritate Notarius premissis omnibus et singulis, dum sic agerentur et fierent, una cum Notario et testibus supra scriptis presens fui, hicque me subscripsi, et cum appensione sigillorum predictorum dominorum Nuntiorum, Ambassiatorum et procuratorum dicti domini Regis Hungarie signum meum apposui consuetum in testimonium promissorum requisitus specialiter et rogatus.

(Eredetie bőrhártyán a francziа nemzeti nagy levéltárban, Párisban.)

73.

Lipót ausztriai herczeg, a fia Vilmos herczeg s Hedvig I. Lajos magyar és lengyel királynak leánya közt tervezett házasság iránt. 1374.

Leopoldus Dei gracia Dux Austrie stb. notum facimus tenore presentium vniuersis, quod nos animo deliberato, maturoque Baronum et Procerum nostrorum accedente concilio, bona fide et absque omni dolo ac sine fraude, Serenissimo Principi domino Ludouico Regi Hungarie, fratri nostro karissimo, propter sinceri amoris constanciam promisimus et presencium serie promittimus seriose, quod Illustrem Principem Ducem Wilhelmum, primogenitum nostrum karissimum, inclyte virgini Hedwigi, eiusdem domini Regis nate iuniori, cum maritagio siue donacione propter nupcias, sicut ceteri Principes et Duces Austrie pro suis filiis et fatribus facere

consueverunt, matrimoniali federe copulandum trademus in consortem legitimum et maritum; ita tamen, quod predictus Dominus (t. i. Lajos kiraly) cum aliis heredibus nostris in omnibus iuribus suis ab omnibus eos perturbare volentibus protegat et defendat. Et modo consimili promittimus predicto domini Regi bona fide et sine dolo, quod ipso decedente predictam filiam suam Hedwigem vna cum aliis sororibus suis similiter in omnibus inribus suis, ab omnibus eas perturbare volentibus protegemus et defendemus; harum sub nostro pendenti sigillo testimonio literarum, Datum Erenberg Augustensis Diocesis die XVIII. mensis Augusti anno Domini MCCCLXXIV.

(Eredetie bőrhártyán a herczegnek függő pecsétje alatt, a bécsi császári titkos levéltárban.)

74.

I. Lajos magyar és lengyel királynak nagy privilegiuma, mellyel Lengyelország és a lengyelek szabadságait és jogait megerősiti. 1374.

In nomine Domini Amen. Cum gesta Principum debeant inviolabiliter futurorum memorie enodari, et confirmationes, libertates, immunitates, privilegia, instrumenta, ratificationes perpetuis temporibus perennari; proinde Nos Ludovicus Dei gratia Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Rex ad universorum tam presentium, quam futurorum notitiam volumus devenire, quod ex puro animo et sinceris affectibus Regnum nostrum Polonie in bono statu et robore permanere anhelantes; licet alias nostris promissionibus instrumentorum seu privilegiorum ·Nobilibus ipsius Regni Polonie fuissemus obligati, quod decedentibus nobis de hac luce, masculinam prolem nostram tantum, et non femineam deberent habere et sibi recipere nostrum in heredem et successorem Regni Polonie; demum Baronum, Militum, Nobilium, et aliorum omnium consensu et voluntate accedente, filias nostras non extante prole masculina, sibi in Dominos et heredes Regni, predicti acceptarunt, quas fieri nostros successores, et Coronam

Regni Polonie ipsas volunt et voluerunt obtinere. Tamen in eo casu, quo filium vel filias Divina nobis providente clementia habuerimus, vnum ex eisdem masculis, illis deficientibus unam ex nostris filiabus nunc natis et extantibus ac in futurum nascituris, quem vel quam Nos vel Excellentissima domina Regina, mater et consors nostra karissima, ipsis assignabimus et assignabunt, illum vel illam habeant pro herede et successore nostro, et ipsi regnicole assumere teneantur et habere, prout eisdem per Barones, Nobiles, Proceres, Civitatenses et singulos inhabitatores Regni Polonie fit et facta est de nostra voluntate obligatio homagialis, et promissio fit et facta est; exnunc prout extunc, et extunc prout exnunc recipient in Principem, heredem et legitimum successorem; et deinde vel abinde successores eorundem vel earundem locum regiminis habeant obtinere in Regno Polonie prenotato. Sed quia Corona Regni predicti per has successiones posset aliquomodo dividi, rumpi, vel quovis modo violari; promittimus bona fide absque omni dolo cujuslibet fraudis sub sacramento fidei nostre, ipsam Coronam Regni Polonie semper salvam et integram ac illibatam conservare, et nullas terras vel partes earum ab ipsa alienare vel minuere; sed eam augere et recuperare, velut in Coronatione nostra sumus et fuimus obligati nostris munimentis. Et quia predicti nostri Nobiles, affectum ad Nos habentes specialem, quod etiam prolem nostram femineam veluti masculum eis in Principem et Dominum, ut dicitur, acceptarunt; ideo ob merita fideliaque servitia facta, et voluntates Vniuersitatis ipsorum, que nobis et nostris pueris utriusque sexus, facto fideli homagio prestiterint, ea imposterum loco et tempore fidelia servitia sunt parati dante Domino exhibere, eos speciali favore prosequendo, Civitates, Castra, possessiones, oppida et villas, et incolas villarum, totius Regni Polonie inhabitantes, ipsorum Baronum et Nobilium omnium, absolvimus, liberamus et eximimus ab omnibus et singulis collectis, donationibus sive tributis, tam generalibus quam specialibus, quocunque nomine censeantur, et eb omnibus servitijs, laboribus, vexationibus, angarijs, perangarijs, in rebus et personis committendis, pure et simpliciter solutos et absolutos esse volumus ac exemptos. Sed his tantum volu-

mus esse contenti, quod duo grossi usualis monete, in dicto Regno currentis, quorum quadraginta octo marcam faciunt Polonicalem, de quolibet manso vel sorte locatis vel possessis, singulis annis, Nobis et nostris successoribus, in festo Beati Martini confessoris in signum Summi Dominij, et recognitionem Corone Regni Polonie exolvantur; eo expresso, quod si insultus hostium in dictum Regnum invalesceret, tunc Nobiles ipsius Regni ad repellendam eorum sevitiam occurrant cum omnimoda eorum potestate. Demun si nostro et nostrorum successorum regiminis tempore pro aliqua expeditione facienda ultra fines ipsius Regni procedere Nos expediat, vel eosdem Nobiscum cum inimicis quibuscunque in eadem expeditione conflictum seu bellum facere et inire contingeret. et aliqui ex ipsis in eodem conflictu si capti vel detenti fuerint, damnaque parva vel magna perceperint in rebus et personis ipsis, plenariam satisfactionem impendemus. Item si aliquod castrum vetus reparatione indigeat, tunc tempore pacis Burgrabius seu possessor et conservator illius castri tenebitur reparare. Oriente autem guerra et discordia castra nostra in confinibus Regni nostri Polonie sita et existentia, homines illorum Districtuum, ubi ipsa castra sita existunt, adjuvare ad reparationem reformationemque teneantur. Item si alquod castrum pro defensione et utilitate ipsius Regni cum consilio et consensu eorumdem Baronum construere voluerimus; tunc ad ejus constructionem ijdem Regni Proceres tenentur adjuvare. Si vero sine scitu et consensu eorundum Nobilium et Procerum edificare voluerimus, tunc ad eius constructionem nostris sumptibus et expensis faciemus. Item promittimus, quod tales honores et dignitates, utpote Palatinatus, Castellanatus, Judicia et Succamerariatus officia, et his similia, qui vel que usque ad vitam conservari consueverunt, alijs quibuspiam hominibus extraneis hospitibus non conferemus, nisi talibus, qui sint regnicole terrarum ejusdem Regni, in quibus, huiusmodi dignitates, vel honores consistunt; quas etiam dignitates et omnia officia ac singula volumus in eorum juribus, prout fuerunt tempore Serenissimorum Principum dominorum Vladislai avi, et Casimiri avunculi nostrorum, Regum Polonie conservare plenarie. Promittimus, quod nullum Baronem, Mi-

litem seu Nobilem, vel alium quemcunque, cujuscunque conditionis existat, extraneum hospitem, seu alienigenam preterquam natione Polonum, in Capitaneum preficere debemus, nisi talem qui sub eadem Corona de gente Polonica sit oriundus, dummodo non descendat de stirpe Ducali. Ceterum promittimus, quod nullum castrum seu fortalitium Regni Polonie alicui Duci vel Principi aut, descendenti de genere Ducali, regendum et tenendum committemus pro tempore vel in euum. Deinde spondemus, castra et civitates sepedicti Regni, de quibus honores et judiciales sedes procedunt, hec videlicet: Cracovia, Biecz, Sandecz, Vislicia, Woynicz in Terra Craconiensi; Sandomiria, Zavichost, Lublin, Sieciechow, Lukow, Radom in Terra Sandomiriensi; ac Castrum Lanciciense in Terra Lanciciensi; in Terra Siradiensi Piotrkow; item in Terra Cuiavie Brzescie, Kruswica, Vladislavia; item in Polonia Majori Posnania, Miedzyrzyc, Sbansin, Kalisz, Nakiel, Konin et Pysdry nuncupata, nulli alteri, nisi terrigenis, seu Capitaneis in eodem Regno consistentibus conferemus. Alia autem castra quecunque hospitibus vel aliis quibuscunque voluerimus, Nos et nostri successores habemus et habebunt liberam conferendi facultatem. Decernendo, quod ipsi Burgrabij, seu Rectores Castrorum, et homines ipsorum, coram Capitaneis Judicibus, Subjudicibus Regni predicti, qui pro tempore fuerint, citati compareant, et respondeant de se querulantibus, prout ceteri Nobiles et homines quicunque Regni predicti. Dummodo causa ultionis sanguinem non requirat, cujus cognitionem pro nobis et nostris successoribus reservamus specialiter. Preterea, si per Regnum illud, quocunque tempore nos et nostros successores procedere contigerit, descensus super Barones, Nobiles, Milites, ipsorunque populum, kmethones, seu ivagiones non faciemus contra ipsorum voluntatem, nec aliquid occasione dicti descensus exigi faciemus ab eisdem. Quod si alias pro faciendo descensu divertere non possemus, extunc pro nostris sumptibus et pecunia nos procurari in victualibus et alijs necessarijs faciemus. Insuper omnes Barones, Magnates, Nobiles, Civitates, oppida, villas, possessiones eorundem, populum et kmethones in eorum libertatibus pollicemur et spondemus conservare, nec eos contra

illas intendimus aggravare, vel per quempiam faciemus aggravari. Omnes autem illas litteras, ordinationes, pacta, instrumenta et munimenta data et concessa per nos et successores nostros parte ex una, ac predictos Barones et Nobiles Regni predicti parte ex altera, que successionem filiarum nostrarum Ducem vel in Ducem in dicto Regno fieri excludebant, de consensu eorundem Baronum, Militum et Nobilium dicti Regni Polonie cassamus, vacuamus, annullamus, cassas, vanas, vacuas, et irritas nuntiamus; volentes ipsas carere omni robore firmitatis, presentibus solummodo perpetuis temporibus valituris. In quorum omnium evidens testimonium firmitatemque perpetuam, presentes concessimus literas nostras pendenti et evidenti sigilli nostri simplicis munimine roboratas. Datum et actum Cassovie decimaseptima mensis Septembris anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quarto.

(Hiteles régi másolat után.)

75.

XI. Gergely pápának válasza I. Lajos magyar és lengyel királynak Siciliát tárgyazó kéréseire. 1374.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri, salutem, etc. Venerabilem fratrem nostrum Stephanum Episcopum Zagrabiensem, et dilectum filium nobilem virum Petrum Zudar Banum Sclavonie, Ambaxiatores tuos, latores presentium, ad nos missos, in primo adventu et in regressu eorum de Francia benigne vidimus, in ipsis mittentis effigiem contemplantes; eosque multiplicatis vicibus tam pro arduis, quam pro minoribus agendis tuis et tuorum nonnulla pro parte tua nobis prudenter exponentes et sollicite prosequentes, quantum fuit expediens, spatiose audivimus, et in illis, in quibus iuste potuimus, exaudivimus gratiose. Verum licet per diversas personas, et specialiter per venerabilem fratrem nostrum Guillermum Episcopum Senensem, ad petitiones tuas super Regno Sicilie nostram intentionem, immo potius possibilitatem, secundum justiciam, in qua omnibus debitores existimus, duxerimus reserandam; idem

quoque fecerit felicis reordationis Vrbanus Papa V. predecessor noster; et tandem dilectus filius Magister Nicolaus de Auxino Notarius et Secretarius noster tuusque devotus, qui dictam intentionem ex parte nostra sciscitatus est a nobis, illam per suas litteras, quas vidimus, per eum, ut dixit, traditas dudum dilecto filio Symoni Notario tuo ad Sedem Apostolicam destinato etiam intimari: tamen quia prefati Ambaxiatores super declaratione per nos simpliciter, non vocata parte contraria, in qua persone sunt plures, de iure, quod tibi competere asseris super prefatis Regno et Principatu facienda, apud nos fideliter institerunt, tibi, qui es amator et ministrator justitue, prout eisdem Ambaxiatoribus, etiam communicato fratrum nostrorum consilio, verbo respondimus, iterum harum serie respondemus: Quod prout Tua prudens Serenitas, et tui Consiliatores in Jure periti ignorare non debent, nisi vocata dicta parte, et secundum Jus, ad quod astringimur, dictam declarationem facere non valemus. Et quidem si de tuo feudo similem casum haberes, similiter te facturum non ambigimus; quia similiter facere teneris. Quod si hanc viam juris velis prosequi, offerimus, quantum iuste poterimus, expeditam justiciam ministrare. Et ubi super hoc per viam concordie, si forsitan Deo favente intervenire posset, velles procedere, etiam in hac parte, si nos requisieris, offerimus nos laboraturos animo gratulanti, et in cunctis, que honeste possimus, tuis desideriis complacere. Et propterea, cum de iustis responsionibus nostris Regalis Sublimitas debeat contentari; pietatem tuam et devotionem, quam habes ad Romanam Ecclesiam, deprecamur obnixe, quatenus eandem Ecclesiam non relinquas, sed ad firmitatem sui status velis sibi contra suos hostes de tuo magnifico auxilio, utique tibi possibili, honorabili, multipliciter utili, et etiam apud Deum meritorio, liberaliter subvenire; maxime eum hostes ipsi sint debilitati quamplurimum, et probabiliter de ipsis cito, dante Domino, poteris triumphare; prout hec omnia dictis Ambaxiatoribus plenius verbo expressimus, et ipsi ea Regie Celsitudini seriosius referre poterunt oraculo vive vocis. Ceterum quia iidem Ambaxiatores, audita nostra responsione prefata, quedam de Principatu Salerni et Honore Montis Sancti Angeli, necnon de Comitatibus

Provincie et Pedemontis etiam ex tua parte nobis exponere curaverunt, eis respondimus, prout ipsi referent Celsitudini prelibate. Datum Avinione XIIII. kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

76.

I. Johanna siciliai királynénak XI. Gergely pápa az I. Lajos magyar és lengyel király részéről Sicilia birtokára nézve kijelentett követelésekről. 1374.

Gregorius Episcopus etc. carissime in Christo filie Johanne Regine Sicilie illustri salutem etc. Ad Serenitatis Tue notitiam deducimus per presenies, quod venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Zagrabiensis, et dilectus filius nobilis vir Petrus Zudar Banus Sclovonie, Ambaxiatores carissimi in Christo filii nostri Ludovici Regis Vngarie illustris ad Sedem Apostolicam, de Francia redeuntes, nobis retulerunt, quod per carissimum in Chrirto filium nostrum Carolum Regem Francie illustrem suo, et per ipsos prefati Regis Vngarie nominibus erant facte promissiones, et prestita iuramenta de contrahendo debito tempore matrimonio inter dilectum filium nobilem Ludouicum secundo genitum Francie, et alteram dilectarum in Christo filiarum nobilium natarum Vngarie Regum predictorum impuberes, quam ipse Rex Vngarie ad hoc duceret eligendam; sed sub quibus convencionibus hoc sit actum, penitus ignoramus. Deinde nobis exposuerunt: Quod licet idem Rex Vngarie debuit, ut dixerunt, de jure succedere pro eo, quod clare memorie Carolus Rex Vngarie, pater suus tamquam unigenitus quondam Caroli Martelli primogeniti clare memorie Coroli Secundi Regis Sicilie, proavi tui, indebite exclusus ab eodem extiterat; post dictum obitum tuum ad extraneos deveniret; et propterea petierunt per nos declarari, Regnum prefatum ad eundem Regem Vngarie pertinere. Cumque nos dictis Ambaxiatoribus in contrarium allegavissemus declarationem felicis recordationis Bonifacii Pape VIII. predecessoris nostri, super hoc de voluntate pre-

fati Caroli Secundi factam; ipsi Ambaxiatores aliqua replicarunt, et nos quedam contra ea allegauimus, que hinc inde dicta causa brevitatis omittimus de presenti. Sed postea subiecerunt, quod memoratus Carolus Rex Vngarie primo, et deinde idem Ludovicus Rex Principatu Salerni et Honore Montis Sancti Angeli, nec non Comitatibus Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis, qui non venerunt in declaratione predicta, fuerunt, et ipse Rex est, ut dicebant, indebite spoliati; et quod Carolus Martellus, cum, ut eorum vocabulo utamur Latino, bastardus non fuerit, et Carolus Vngarie, et Ludovicus Reges prefati predictos Principatum et Honorem debuerunt, prout ceteri filii eiusdem Caroli Secundi, pro sua portione habere; dicentes, quod iamdicti Comitatus Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis. non spectabant ad Romanam Ecclesiam, et quod sepedictus Rex Vngarie super ipsis bene consequeretur ius suum; et quod, quia notorium erat prelibatos Principatum et Honorem ad supradictos Carolum Martellum et Carolum Regem Vngarie spectavisse, et ad eundem Ludovicum Regem nunc spectare, nobis supplicarunt, ut ex officio nostro, Te etiam non vocata ad judicium, declarare dignaremur, ipsos Principatum et Honorem ad dictum Regem Vngarie pertinere; Nos autem ipsis Ambaxiatoribus, prout etiam nonnullis aliis pro parte dicti Regis Vngaria ad nos hactenus destinatis sepe respondimus, nos promptos semper et paratos eidem Regi super premissis bonam, expeditam ac favorabilem justitiam ministaare. Et si Rex ipse vellet ac posset cum eis, qui in hac parte tanguntur, ad aliquem bonum et amicabilem devenire tractatum, in hoc etiam nos inveniret favorabiles et benignos. Verum quoniam Ambaxiatores ipsi de hac nostra responsione contentari mimine videbantur, imo non recedebant de Romana Curia, ferventer adhuc pro nostra meliori responsione instabant: Nos, ne ipsi male contenti a nobis recederent, et ex eorum relatibus scandala pulularent, voluimus super premissis cum fratribus nostris Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus maturiorem deliberationem habere. Demum vero cum eisdem fratribus communicato superinde consilio, dictis Ambaxiatoribus de ipsorum fratrum consilio, nostrum in hunc modum dedimus finale res-

ponsum, videlicet: Quod nos de premissis plenam non habentes notitiam, inde volebamus, prout congruebat etiam rationi, per te et alios, quos presens tangebat negotium, vos primitus informare, et mera veritate comperta, quicquid pro bono concordie per nos rite possèt fieri, procul dubio faceremus. Ideoque premissa, que non sunt negligentie comittenda, ad Reginalis Celsitudinis notitiam duximus deducenda, Te paterne hortantes, ut ea mature discutias, et dilectis in Christo filiabus nepotibus tuis, et aliis, qui in hac parte tanguntur, notifices, tuque et ipsi aliquem seu aliquos viros peritos et fideles plene informatos de tuis et ipsorum iuribus, ac cum tuis et eorum responsionibus rationabilibus et discretis, et de aliqua bona via concordie, si tibi et eis occurrat, ad nostram presentiam quam cito commode poteris, studeas destimare, ut de iuribus et responsionibus ipsius sepedicto Ludovico Regi cito scribere valeamus. Optamus enim inter te et personas, que tibi deberent pro tempore in premissis succedere, ipsumque Ludovicum Regem taliter predicta disponi, quod nulla invicem oriatur animosa discordia, nullumque scandalum suscitetur; sed petitionibus et revisionibus utriusque partis, qualibet altercatione cessante, quieto et amicabili modo in libram deductis justicie, dilectio consanguinealis firmiter maneat et sumat iugiter incrementum. Datum apud Villamnouam Avinionensis Diocesis X. kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

77.

I. Lajos magyar és lengyel királynak követe Velenczében, a raguzai és cattaroi differentiák elintézése iránt. 1374.

Anno MCCCLXXIV. die XXVIII. Septembris. Capta: Cum dominus Rex Hungarie miserit ad nos Ambaxatorem suum pro factis Raguseorum, qui Ambaxator tetigit etiam incidenter de factis Catarinorum, vadit pars, quod committatur Sapientibus pro factis Janue (ut audiant dictum Ambaxatorem, et desuper dent) nobis suum consilium.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXX. kötet 243. l.)

78.

I. Lajos magyar és lengyel királynak követei visszatérnek Francziaországból és Rómából. 1374.

Anno MCCCLXXIV. indictione XIII. die XVIII. Octobris. Capta: Quod Reverendus pater dominus Episcopus Zagrabiensis et Egregius vir dominus Suterpetre (Zudar Péter) Ambaxatores Serenissimi domini Regis Hungarie, redeuntes de Francia et Romana Curia, possint levari super uno ex lignis riperie Istrie in Caprulis vel alibi, et conduci Segniam cum eorum comitiva et arnesiis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 284. l.)

79.

V. Károly franczia királynak követei utaznak Magyarországba. 1374.

Anno MCCCLXXIV. indictione XIII. die III. Novembris. Capta: Cum Ambaxiatores solemnes Illustris domini Regis Francie, euntes in Hungariam, venerint Venecias, et rogaverint curialiter pro parte domini Regis prefati, quod possint habere transitum per mare usque Segniam cum aliquo nostro navigio, vadit pars, quod cum ligno riperie Istrie leventur et portentur Segniam.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből, XXXIV. köt. 297. l.)

80.

I. Lajos magyar és lengyel király a raguzai kereskedőket ajánlja Estei Miklós őrgróf, ferrarai fejedelemnek. 1374.

Lodouicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc.

Amiciciam Vestram attente petimus et rogamus, quatenus vniuersos ciues et mercatores nostros fideles de Ragusio, dum ad vos, terras, dominia et passus vestros peruenerint,

velitis habere fauorabiliter nostri consideracione commendatos. Datum Bude die primo mensis Decembris anno LXXIII.

Kívül : Magnifico et Excellenti Domino Nicolao Marchioni Estensi, Domino Ferrarie, amico nostro carissimo.

(Eredetie papiron, a bécsi császári titkos udvari levéltárban.)

81.

I. Lajos magyar és lengyel király a raguzai kereskedőket ajánlja Visconti Barnabás milanoi fejedelemnek. 1374.

Lodovicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc.

Amiciciam Vestram sinceris studiis deprecamur, quatenus vniversos cives et mercatores nostros de Ragusio, dum ad vos et terras, dominia et passus vestros peruenerint, velitis habere nostri consideracione favorabiliter commendatos. Datum Bude die primo mensis Decembris anno LXXIIII.

Kívül : Magnifico et potenti Domino Bernaboni Vicecomiti Mediolanensi, amico nostro carissimo.

(Eredetie papiron, a bécsi császári titkos udvari levéltárban.)

82.

I. Lajos magyar és lengyel király a raguzai kereskedőket ajánlja Malatesta Galeotto rimini-i fejedelemnek és testvéreinek. 1374.

Lodovicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc.

Amicitiam Vestram attente petimus et rogamus, quatenus vniuersos cives et mercatores nostros fideles de Ragusio, dum ad vos, terras, dominia, et passus vestros pervenerint, velitis habere favorabiliter nostri consideracione commendatos. Datum Bude die primo mensis Decembris anno LXXIIII.

Kívül : Nobili et potenti Domino Galeotto de Malatestis et suis fratribus de Arymino, amicis nostris carissimis.

(Eredetie papiron, a bécsi császári titkos udvari levéltárban.)

83.

XI. Gergely pápa az I. Lajos magyar és lengyel királynak egyik leánya, és IV. Károly császárnak fia Zsigmond közt tervezett házasságra nézve a rokonsági akadálytól felmentést ád. 1374.

Gregorius Episcopus etc. carissimo in Christo filio Carolo Imperatori Romanorum Semper Augusto ac Boemie Regi illusri, salutem etc. Etsi inter illos, qui consanguinitatis vel affinitatis linea invicem sunt connexi, Sacrorum Canonum instituta matrimonialem copulam interdicant; Summus tamen Pontifex ex plenitudine potestatis, quam non ab homine obtinet, sed a Deo, considerata personarum et temporum qualitate utiliora prospiciens, nonnunquam rigorem eorum mansuetudine, maxime circa sublimes personas pro pace regnantium temperat et Regnorum, et quod negat eorum severitas, indulget provide dispensando de gratia speciali. Sane petitio pro parte Tue Celsitudinis nobis nuper exhibita continebat, quod ad sopiendum guerras, inimicitias et odia, que inter te et carissimos in Christo filios nostros Wenceslaum Boemie, primogenitum tuum ex una, et Ludovicum Vngarie Reges illustres ex alia partibus, pacis emulus suscitavit, et ad obviandum guerris et malis aliis, que inter ipsos Reges, qnod avertat Dominus, possent forsitan suboriri, nec non pro defensione et exaltatione fidei Catholice, pro tua et ipsius Regis Vngarie parte tractatum extitit, et etiam concordatum, quod inter dilectum filium nobilem virum Sigismundum secundogenitum tuum, et unam ex filiabus dicti Regis Vngarie matrimonium contrahatur. Et iam inter eos per verba de futuro sponsalia sunt cotracta; sed quia dicti Sigimundus et filia quarto consanguinitatis gradu invicem se attingunt, matrimonium huiusmodi contrahere nequeunt, dispensatione super hoc Apostolica non obtenta. Quare pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere super hoc de opportune dispensationis gratia dignaremur. Nos igitur, qui cunctis Christi fidelibus quietis et pacis commoda procuramus; volentes huiusmodi guerris, inimicitiis et odiis, quantum cum Deo possumus,

salubriter obviare; huiusmodi supplicationibus inclinati, cum dictis Sigismundo et filia illa, videlicet quam ad hoc malueris, ut ipsi impedimento, quod ex huiusmodi consanguinitate provenit, non obstante matrimonium invicem contrahere libenter, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere licite valeant, auctoritate Apostolica de speciali gratia tenore presentium dispensamus, prolem suscipiendam ex huiusmodi matrimonio legitimam nunciantes. Nulli ergo etc. nostre dispensationis infringere etc. Datum Avinone VIII. idus Decembris, Pontificatus nostri anno quarto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

84.

Jádra dalmatiai tengeri városnak a magyar uralom alatt virágzó állapota. 1374.

Anno MCCCLXXIV. die X. Aprilis. Quod vos ser Damianus de Nassis et dominus Jacobus de Raducis facta reuerencia et recommendatione solita Maiestatibus domini Regis et domine Regine senioris; primo dicetis, qualiter galea pro accessu in Apuliam domini Ducis (értetik Durazzoi Károly) cum consorte extitit ad nutum preparata. Item quod equi et alie res ipsorum Dominorum in alijs nauigijs sufficientibus immissi iam iuerunt; et non expectatur aliud pro eorum motu, nisi galea Ragusinorum, qua veniente memorati Dominus et Domina statim mouebunt. Item nostri parte Maiestati vtrique procliuas et supplices gracias referatis de tam benigna et graciosa expeditione vltimorum Ambassiatorum nostrorum referencium nobis, omnem obtinuisse graciam postulatam, ex quibus multum sumus alacres et contenti; et maxime de separacione Archiepiscopi ab incolatu Ciuitatis vsque ad translacionem ipsius oblatam per Regiam Maiestatem; qua facta in pace quieta animarum et corporum stabimus, Ciuitasque augebitur de bono in melius ad honorem Regie Maiestatis; et regraciabimini domino Episcopo Vaciensi, domino Comiti Galipuli et domino Stephano de predictis omnibus obtentis gracijs a Regia Maiestate eorum operationibus fructuosis.

Et supplicabitis eis, quatenus eis placeat obuiari omnibus contra nos procurantibus, et speciales personas, verbo vel opere aliquid obtinere a Regia Maiestate; et si aliter obuiari non possit, saltem supplicetur Regie Maiestati, quatenus dignetur ante effectiuam audienciam talibus in nos procurantibus exhibendam, quod nos super talibus informare possimus de nostris juribus et condicionibus Regiam Maiestatem, nos in hac parte sicut ceteris graciose tractando. Item secrete et separatim, et in secreto tenendum domino Comiti Galipoli et domino Stephano, qui ex quo nostri creati sunt Ciues et Consiliarij, cupimus quod quilibet ipsorum habeat domum in Jadra, in qua cum veniret, valeat hospitari: pro qua emenda hic secreto est in Consilio statutum, quod circa festum Natiuitatis largiantur cuilibet ipsorum floreni CCC auri de nostris redditibus tunc habendis; ante vero fieri nequit propter expensas et contracta debita occasione fortificationis Ciuitatis, nec non preparacionis galee supradicte. Si vltra dictam quantitatem volent in dicta domo expendere, faciant velle suo. Que quantitas sexcentorum florenorum de dacio becharie supradicto termino soluendo tollatur; et quod dictum dacium vsque ad remanencia dictorum sexcentorum florenorum in aliquam causam conuerti et deputari non possit, vt dicto tempore donando predictis Dominis dicta quantitas habeatur; et super hoc primitus deliberacionem et consilium prefati domini Episcopi habeatis, et prout ab ipso habebitis procedatis. Item si casus occurrerent, propter quod resistendum esset contra nos quicquam procurantibus in Curia Regie Maiestatis; committimus vobis, quatenus habito consilio et deliberacione domini Episcopi Vaciensis super huiusmodi, tu Damiane pro nostro Ambassiatore remaneas ad predicta; et in talibus casibus omnia facias oportuna, et habebis a nobis a die, a quo dominus Episcopus tuam remanenciam pro predictis duxerit faciendam, in antea florenos quinquaginta in mensem et racione, vsque dum Jadram redibis. Item exponetis Regie Maiestati, qualiter Egregius dominus Magister Johannes Bissenus, qui huc venit occasione preparacionis oportunarum nauium pro transitu Illustris Domini Karoli cum consorte ad Regnum Apulie, tam bene et laudabiliter se gessit in hoc, quod venit merito

commendandus. Et eciam in reconciliacione animi domini Ducis erga quendam nostrum insontem Nobilem diligenti, tam scientifice et commendabiliter se gessit, quod preter laudum merita ei confitemur fore multipliciter obligatos. Et eum Regie Maiestati recommendabitis nostri parte; et si idem dominus Johannes ex parte nostri litteras vellet ad Regiam Maiestatem, fiant in forma superius declarata. Item super negocio dacij salis; quia sal valet solum V florenos pro centenario, et dacium ascendit etiam X florenos pro centenario; dignetur Eius Maiestas dictum dacium reducere ad V florenos; quoniam ex hoc Camere Regie, et specialibus personis, vtilitas amplior consequetur, quoniam vltra dictos V florenos dacium dicti salis in preterito nunquam fuit.

Item iuit pars maior dominorum Rectorum, et de consensu ser Francisci tercii Rectoris, quod Curia et presens Consilium accedat ad nobiles Ambaxiatores Regie Maiestatis, et secum ducant ser Johannem de Gallo; et eis dicant, quod cum eorum consilio deliberatum est procedere in et super facto peticionis, quam dominus Dux facit a dicto ser Johanne hoc modo, quod in ipsorum Ambaxiatorum presencia dicatur domino Duci, quod Consilium Jadre deliberauit, quod si Johannes predictus, sicut dominus Dux dixit se contentari, iuret, si tenetur domino Duci in quantitate petita, vel minori, aut in nihilo. Et si iurabit, quod nihil ei tenetur, remaneat absolutus; et si iurabit aliquid ei teneri, illud dabit intra terminum competentem; et dominus Dux ex hoc contentabitur; vt dictum est, procedatur in predictis. Si autem dominus Dux non contentaretur ex hoc, et vellet Johannem retinere; tunc dicatur per Consilium, quod dignetur velle, quod per Curiam Jadre videatur jus ipsius domini Ducis. Et si dicet istud nolle, sed quod omnino vult ipsum Johannem retinere; tunc dicatur, quod dignetur velle, quod jus vtriusque partis videatur per Regiam Maiestatem, ad quam ipse Johannes immediate accedat. Cum autem dominus Dux dicet istud nolle, et tamen vellet ipsum Johannem in sua fortia retinere; respondeatur, quod cum voluntate ipsorum dominorum Ambaxiatorum Consilium non intendat pati, quod Johannes remaneat in forcia ipsius domini Ducis. Sed si ipsi Domini eum volunt, et

non ponere eum in manibus domini Ducis; et hoc Consilium contentatur. Aliter nullo modo Consilium intendit pati, quod ipse Johannes remaneat in forcia Ducis memorati. — Capta per maiorem partem Consilij.

Die XVIII. Junij. In dicto Consilio iuit pars, quod eligantur tres Nobiles, qui vadant ad dominum Ducem, notificatum ei excessus et offensiones per eius familiam commissos in Jadrenses; supplicando ei, quatenus dignetur corrigere delinquentes, ita quod de cetero talia non committantur; et dicendo, quod intencio Consilii est, huiusmodi excessus notificare Regie Maiestati.

Die VII. Octubris. Restituantur ad mandatum domini Ducis, vel Regium, octo trabes mutuo accepte a domina Ducissa, pro catena noua portus fienda.

Penultimo Octubris. Fiat donum domino Regi et dominabus Reginis de rebus maritimis.

Die XI. Nouembris. Singuli duo villani apportent vnam gallinam et quatuor oua pro faciendo dono domino Duci.

Die XII. Nouembris. Quod de numero CLXXIIII hominum a remis, oportunis pro armando galeam, quam armari mandauit Regia Maiestas pro accessu domini Ducis et consortis in Apuliam, preparentur LXXXVII per Commune Jadre secundum distribucionem Johannis Bisseni. Quorum stipendium ascendit in mense in racionem quatuor florenorum pro quolibet, CCCXLVIII florenorum. Item Supracomitus, Comitus et naute octo cum stipendio in mensem; videlicet Supracomitus XV florenos, Comitus X florenos, et quilibet nauta sex, et medietas dicti stipendij XXXVII florenos. Item quod solvatur prescriptis suprascriptum stipendium pro vno mense. Et in aduentu domini Episcopi Vaciensis declaretur, pro quanto tempore galea erit mansura vltra mensem; quo scito Curia dari faciat Supracomito tantam quantitatem, que ei videbitur, pro refrigerio. Qui omnes suprascripti stipendium habeant pro dicto tempore, quo stabunt ad dictam racionem galee, et racione mensis, vsque ad diem reditus eorum, a Communi Jadre. Item quod supplicetur domino Episcopo Vaciensi, quatenus cum galea Ragusinorum, tempore quo iuerunt in Apuliam Ambaxiatores Regie Maiestatis, non iuerit nisi

vsque Segniam, et galea Jadratinorum stetit duobus mensibus expensis Jadratinorum : dignetur, si Sue Paternitati videbitur, quod galea Jadratinorum, cum dominus Dux appulerit, retrocedat, et galea Ragusinorum, si oportebit remaneat; nihilominus fiat, vt Sue Paternitati videbitur. Item quod homines a remis acquirantur hoc modo, videlicet : quod scribatur Comiti Pagi, quod statim inueniri faciat XL bonos homines a remis, coniectando inter Pagenses, quomodo ei videbitur, coniectentur; qui stent parati, ita quod subito moueant, cum mittatur pro eis, cum stipendio IIII florenorum pro quolibet in mense eis dando, et incoando die quo Jadram intrabunt; et tale stipendium dabimus eis pro vno mense immediate, et sic habere debeant, quousque stabunt, secundum menses. Et XXV homines a remis inueniantur intra Ciuitatem, scilicet per sesterium; et XXI homines inueniantur de Judicatibus in insulis, qui Judicatus sunt octodecim; et quilibet det vnum hominem, tres vero maiores Judicatus dent duos pro quolibet; quibus omnibus soluatur vt supra Pagensibus; et ad dictam racionem satisfiat eis tempore quo stabunt. Item quod de pecunia de Pago mittenda, et pecunia bladi, que est penes procuratores in vita (?), vsque ad numerum oportunamque quantitatem, conuertatur in solucione stipendii suprascriptorum; et eciam pro honorando Dominos Jadram venturos, qui Curie videbuntur honorandi; et eciam LX floreni, qui debebant conuerti in honorando dominum Episcopum Vaciensem, et dominum Comitem Galipoli, quos LX florenos Curia statim dari faciat illis, qui debent donum hoc parare.

Die XXVI. Decembris. Quod a LX florenis infra dentur domino Duci et eius consorti ante kalendas, et ordinent venacionem pro predictis; et denarij accipiantur de pecunia Communis vbicunque extiterit non obligata.

(Jadra város tanácsának jegyzőkönyvéből, melynek töredékét találtam az ottani városi levéltárban.)

85.

V. Károly franczia királynak követei visszatérnek Magyarországból. 1375.

Anno MCCCLXXIV. indictione XIII. die XX. Januarii. Capta: Cum Ambaxiatores domini Regis Francie per ea, que sentiuntur, compleverint Ambaxatam suam apud dominum Regem Hungarie pro facto illus matrimonii, et sunt in proximo Venecias redituri pro eundo domum, et pro honore nostro faciat honorare istam Ambaxatam; vadit pars, quod die presenti scribatur Capitaneo Riperie Istrie, quod vadat per riperiam usque Segnam, et in omni loco et portu, ubi reperiet ipsos Ambaxiatores, debeat eos levare, honorare et conducere Venecias; et in casu quo nondnm aplicuissent Segnam Ambaxatores predicti, prestoletur Capitaneus Riperie per quatuor dies, et conpletis ipsis quatuor diebus, si sentiret, quod Ambaxata predicta deberet esse in Segna usque alios duos dies, prestoletur eos, et honoret et conducat Venecias, ut est dictum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIV. köt. 314. l.)

86.

I. Lajos magyar és lengyel király a leánya Hedvig és Vilmos austriai herczeg közt tervezett házasság iránt. 1375.

Nos Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. notum facimus tenore presencium vniuersis, quod Nos animo deliberato, maturoque Prelatorum et Baronum nostrorum accedente consilio, bona fide, absque omni dolo et sine fraude, Serenissimo Principi domino Leupoldo Duci Austrie, Styrie et Karinthie etc. fratri nostro karissimo, propter sinceri amoris constanciam promisimus, et serie presencium promittimus seriose, quod inclitam virginem Hedwigam, natam nostram iuniorem, illustri Wilhelmo, eiusdem domini Ducis Austrie primogenito, cum dote siue dotalicio propter nupcias, sicut ceteri Principes et Reges Hungarie

filias et sorores suas dotare consueuerunt, matrimoniali federe copulandam trademus in consortem; dummodo talis non fuerit, nec sit infirmitate prepeditus, propter quam inter eos possit merito diuorcium celebrari. Volumus tamen, quod predictus Dux deinceps Nos nostrosque heredes et successores in Hungaria, Sclauonia et Dalmacia; et similiter Nos dictum Leupoldum Ducem suosque heredes et successores in Austria, Styria, Karniola et Marchya Sclauonica, mutuo et in alterutrum, vigente necessitate, contra omnes, nullo penitus excepto, Nos, nostrosque heredes et successores perturbare volentes adiuuare debebimus, et defensare fideliter teneamur. Et si Nos ab hac luce decedere contigerit, quod absit, extunc ipse Dux promissum iuuamen fideliter faciet, et adimplebit; et simili modo faciemus, si eundem Ducem decedere contingat ab humanis. Harum sub Maiestatis Nostre pedenti sigillo testimonio litterarum. Datum Bude in dominica qua cantatur »Esto michi« anno Domini MCCCLXX. quinto.

(Eredetie bőrhártyán a királynak függő pecsétje alatt, a bécsi császári titkos levéltárban.)

87.

A velenczei kormánytanács 2000 aranyt kölcsönöz a Frangepánoknak. 1375.

Anno MCCCLXXV. indictione XIII. die XIII Marcii. Capta: Cun patroni nostri Arsenatus sint pro faciendo unam compositionem sive conventionem cum Comitibus Segnie vel aliquo eorum, videlicet, quod debeant dare dictis patronis pro nostro Communi et non alicui persone omnes remos de mensuris nostris, et similiter facere teneantur subditi dictorum Comitum; qui Comites petunt ducatos duo millia mutuo. Vadit pars, quod dicta conventio fieri possit, et mutuari dicta pecunia vel inde infra, quam minus poterunt, recipiendo bonam plezariam, et faciendo dictam conventionem cum illis melioramentis et avantagiis, que videbuntur Domino, Consiliariis et Capitibus, vel maiori parti.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXV. köt. 7. l.)

88.

XI. Gergely pápának meghatalmazványa Vilmos bibornok és helytartója számára, hogy Visconti Barnabás és Galeaz testvérekkel fegyverszünetet vagy végleges békességet köthessen. 1375.

Gregorius Episcopus etc. dilecto filio Guillelmo Sancti Angeli Diacono Cardinali in nonnullis Terris Italie Romane Ecclesie immediate subiectis nostro et pro eadem Ecclesia in Temporalibus Vicario Generali salutem etc. Cum inter Romanam Ecclesiam et nonnullos Magnates et Communia Ciuitatum Partium Italie cum ipsa Ecclesia colligatos ex vna parte, ac Barnabonem et Galeatium de Vicecomitibus Milites Mediolanenses eorumque colligatos ex altera, quedam discordie dudum, prout Circumspectio Tua bene nouerit, fuerint suscitate, super quibus iidem Barnabas et Galeatius, vt bona pax et concordia inter partes fieri et adimpleri valeat, treugam nobis fecerunt offerri; supplicantes, quod super ipsa tractanda, et dante Deo ad firmitatem conclusionis debite deducenda dignaremur ad commune bonum per nos, vel alium seu alios partes nostre sollicitudinis adhibere. Nos igitur, qui secundum Apestolum, si fieri potest, pacem habere cum omnibus, et inter cunctos Christi fideles inuicem dissidentes reformari, ac vigere concordiam plenis desideriis affectamus aures super tractatu dicte treuge, ut interim bona pax refor mari valeat, si treuga huiusmodi rationabilis offeratur, et ad hoc eorundem colligatorum ante firmationem dicte treuge concors accedat assensus, prebere volentes; ac considerantes, quod eadem Tua Circumspectio in Ciuitate nostra Bononiensi, utpote loco aptiori et viciniori pro premissis peragendis, immoratur ad presens; eidem Circumspcctioni, de cuius probatissima fide et eiusdem industria plenam in Domino fiduciam obtinemus, omnibus et singulis nostris et dicte Ecclesie colligatis presentibus, et quorum nomina non ignoras, et nos hic haberi volumus pro expressis, secundum quod debet ex forma colligationis seu colligationum cum eisdem colligatis actarum per Ecclesiam supradictam, per te requisitis, ac de

ipsorum consilio et consensu tractandi, firmandi et faciendi pro nobis et dicta Ecclesia, eiusque subditis et adherentibus vniuersis et singulis huiusmodi treugam ad tempus, de quo ipsi Circumspectioni Tue videbitur, et demnm pacem et concordiam cum eisdem Barnabone et Galeacio suisque colligatis et adherentibus super hiis adhibitis et interpositis conditionibus, cautelis, promissionibus, et obligationibus de quibus tibi et eisdem colligatis pro honore status et quiete nostris et dictorum Ecclesie colligatorum et subditorum ac adherentium partium Lombardie ac Tuscie videbitur expedire, de fratrum nostrorum consilio plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Avinione III. idus Aprilis, Pontificatus nostri anno quinto.

(XI. Gergely pápa regestáiból. A pápa regestái közt találtatik egy 1374. julius 30-ki meghatalmazványa is János arezzoi püspök és apostoli nuncius, s Amadé sovoyei gróf számára, hogy Visconti Geleazzal fegyverszünetet köthessenek.)

89.

Trau dalmacziai tengeri városban vagyoni átruházás. 1375.

In Christi nomine Amen. Cum hoc sit, quod dudum nobilis vir Gausina filius quondam Marini de Gausina de Tragurio per se suosque heredes et successores jure proprio et irrevocabili titulo et nomine pure, mere, libere et inrevocabile donationis donasset, remisisset, tradidisset et refutasset donacione, que dicitur inter vivos, domine Radoslaue sue sorori uterine, filie dicti condam Marini omnes et singulas villas, territoria, possessiones, prata, nemora, pascua, aquas et aquarum decursus, tam cultas quam ircultas, positas tam in Districtu Ciuitatis Tragurie, quam in Regno Croatie existentia, pertinentia et spectantia dicto Gausine, et que ad ipsum pertinere seu spectare poterant quoquo modo; et ipsas villas et possessiones cum earum juribus et pertinentiis promisisset eidem ab omni homine et Vniuersitate legitime deffendere et excalumpniare cum hac conditione et pacto videlicet, quod dicta domina Radoslaua, sive sui heredes vel successores, de-

berent et tenerentur manutenere et gubernare dictum Gausinam suum fratrem, prebendo ei victum et vestitum usque ad vitam dicti Gausine sub certa pena solvenda, ratomanente predicto contractu; prout hec omnia lacius et plenius continentur in quibusdam litteris Capituli Nonensis, datis sub sigillo pedente dicti Capituli in Ecclesia Majori Nonensi anno Nativitatis Domini millesimo trecentesimo sexagesimo octavo indictione septima die octavo mensis Octubris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini, domini Urbani Pape Quinti anno quinto. Cumque eciam post hec dictus Gausina coram eodem Nonensi Capitulo fuerit confessus, habuisse et recepisse causa mutui a Paulo condam Purche de Aurana habitatore Jadre cognato suo, et a domina Radoslaua dicta sorore sua uterina et vxore legitima dicti Pauli ducatos mille boni auri et justi ponderis ad rationem librarum trium et solidorum quatuordecim pro quolibet ducato, pro quibus dictus debitor dictis creditoribus obligauit nomine pignoris totam et integram unam uillam suam vocatam Dassini Dolzj in Comitatu Tininii et Regno Croacie positam et existentem; item medietatem integram unius ville vocate Prapratniza; item medietatem integram cujusdam tercie ville vocate Lubitouo; et que in confinibus dictarum trium villarum continentur, vel rerum possessionem acceperit corporalem, quam accipiendi eidem auctoritatem et licenciam omnimodam concesserunt. Et dictus Gausina remisit, et refutavit, ac penitus relaxauit eidem domine Radoslaue victum et vestitum ad quod eidem erat obnoxia virtute literarum predictarum superius expressarum; et hoc quia videbatur, quod aliter non poterant quiete et pacifice commanere, nec conuenciones predictas attendere bono modo. Promittentes dicte partes vna alteri et altera alteri, dictas reffutationes, daciones, restitutiones et remissiones predictas ratas, gratas et firmas habere et tenere, attendere et observare, per se et suos heredes et successores, et non contra facere vel venire per se vel alium seu alios de jure vel de facto, sub pena quingentarum librarum parvorum solvendarum per partem non attendentem parti observanti; que pena tociens possit exigi cum effectu, quociens fuerit contra factum; et pena soluta vel non, predicta omnia firma perdurent; et sub reffectio-

ne omnium dampnorum et interesse, et expensis litis et extra. Pro quibus omnibus attendendis obligaverunt sibi vicissim unus alteri et alter alteri omnia bona sua presentia et futura. Nos igitur supradicti Archipresbiter, Primicerius, Canonici et Capitulum Majoris Ecclesie Spalatensis harum serie universis et singulis tam presentibus quam futuris quibus expedit vel expedire foret, per presentem paginam signignificamus, quod annuentes omnibus et singulis in presenti pagina contentis, fecimus dare litteras testimoniales nostre Ecclesie predicte sigillo et Capituli impendente munimine roboratas super omnibus et singulis in presente pagina annotatis. Sub anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, indictione tercia decima die XII. mensis Aprilis; Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri, domini Gregorii Diuina providentia Pape Vndecimi anno quinto.

(Hiteles másolat a bécsi császári titkos levéltárban.)

90.

A velenczei kormánytanács Frangepán Istvánnak gályát enged által tengeri utazásra. 1375.

Anno MCCCLXXV. indicione XIII. die XVII. Aprilis. Capta: Cum Magnificus dominus Stefanus Comes Vegle etc. carissimus amicus et civis noster, nobis instanter requiri fecerit per suum Ambaxatorem, quatenus nobis placeat concedere ei unam de nostris galeis pro complendo quoddam votum per ipsum factum ad Sanctam Mariam de Casopo. Qui Comes Stefanus et sui progenitores semper complacuerunt nobis de omnibus requisitis ab eis, ita, quod honori nostro facit conservare et argumentare ipsum in amore et benevolentia nostra, vadit pars, quod per viam mutui complaceatur dicto domino Comiti de una galearum nostri Communis de mensura Romanie, vel de uno bucentauro parato omnibus corredis opportunis, sicut melius videbitur Collegio Domini, Consiliariorum, Capitum et Sapientum Ordinum vel maiori parti. Et ultra hoc concedatur ei, quod possit soldare in Venetiis tot homines de

pede, quot sint sufficientes ad gubernationem dicte galee pro dicto voto complendo.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXXV. köt, 31. l.)

91.

Fegyverszünet a római szék s Visconti Barnabás és Geleazzo testvérek közt. 1375.

Gregorius Episcopus etc. dilectis filiis ... Prioribus Populi et ... Vexillifero Justitie, ac Communi Civitatis Aretine salutem etc. Quia noviter nobis innotuit, quod treuga nostro et Ecclesie Romane nomine cum Bernabone et Geleaz de Vicecomitibus de Mediolano est firmata stb. Datum apud Villam Nouam Avinionensis Diocesis XI. kalendas Julii Pontificatus nostri anno quinto.

In eodem modo Defensioribus Populi et Communi Civitatis Senensis; Ancianis Populi et Vexillifero ac Communi Civitatis Pisane.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

92.

Balza György zetai grófnak a velenczei köztársaság, hogy Dulcignóban a raguzaiak irányában a velenczei kereskedés érdekeit ne károsítsa. 1375.

Anno MCCCLXXV. die VIII. Julii. Capta: Quod scribatur domino Jure de Balsce in hac forma, videlicet: Nuper cum maxima displicentia recepimus a Consule et mercatoribus nostris in Dulcigni partibus commorantibus litteras continentes, quod Magnificentia Vestra ad Ragusinorum instantiam ipsis nostris Consuli et mercatoribus literas suas scripsit, per quas videtur fore intencionis vestre velle taliter ipsos gravare novitatibus insuetis contra franchisias, libertates et bonas consuetudines solitas, quod de Dulcigno recedere compellantur. De quibus quidem novitatibus et gravaminibus vehementissime turbamur et gravamur, considerantes libera-

les promissiones per vos et nuncios ac Ambaxatoros vestros nobis ac Capitaneis et Ambaxatoribus nostris factas, nec unquam credere potuissemus, quod a Magnificentia Vestra talia processissent, imo eramus certi, quod si per alios talia contra nostrates facta forent, vos ipsa turbare et nostros iuvare et defendere contra quoscunque debuissetis, et sperabamus, vos ipsos continue prosequi, et agenda sua favoribus et beneficiis amplioribus, attento specialiter, quod civis noster estis, et vos et negotia vestra semper favorabiliter et benigne tractavimus et tractamus, et etiam quantum commoda et utilis est conversatio nostrorum in terris et locis vestris magis quam alicuius alterius generationis. Quare Magnitudinem Vestram attente requirimus et rogamus, quatenus novitates predictas, si facte sunt, revocare et reformare placeat et velitis, et ab ipsis vel similibus de cetero vos abstinere, permittentes cives et mercatores nostros morari et mercari in terris et locis vobis subditis salvos et securos, et tractantes et conservantes ac tractari et conservari facientes ipsos cum eorum bonis et mercationibus favorabiliter et benigee secundum bonas consuetudines, franchisias et libertates solitas, prout de Magnificentia Vestra plene speramus. Super quibus quidem omnibus nobis per vestras litteras intencionem vestram placeat reserare quam cicius esse potest, quas Consuli nostro predicto assignare velitis.

Die suprascripto: Quod scribatur Consuli uostro in Dulcigno et mercatoribus nostris ibidem existentibus, quod presentare debeant et procurare effectum literarum, quas scribimus domino Jure dc Balsce in forma superius annotata, quarum copiam sibi misimus in nostras litteras interclusam, remittendo nobis ad quam cicius poterit responsionem, quam nobis faciet dictus Jura.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXV. kötetéből 53. l.)

93.

Erzsébet anyakirályné s I. Lajos királynak Lengyelországban helytartónője Lagow helységnek mezővárosi jogositványt ád. 1375.

In Christi nomine Amen. Humani generis actiones memoria perpetua plurimum indigentes, ab hominum noticia facillime dilabuntur, cum non literarum apicibus et fide dignorum testimonio roborentur; quoniam omnium memoriam habere plus Divinum fore noscitur, quam humanum. Proinde Nos Elizabeth, Dei gratia Senior Regina Regnorum Hungarie et Polonie, universis et singulis notum facimus tam presentibus quam futuris: Quod petitiones instantiuas venerabilis in Christo patris domini Sbituli Episcopi Cuiaviensis sive Wladislauiensis, nostri devoti et fidelis Capellani, quibus Nostram Celsitudinem per quendem suum familiarem Tomkonem precabatur, surdis nolentes auribus pertransire, volentes ipsum favore prosequi speciali, extunc villam ipsius dictam Lagow sitam prope Sydlouiam in terra Sandomiriensi, in oppidum commutamus et permutamus, quod similiter Lagow nuncupari volumus; et ibidem forum iuxta terre consuetudinem singulis feriis quintis statuimus ac decernimus temporibus perpetuis celebrandum; dantes et conferentes omnibus et singulis eiusdem oppidi pannicidis, carnificibus, tabernatoribus, pistoribus, sartoribus, sutoribus, ceterisque mechanicis ac hominibus dicti oppidi, nec non universaliter omnibus et singulis aliarum ciuitatum, oppidorum, villarum hominibus, ad dictum forum cum suis bonis, mercimoniis, sive rebus transeuntibus, siue transire volentibus, omnes res cuiuscunque generis fuerint aut speciei; utputa panes, cerevisias, pannos, sal, calceos, carnes, ferrum, ac alia quecumque, quibuscumque nominibus vel vocabulis exprimantur, adducendi, deducendi emendi, vendendi, ac alia singula faciendi, que jura et consuetudines Civitatum Regni nostri Polonie alias habentur, videlicet tempore Illustris Casimiri felicis recordationis Regis quondam Polonie, fratris nostri carissimi, et adhuc habent, omnimodam facultatem et plenam potestatem, ita quod iam

dicta nostra concessio et indultum aliis nostris Civitatibus seu oppidis nullum penitus preiudicium facere debeant siue damnum. Damus insuper Advocato sepedicti oppidi, qui pro tempore fuerit, in causis criminalibus et capitalibus, utputa furti, sanguinis, homicidij, membrorum mutilationis, incendij, ac quibusuis alijs, iudicandi, sententiandi, puniendi et condemnandi plenariam facultatem, iuxta Juris Teutonici clausulas, articulos atque puncta. In quorum omnium testimonium et robur perpedue firmitatis presentes fieri fecimus et nostri sigilli pendentis (munimine) per omnia duximus roborandum. Actum in Sendomiria sabbato post diem Beati Jacobi Apostoli gloriosi, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo quinto. Presentibus his Dominis: Petro Sandomiriensi, Dobeslao Cracouiensi Palatinis; Creslao Sendomiriensi, Stanislao Visliciensi, Petro Lublinensi, Creslao Sandecensi Castellanis, et Stanislao de Wroczimowicze, ac aliis multis fide dignis. Datum per manus honorabilis Zawisze Archidiaconi et Cancellarij Cracowiensis, nostri fidelis.

(Jagiel I. Ulaszló lengyel királynak megerősítéséből, az u. u. »Liber Metrica Regni«-ban CXVIII. köt. 244. l.; a varsói lengyel királyi levéltárban.)

94.

Carrara Ferencz paduai fejedelemnek a florenczi köztársaság. 1375.

Domino Paduano.

Magnifice Domine fraterque karissime. Juxta fraternitatis vestre salubre consilium matura deliberacione decreuimus, nostros Ambaxiatores, vna cum Oratoribus Magnifici fratris nostri domini Bernabonis, ad Maiestatem Regis Ungarie destinare, ad impetrandam ligam a Sua Serenitate in partibus Italie pro conseruacione Statuum et tranquillitatis tocius regionis. Et quoniam utilissimum arbitramur, Vestre Fraternitatis in hoc negocio Oratores intervenire, Magnificenciam Vestram cordialiter deprecamur, quatenus ipsos dignemini facere preparare, vt cum tempus fuerit ad hoc tractandum et

auctore Deo concludendum, simul accedant, illustrissimam prefati domini nostri Regis presenciam adituri. Et si prudencie vestre videtur expediens, hec prenunciare Maiestati Regie per vestras litteras, aut vive vocis officio; gratissimum nobis foret. Et hoc secretissimum teneri negocium iudicamus, scientes ad hoc prefatum dominum Bernabonem ardenti desiderio consentire. Data Florencie die VI. Septembris XIII. indiccione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggio, Missive« stb. osztály XVI. kötegében 19. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

95.

A florenczi köztársaság követeket küld I. Lajos magyar és lengyel királyhoz. 1375.

Domino Bonifacio Lupo.

Amice karissime. Quoniam fidis consiliis Magnifici fratris nostri Domini Paduani commoti Ambaxiatores nostros ad Maiestatem Illustrissimi Regis Ungarie providimus destinare, impetraturos ligam in partibus Italie, prout nobis prudencia vestra suggessit: vestram amiciciam deprecamur, quatenus ut idem Magnificus Dominus Paduanus suos Ambaxiatores ituros cum nostris, ac cum Oratoribus domini Bernabonis transmittat, dignemini procurare. Quamquam sumus certissimi, propter sinceram affeccionem, quam ad nos semper habuit, vos ad hoc obtinendum modicis laboribus indigere. Data Florencie die VI. Septembris XIII. indictione.

Con altra lettera del detto giorno invitamo Pozino Donati a procurare presso il Signor di Padova, che voglia mandar anch'egli suoi ambasciatori al Re d'Ungheria.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggio, Missive« stb. osztály XVI. kötegében 20. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

96.

XI. Gergely pápának meghatalmazványa Vilmos bibornok-helytartója számára, hogy a római egyház nevében szövetségeket köthessen. 1375.

Gregorius Episcopus etc. dilecto filio Guillelmo Sancti Angeli Diacono Cardinali in nonnullis nostris et Ecclesie Romane Terris in Italia consistentibus pro nobis et Ecclesia ipsa in temporalibus Vicario Generali salutem etc. Ad statum Terrarum nostrarum et Ecclesie Romane in Italia consistentium salubriter conservandum, bonumque publicum promovendum, nostre considerationis oculos dirigentes, et extimantes, quod ipsarum Terrarum salus et tranquillitas, bonique publici amplitudo melius poterunt custodiri, si ad id aliorum Dominorum, Nobilium et populorum suffragia interveniant, et nostris et Ecclesie Romane viribus aliorum vires et potentia coniungantur; Circumspectioni Tue cum quibuscunque Regibus, Principibus, Baronibus, Nobilibus, Terrarum Castrorum et Locorum Vniuersitatibus, singularibusque personis cuiuscunque status, preeminentie et condicionis existant, nostro et prefate Ecclesie nomine ligam et confederationem pro eo tempore et termino, et cum illis pactis et conditionibus, conventionibus, promissionibus, modis et tenoribus, ac penarum adiectionibus, et aliis omnibus et singulis oportunis, et de quibus eidem Circumspectioni videbitur; ita tamen, quod in quacunque liga per te facienda carissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum Imperator Semper Augustus, ac nostri et ipsius Ecclesie colligati recipiantur et intelligantur recepti, contrahendi et firmandi concedimus tenore presentium plenariam potestatem. Datum Avinione IIII. kalendas Novembris, Pontificatus nostri anno quinto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

97.

Oppelni László, I. Lajos magyar és lengyel király galicziai kormányzójának egy ottani hűbéri birtokot tárgyazó adománya. 1375

In nomine Domini Amen. Decet Exellentiam Principum, suorum subditorum commodis et utilitatibus intendere, ut dum eorum profectibus inuigilant, ipsos in honoris sui promocione et seruitijs seutiant promptiores. Nos igitur Vladislaus Dei gratia Dux Oppoliensis, Dominus Wyeluniensis et Russie etc. Ad perpetuam rei memoriam volumus tenore presentium deuenire, quod inspectis fidelibus et commendabilibus obsequiis Waszkonis Thepthucowicz, fidelis nostri dilecti, nobis plurimum exhibitis, et adhuc aucto fidelitatis studio nobis et nostris successoribus futuris temporibus crebrius exhibendis, maturo nostrorum Seniorum prehabito consilio, de nostre largitatis munificencia speciali eidem Waszkoni et suis heredibus legitimis et successoribus villas nostras, videlicet Strzelicze in Districtu nostro Zudaczouiensi, Wirzbasz et Mikaityncze in Districtu Colomiensi, cum omnibus et singulis earumdem pertinentijs, juribus et dominijs, prouentibus et obuentionibus, censibus, redditibus et emolumentis, prout dicte ville et earum quelibet in suis metis et granitijs limitate sunt circumferentialiter et distincte, cum agris cultis et incultis, et de nouo extirpandis, pratis, pascuis, syluis, rubetis, mericis, nemoribus, venationibus, aucupationibus, montibus, collibus, vallibus, planiciebus, aquis, aquarumve decursibus, ceterisque omnibus et singulis pertinentijs, utilitatibus et usufructibus, pro nunc in eisdem existentibus, prout nos soli easdem villas tenuimus et usi sumus, nullis penitus exclusis, damus, confirmamus et donamus prenominato Waszkoni et suis heredibus legitimis et successoribus hereditarie, jure feudali, ea libertate et consuetudine, qua ceteri nostri wasalli bona sua possident, temporibus perpetuis possidendas, tenendas, habendas, vendendas, obligandas, commutandas, et in usus suos beneplacitos conuertendas. Hoc tamen excluso, quod singuli cmethones dictarnm villarum nobis et nostris succes-

soribus de qualibet curia possessa singulis annis in festo Sancti Martini duos grossos Bohemicales soluere pro censu Camere nostre sint astricti. Etiam quod prenominatus Waszko, et sui heredes et successores, de prescriptis villis, nobis et nostris posteris cum duabus hastis et duobus balistarijs in equis et armis bene valentibus et preparatis, quotienscunque in dicta Terra nostra Russie necessarium fuerit, seruire tenebuntur. Promittimus insuper dicto Waszkoni et suis heredibus, quod si aliqua damna notabilia in nostro exercitu sub nostro balmario in equis interfectis perceperint, vel detenti seu captiuati fuerint; talia omnia damna restituere, et ab hujusmodi captiuitate, absque eorum damnis, liberare. Harum, quibus nostrum sigillum presentibus est appensum, testimonio litterarum. Actum in Lamberga die dominica proxima post festum Sancti Nicolai confessoris, anno Domini millesimo trecentesima septuagesimo quinto. Presentibus Boxicone de Chrapcowicz, Petro Browy Judice Prouinciali Terre Russie, Vittone Capitaneo, Chodkone de Ryblicz, Hlebone de Dworskowicz Wisthkone de Wokowicz: et Johanne de Glogouia nostro Cancellario, qui presentia habuit in commissis.

(Jagiel I. Ulászló lengyel királynak 1416-ki megerősítő okmányából, a »Zapisy Trybunalu Lubelskiego« czímü törvénykezési copialis könyvből XXX. köt. 248. l.; a varsói lengyel királyi levéltárban.)

98.

XI. Gergely pápa I. Johannát felkéri, hogy a florenczi köztársaság és szövetségesei ellen segédhadakat küldjön. 1375.

Gregorius Episcopus etc. carissime in Christo filie Johanne Regine Sicilie illustri salutem etc. Attendentes non sine graui cordis amaritudine diversarum novitatum et rebellionum fremitus in Terris Italie ad nos et Romanam Ecclesiam spectantibus, preter omnem nostram nostrorumque culpam exortos, ex quibus status eiusdem Ecclesie propter instabilitatem populi vehementer in illis partibus noscitur fluctuare: Serenitatem Tuam peculiarem eiusdem Ecclesie filiam ex precordiorum medullis affectuose rogamus obsecrantes, quatinus re-

ceptis presentibus illuc de tuis gentibus armigeris equestribus, quantum habundantius poteris, cum aliquo fido Capitaneo, status predicti zelatore feruenti, omnibus mora, dilatione pariter et excusatione semotis, celeriter destinare festines, vsque ad nostrum aduentum remansuris ibidem, et prout oportunum fuerit, Vicarii nostri in illis partibus ordinationi, de tuo speciali mandato per te faciendo eisdem gentibus et Capitaneo, plenarie parituris; certo tenens certius, filia peramantissima, quod si in tuo resedissemus vicinio, et talia, que nobis emergunt, et te latere non possunt, tibi, quod absit, evenire vidissemus; omnem succursum nobis possibilem tibi protinus etiam absque rogatione misissemus. Quesumus ergo, vt in subveniendo celeriter, prout exquirit necessitas, et etiam de jure teneris, affectionem tuam erga nos et dictam Ecclesiam per effectum luculenter ostendas; neque sinas, quantum in te fuerit, quod terre nostre cum ignominia tanta perdantur; non immemor, quod si status Ecclesie ruat, tuus non remanebit verisimiliter in securo. Datum Avinione XIII. kalendas Januarii, Pontificatus nostri anno quinto.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

99.

De Strozzis Caroccius és Bellandi Donát a florenczi köztársaságnak követei I. Lajos magyar és lengyel királyhoz. 1375.

In nomine Dominni Amen. Anno Domini ab eiusdem Incarnatione millesimo trecentesimo septuagesimo quinto indictione quartadecima, tempore domini Gregorii Pape Undecimi die XXVIII. mensis Decembris. Actum in Civitate Florentie in palatio habitationis et residentie domini Executoris Ordinamentorum Justitie Populi et Communis Florentie ad bancum juris, vbi jus redditur in dicto palatio. Constituti personaliter coram nobili viro Francischo de Gangellis de Eugubio honorabili Executore Ordinamentorum Justitie Populi et Communis Florentie etc. Caroccius Leonardi de Strozzis et Donatus Albitij Bellandi Populi Sancti Stephani ad

Pontem, honorabiles ciues Florentini, Ambaxiatores electi per Magnificos Dominos, dominos Priores Artium et Vexilliferum Justitie Populi et Communis prefati, destinandi ad partes Ungarie, iurauerunt ad Sancta Dei Evangelia corporaliter manu tactis Scripturis, ad delationem mei Notarij infrascripti mandato dicti domini Executoris: Quod nullum salarium eis stantiatum fuit, neque reccipient per se vel alium, directe vel indirecte, contra formam Statutorum et Ordinamentorum Communis Florentie; et quod vere et non ficte electi sunt et ituri in dictam Ambaxiatam, et omnia et singula in ea contenta facient et exercent bene et legaliter sine vlla fraude, ad que tenentur occasione Ambaxate predicte, vigore quorumcunque ordinamentorum Communis Flotie; et quod nullum habent deuetum a predictis; et quod a die eorum reuersionis Ambaxiate predicte ad vnum annum nullam aliam Ambaxiatam Communis Florentie acceptabunt nec exercebunt; et quod in ellectione eorum Ambaxiatorum nil in fraudem predictorum sit commissum. Et insuper promiserunt et conuenerunt dicto domino Executori stipulanti et recipienti pro Communi Florentie, quod nil in fraudem predictorum in electione ipsorum est commissum, et si commissum reperiretur aliquid in fraudem predictorum in electione ipsorum, promiserunt et conuenerunt dicto domino Executori dicto modo et nomine stipulanti et recipienti dare et solvere Camerario Communis Florentie pro ipso Communi recipienti quingentas libras florenorum parvorum denariorum.

Pro quo Caroccio, et eius precibus et mandatis fideiussit ser Johannes Nerii Notarius Florentinus Populi Sancti Michaelis Bertolde de Florentia promictens etc. renumptians etc.

Pro quo Donato, et eius precibus et mandatis fideiussit Pagnozzinus Pagnozzi de Florentia Populi Sancte Marie Ugonis promictens etc. renuntians etc.

Et Ego Luchas Venture de Eugubio Publicus Imperiali Auctoritate Notarius, et Officialis Extraordinarius presentis

(Jegyzői jegy.)

domini Executoris, de ipsius domini Exequtoris mandato subscripsi et publicavi, et meum sugnum apposui.

(Eredetie bőrhártyán »dell' Archivio Diplomatico, provenienza Riformagioni« ; a florenczi nagy levéltárban.)

100.

I. Lajos magyar és lengyel királynak biztosító levele minden hadi károsodások tárgyában Tharnovi János számára. 1376.

Nos Lodovicus Dei gratia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc. memorie universorum declaramus, quod quocunque et quocienscunque nostrum fidelem Dominum Johannem de Tharnow, Capitaneum Terre Radomiensis, cum quibusvis emulis et inimicis nostri dicti Regni Polonie pro defensandis iniurijs et violencijs ipsius videlicet Regni, publicam et notoriam gwerram vel expeditionem habere vel inire contigerit, et in eisdem, quod absit, per adversarios seu emulos quoscunque ipsum vel aliquos ex suis hominibus, quos secum duxit, ad talem gwerram vel expeditionem recipiendos, captivari; eundem et quoscunque suos, promittimus bona fide, verbo, Nostre Maiestatis eximere, exolvere, effectualiterque liberare, de dampnis similiter, que in equis in tali expedicione vel gwerra publicis, ut prefertur, occisis, interfectis, aut per dictos adversarios vi receptis ipse Johannes vel sui homines supradicti perpessi fuerunt, spondemus satisfacere et rependere cum effectu; itaque quod captivati per iam dictum Johannem, aut suos homines, in dicta gwerra vel expeditione, ex advresarijs seu emulis sepedictis pro nobis omnibus modis debeant reservari. Illo eciam notabiliter adiecto, quód idem Johannes et sui homines nemini penitus gwerram movere debeant, nec ipsius causa fore seu motores. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Actum et datum in Beyez feria quarta post diem Conversionis Beati Pauli Apostoli, anno Domini millesimo CCC.LXX. sexto.

(Hedvig királynénak 1384-ki megerősítő okmányából; Pauli Zagota lengyel tudós szíves közleménye.)

101.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1376.

Regi Ungarie.

Serenissime Rex atque invictissime Princeps. Maiestatis Vestre litteras, quibus devocioni nostre Magnificos dominos Bartolomeum et Antonium fratres della Scala, Dominos Verone atque Vincencie amicabiliter recommendatis, reuerentia nuper accepimus consueta. Quibus breviter respondemus, quod Vestre Serenitatis intuitu pro prefatis Dominis tanquam pro carissimis nostris, postquam ipsos nobis benignitas vestra conciliat, in cunctis, de quibus nos duxerint requirendos, nostros fauores efficaciter impendamus. Maiestatem Vestram conservet Altissimus; cui nos humillime commendamus. Florentie die V. mensis Februarii XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVI. kötegében 69. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

102.

A Della Scala testvéreknek, veronai fejedelmeknek, a florenczi köztársaság. 1376.

Dominis Veronensibus.

Amici karissimi. A Serenissimo Principe domino Lodouico Rege Vngarie litteras nuper accepimus, quibus vos nobis affectuosissime commendabat. Nos autem et suarum litterarum intuitu, et propter singularum amorem, quam ad bone memorie genitorem vestrum dominum Cansignorium habuimus, vos intendimus in recipiendis ac conferendis beneficiis inter alios Italicos Dominos nobis amicissimos numerare. Data Florentie die V. mensis Februarij XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVI. kötegében 69. sz. a. a florenczi nagy levéltárban.)

103.

Visconti Banabás milánoi fejedelemnek a florenczi kormánytanács. 1376.

Domino Bernaboni.

Magnifice et Excelse Domine, frater karissime. Ut cognoscatis, quecunque cum Ambaxatoribus Domini Sancti Angeli, videlicet domino Nicholo de Neapoli, et domino Bartholomeo Jacobbi tractantur, nouerit Excellentia Vestra, quod nondum cum ipsis ad aliqua specialia fuit processum, sed solum hinc inde verba generalia sunt collata. Sed per aliquorum intermedium dicitur, quod ipsi alterum trium partitorum, si nobis videbitur, condescendent; videlicet Primo stb. — — — Secundo stb. — — — Tertio facere pacem cum omnibus, ita tamen, quod quid esse deberet de terris rebellatis, cognoscatur per Serenissimum dominum Regem Hungarie, vel per dominam Reginam, vel per Commune Veneciarum, vel per Dominum Paduanum; per illum videlicet qui per nos eligeretur. Hec sunt, que hucusque fuerunt actitata; quicquid sequetur lacius curabimus explicare stb. Data Florentie die XXI. Martii XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztályból XV. köteg. 54. sz.; a florenczi nagy levéltárában.)

104.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság az I. Johanna siciliai királyné és Braunschweigi Otto közti házasság tárgyában. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Magna nostra et totius Italie admiratione, maiori tamen mentium nostrarum dolore nuper accepimus, ordinatione Summi Pontificis Serenissimam dominam Johannam Jerusalem et Sicilie Reginam cum quodam domino Ottone Brunsvincensi, qui simplex Miles in Italia etiam a sua infantia merendo stipendia militauit,

matrimonium contraxisse. In quo quantum afflictionis, quantumque meroris nobis accesserit, non facile possumus explicare. Videmus enim preclarissimam progeniem, et sanguinem sacratissimum illius incliti Principis Karoli Primi Garmanorum sanguine commisceri. Quid est considerare, gloriosissime Rex, quod cum olim prefatus semper celebrande memorie Karolus, qui vobis, si recte meminimus, proauus numeratur, de Apulorum et Calabrie siue Lucanie, Campanie, Samnitum et Brutiorum finibus Teutonicos, qui quasi pestis contagiosa illis in partibus seuiebant, felicibus preliis, et quod cum humilitate recolimus, magna cum Florentinorum manu potenter expulerit; hoc nostro tempore hominem de genere illo, infaustissimarum nuptiarum obtentu in Regni prefati moderamen admitti, per quem Regij sanguinis confusionem cernimus prepari. Jam enim videre videmur illum tanti coniugii claritate superbum, suis Teutonibus stipatum, exitio procerum atque fidelium vestri sanguinis imminere! Et bella tam triumphaliter olim exacta, superatis occisisque Manfredo et Corradino, nunc, etate nostra, magno periculo restaurari! Addatur his, tam preclarum sanguinem, qui pene cunctis Christianorum Regibus jungitur, et quod deterius est, Regiis titulis refulgentem pollui tam monstruoso connubio; vt vilescat iam tanta sublimitas, cum videamus in thronum Reginalem admissum, quem queuis Italie matrona, mediocribus etiam orta parentibus, recusaret. Scimus preterea hec cuncta preter Vestre Maiestatis conscientiam processisse; quoniam non est verisimile, Circumspectionem Vestram in tantam cognacionis vestre denigrationem et maculam consensisse. Quod etiam tanto nos grauius pungit, quanto magis Vestre Celsitudini molestum accedet. Hec non potuimus ob reverentiam et devotionem, quam ad Vestram Maiestatem habemus, silentio pertransire, ut cognoscat Regii Throni culmen sinceritatem nostram, cum aliquid in detractionem tanti sanguinis cernimus, quanta turbatione deuotarum mentium toleremus. Ceterum nouerit Vestra Maiestas, Ciuitatem famosissimam Bononiensem, et pene cunctos Italie populos per urbes et oppida, que sub Ecclesie titulo feda tirannide premebantur, ad libertatem, mira concordia,

erectis animis aspirasse. Data Florentie die secundo Aprilis XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XVII. kötegében 11. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

105.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság a hozzá küldött követei tárgyában. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Cupientes Serenitati Vestre nonnulla concernentia nostrum statum, et, ut speramus, Maiestati Vestre non modicum placitura verbo tenus explicari, mox decrevimus Oratores nostros ad Sublimitatis Vestre presentiam destinare. Quorum aduentum, devotione debita, duximus tenore presentium intimandum. Data Florentie die XXVI. mensis Aprilis.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű iratcsomók XV-kéből. 58. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

106.

Erzsébet magyar és lengyel királynénak a florenczi köztársaság ajánlja követeit. 1376.

Regine Hungarie.

Serenissima Regina. Pro quibusdam cum Maiestate Regia concludendis deuotione solita prouidimus destinare sapientissimum virum et Sacrarum Legum Doctorem Egregium dominum Benem Jakobi, et nobilem virum Simonem Rayenrij de Peruzis, dilectissimos ciues nostros, vice nostra Legationis officio perfunctores. Quibus in agendis dignemini vestros fauores impedere, et in cunctis tanquam nobis fidem plenissimam adhibere. Data Florentie die XXVIII. mensis Aprilis XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány, a »Signori, Carteggie. Missive« stb. osztály XVII. kötegében 21. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

107.

A florenczi köztársaságnak követei I. Lajos magyar és lengyel királynál. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Ecce ad Serenitatis Vestre presentiam cum presentibus destinamus sapientissimum virum ac Sacrarum Legum Doctorem Egregium dominum Benem Jacobi, et nobilem virum Simonem Raynerij de Peruzis dilectissimos ciues nostros, Legationis officio perfuncturos. Quibus tanquam nobis dignetur Vestra benigna Sublimitas in cunctis fidem plenissimam adhibere. Data Florentie die XXIX. mensis Aprilis MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XVII. kötegében 21. sz. a.)

108.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság Trinciai Trincia és Konrád ügyében. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Litteras Sublimitatis Vestre reverentia debita nuper accepimus, quibus devotioni nostre Magnificum Militem dominum Trinciam et Corradum de Trinciis, Dominos Ciuitatis Fulginei affectuosissime commendatis. Et quamvis ab eis imminentia plura pericula remouerimus, et ipsos sincere dilectionis vinculo foveamus: tamen, ob reuerentiam Vestre Serenissime Maiestatis ipsos intendimus inter precipuos amicos nostros continue numerare, eosque prosequi fauoribus oportunis. Eapropter dudum et pluries, quod in nostram societatem et fedus venire deberent, vt cuncta possent pericula deuitare, ipsos duximus requirendos; et sic sumus parati reciperi, quando nobiscum decreuerint colligari, ut eos nedum nostris, sed totius lige nostre viribus defendere valeamus. Ad quod faciendum dig-

netur Vestra Maiestas ipsos per vestras litteras exhortari. Data Florentie die III. mensis Maii XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XVII. kötegéből 23. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

— —

109.

Visconti Barnabás milanoi fejedelemnek a florenczi kormánytanács. 1376.

Domino Bernaboni.

— — — — — — — - - — Mittimus vobis litterarum copiam, quas a Maiestate Cesarea, et Rege Hungarie nuper accepimus. Cum venerint Oratores, quorum accessus per ipsas litteras intimatur, vobis cum effectu Ambaxate celeriter rescribemus stb. Data Florentie die VI. mensis Maii XIIII. indictione.

(Eredetie a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztályból XV. köteg 58. szám.)

110.

Az I. Lajos magyar és lengyel királyhoz küldött florenczi követek utasítása. 1376.

Domino Beni et Simoni Ambaxiatoribus ad partes Hungarie.

Questo dì habbiamo ricevuto per uno vostro messo due vostri brievi, e una vostra lettera; e sopra essi ci siamo ristretti co' nostri Signori. Et al dubbio che movete ne rispondiamo in questa forma, cioè : Che a noi pareva, che fosse assai chiaro, riservando la lega di Messer Bernabò, fosse risservate et conservate tutte l' altre leghe; però che nella lega dì Messer Bernabò s' inchiudono tutte l' altre leghe, di tutti quelli che vengono a libertà. Niente dì meno a vostra chiarezza diciamo, che nostra intentione fu ed è, che cosa che voi faciate col Re, non abbi a contrafare à la lega di Messer Bernabo, e degli altri collegati; però che sarebbe mancare la fede

del Comune, la quale sapete che non è d' usanza di fare, ne' faremmo mai, si che in ogni atto preservate la fede per lo Comune data a Messer Bernabò e agli altri collegati; e a amaestramento di voi vi rendiamo chiari, che questa lettera abbiamo fatto registrare. Voi vedete, quanto importa andare presto: e vedete il tempo che avete messo in piccolo commino; però vi preghiamo e rammentiamvi, che per vostro honore, e per fare che di voi non si parli, che pur se ne parla per infino a qui, vi piaccia andare sollicitamente, e ristorare il tempo che è perdito. Data Florentie die XII. Maii XIIII. indictione, MCCCLXXVI. in XXII. hora.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XV. kötegében 57. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

111.

Ugyanazoknak más utasítása. 1376.

Domino Beni Jacobi et Simoni de Perugis.

Per lo fonte, che ci mandasti da Padova vi rispondemmo e chiarimmo sopra il dubbio della vostra commissione. Ora vi diciamo così, che quel medesimo vi conformiamo, e di novo vi diciamo, come che per la vostra commissione s' intenda. Non di meno vi vogliamo apresso anche chiarire, che in caso che voi trovassi il Re avere fatto alcuna concordia colla Chiesa, che la lega che farete collui, la facciate e fermate per Messer Bernabò, e per noi, e per tutti i collegati nostri, se s' è possibile. In caso che non la volesse fare altro che con Messer Bernabò e con noi, siamo contenti la facciate, non contraffaciendo agli altri collegati. Data Florentie die XIIII. Maii MCCCLXXVI.

Sollicitate l' andata vostra sanza fare stanza in alcuno luogo, però che è di grande necessità; e fate, si che di voi non si parli; però che gia se ne comincia a favellare, dicendo che in cotanto tempo avete camminato così poco. Data ut supra.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XV. kötegében 61. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

112.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Visitaverunt devotionem nostram Ambaxiatores Serenitatis Vestre; de quorum adventu maxima accessit nobis letitia, vtpote qui videamus, sicuti spem semper certissimam habuimus, Serenitatem Vestram de nobis quasi peculiaribus filiis curam gerere, et nostra commoda euidentibus operibus procurare. Et quoniam exigit Vestra Sublimitas, vt responsum Maiestati Vestre per nostras litteras prebeamus; principio, post salutationem. reverentia debita suscepta, prout ipsorum relatione percepimus, dolet nobiscum Vestra Benignitas, quod tantas nouitates, que nuper in Italia inter nos et Sanctam Matrem Ecclesiam occurrerunt, per Oratores nostros Vestre Celsitudini. sicut exigebat nostra deuotio, non curauimus intimare. Circa quod, benignissime Princeps, quid aliud quam alias scripserimus, possumus respondere? Diu enim est, quod ob hanc causam Ambaxiatores nostros elegimus; sed aduersam valetudinem alicuius eorum, cum spes quotidie foret, eundem procul dubio liberari, dilationis aliquantulum intercessit; cum tamen iam speremus, ad Serenitatem Vestram Oratores nostros hac de causa destinatos infallibiliter peruenisse. Et nichilominus per geminatas litteras nostras, quibus dignata fuit Vestra Sublimitas respondere, totum large satis expressimus; ex quo potuit Culmen Vestrum omnia plenius percepisse. Quantum autem causa nostra iusta fuerit, qui solum ob nostre libertatis defensionem fecimus quod est actum, fracti fame; tergiversationibus Officialium Ecclesie, qui in Italia presidebant delusi; deceptique colloquiis per Apostolicos Nuncios, demumque per Ecclesie stipendiarios sub societatis nomine oppressi; et ad intolerandam redemptionem CXXX millium florenorum impulsi tractatibus habitis per eosdem de nostris terris proditorie capiendis: nostrarum litterarum serie Throni Vestri Sublimitas diu percepit. Ex quo quantum-

cunque sit et spiritualiter et temporaliter potencia Ecclesie nostra humilitate superior; cum justitia sit pro nobis, speremusque in hac a Vestra Celsitudine non reliqui; in Domino spem habemus, quod nostram innocentiam tuebitur et defendet. Ceterum quod velit Vestra gloriosa Maiestas pro concordia inter nos et Sanctam Matrem Ecclesiam intercedere, modis omnibus contentamur; quoniam scimus, per Vesfre Dignationis manus nos ad pacem nonnisi tutam et ccarituram insidiis, honorabilem atque sinceram, et per quam fidem, quam colligatis nostris dedimns, non ledamns, nullatenus requirendos. Nec posset nobis res gratior aut magis accepta contingere, quam correctis erroribus in devotionem solitam Sancte Matris Ecclesie reintegrari. De negotiis autem Magnifici Militis domini Trincie, et Corradi sui germani, ultra quam alias per nostras suggessimus litteras, non expedit respondere. Unum autem nostra deuotio non omittet, quod tamen cum rubore atque verecundia recensemus; quod Summus Pontifex in persecutionem mercatorum nostrorum et aliorum in mari duas galeas ad exercendam pirraticam deputauit, et nuper unam nauim iuxta portum Pisanum iniquissime derobarunt. Que res, videre scilicet Christi vicarium nauigantibus insidias instruere, et rapinas mercatoribus preparare, cunctos Christianos in admirationem erexit. Sed omnia speramus Vestre Serenitatis intercessionibus reparari. Thronum vestrum cum gloria exaltet Omnipotens, cum status vestri felicibus incrementis. Data Florentie die XXVII. Maii XIIII. indictione MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori. Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XVII. kötegében 17. sz. a. a. florenczi nagy levéltárban.)

113.

Perugia városnak a florenczi köztársaság. 1376.

Perusinis.

Fratres karissimi. Requisiti per litteras et Oratores Serenissimi Principis domini Regis Hungarie, fraternitatem vestram affectuosissime deprecamur, quatenus ob reuerentiam prefate Regie Maiestatis dignemini Magnificum Militem do-

minum Trinciam, et Corradum eius germanum de Fulgineo commendatos suscipere, et in cunctis occurrentibus amicabiliter pertractare; et contra ipsos aut eorum terras, quod tamen scimus vestri non esse propositi, nedum aliquid non facere, sed tentantibus oportunis remediis et fraternis auxiliis contrahire. Quod nos etiam vobis multis respectibus ad singularem gratiam ascribemus. Data Florentie die XXVII. mensis Maij XIIII. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie. Missive« stb. osztály XVII. kötegében 31. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

114.

I. Lajos magyar és lengyel király ismét segédhadakat akar küldeni a pápának. 1376.

Anno MCCCLXXVI. indictione XIV. die XIII. Junii. Capta: Cum duo Ambaxiatores domini Regis Hungarie post amicabilem salutationem exposuerint Dominio, quod dominus Rex, sequens suorum progenitorum vestigia, qui fuerunt conservatores et defensores Sancte Matris Ecclesie, intendit prebere auxilium et favorem dicte Ecclesie ac domino Pape ad recuperandum statum suum pro novitatibus, que facte sunt in Italia per rebelles Ecclesie; et ideo vult ipse dominus Rex scire, si in casu, quo ipse mittat gentes in subsidium Ecclesie et aliquorum amicorum suorum, velimus dare passum per territoria nostra, ac etiam victualia pro dictis gentibus, et de hoc nos rogabat: vadit pars, habito respectu in omnem partem, quod respondeatur eis, quod nos ob Sancte Matris Ecclesie reverentiam, cuius etiam sumus devotissimi zelatores, intuitu quoque Regie Maiestatis, cui optamus in cunctis possibilibus libentissime complacere; placet nobis et ex nunc contenti sumus, quod gentes, quas Regia Maiestas ad subsidium prefate Ecclesie et amicorum suorum destinabit, transire valeant per territoria nostra libere et absque impedimento; quibus pro eorum pecuniis subveniri faciemus de victualibus in his, que commode fieri poterunt, transeuntibus ipsis, sicut firmiter speramus, cum bono ordine et absque

damno territoriorum et infidelium nostrorum, quemadmodum constanter scimus esse intencionis Regie Maiestatis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXV. kötet 185. l.)

115.

A velenczei kormánytanács gályát rendel István erdélyi vajda számára, melyen a szent földet látogathassa. 1376.

Anno MCCCLXXVI. indictione XV. die vltima Junii. Capta : Cum Magnificus dominus Stephanus Vayuoda Transiluanus per eius litteras et nuncium amicabiliter nos rogauerit, quod complaceamus sibi de vna galea, cum qua ire et redire possit ad Sanctum Sepulcrum cum personis XIIII vel circa; et omnibus consideratis faciat pro honore nostro conseruare et augere amiciciam suam, et sibi complacere, maxime quia bene reperitur modus habilis in hoc : vadit pars, quod respondeatur ei, quod parati sumus libenter et amicabiliter complacere sibi in faciendo ipsum conduci libere cum vna nostra galea Barutum, de quo loco poterit commode ire ad Sanctum Sepulcrum, et cum eadem galea redire Venecias. Verum expedit, quod ipse sit Venetiis cum comitiua sua vsque diem XV. mensis Augusti proximi.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXV. köt. 222. l.)

116.

I. Lajos magyar és lengyel királynak parancsa a thorni kereskedők szabadalmai fenntartása tárgyában. 1376.

Lodovicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc. vniuersis et singulis Prelatis, Castellanis, Palatinis ac personis ecclesiasticis, Capitaneis, Baronibus, Nobilibus, Burgensibus, Burgrabiis, theloneatoribus, necnon Officialibus in Regno nostro Polonie omnibus constitutis, nostris fidelibus, graciam Regiam et omne bonum. Noveritis, nostri fideles et dilecti, quomodo venerabilis vir dominum Winric de Domo Theutonica Magister Cruciferorum Generalis nobis per Am-

basciatores suos solempnes pro transitu viarum securo et perfecto, modo et consuetudine recolende memorie avunculi nostri preclari in Regno nostro Polonie obtinendo, multipliciter Nostre Mayestati supplicavit. Nos itaque dignis et satis aptis peticionibus ipsius Magistri favorabiliter annuentes, exnunc omnibus civibus, mercatorribus ac eorum hominibus Civitatis Thorunensis de nostra Regali munificencia concedimus ab ipsa Civitate Thorum usque Sandomir nostram Civitatem, a Sandomir versus Russiam et Vngariam per Bardnyow, viis et stratis publicis consuetis eundi et redeundi plenam et omnimodam, salvis michilominus juribus et theloneis nostris Regalibus, libertatem, facultatemque largimur. Igitur vobis omnibus prenarratis, ac regnicolis quibuslibet, qui presentibus fueritis requisiti, Regalis nostre Celsitudinis sub edicto firmiter comittimus et mandamus, quatenus vniuersos cives, mercatores ac eorum homines, necnon incolas dicte Civitatis Thoruniensis, per vias expressatas habetis integros et aliorum quorum interest theloneis absque omni molestia et impedimento, per vestras tenutas libere transire permittatis et secure; in eo nostre Regalis conplacentie singulare indicium ostensuri. Datum et actum Sandomir sabbato in crastino Couersionis Beati Apostoli Gloriosi, anno Domini M. trecentisimo septuagesimo sexto.

(Eredetie Thorn város levéltárában.)

117.

A florenczi köztársaságnak kérvénye, hogy I. Lajos magyar és lengyel király a florenczi kereskedőket országaiban a genuaiak privilegiumaiban és kedvezményeiben részesítse. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Tantam spem Maiestatis Vestre deuotissimis filiis clementia vestre benignitatis impendit, quod tam pro nobis quam pro ciuibus nostris ad impetrandam gratiam Throno Vestri Culminis porrigere non veremur. Cum tanta sit vis atque antique douotionis nomen. quod quicquid nobis per Celsitudinem Vestram contingeret

denegari, apud nullum Principem credamus posse verisimiliter obtinere. Cum itaque plurimi nostri ciues mercandi causa intra Regnorum vestrorum limites conversentur, quorum incolatum toti patrie utilitati fore credimus et honori; et ipsos audiamus propter exactiones magnas et intolerabiles tributorum, et alia onera, angaria, perangaria, que tum certo more, tum extra ordinem inducundur, pro suis negotiationibus tali conditione grauati, quod copiosam ac toti Regno et Fisco Regio fructiferam et lucrosam exercere nequeant mercaturam; sicut facerent, si cum eis mitius ageretur: Sublimitati Vestre deuotione qua possumus supplicamus, quatenus pro commoditate et ornatu totius Regni, quem satis ex mercatorum frequentia cognoscimus dependere; et in huius vestri deuotissimi populi complacentiam singularem, dignetur Vestra Maiestas eadem priuilegia, et immunitates easdem concedere mercatoribus Florentinis, quas Januensibus concessit Vestra Serenitas et indulsit. Et sic Florentini, qui non sunt in vestrorum Regnorum finibus inter mercatores ignobile membrum, maiores valebunt deputare pecunias, et cunctarum rerum maiorem facere poterunt vbertatem. Nec posset huic Ciuitati deuotissime Vestri Culminis rem magis gratam Regia Munificentia et Magnanimitas indulgere. Data Florentie die IIII. Augusti XIIII. indictione MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány, a »Signori, Carteggie, Missive» stb. osztály VII. kötegében 51. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

118.

János esztergami érseknek a florenczi köztársaság ajánlja kereskedőinek ügyét. 1376.

Episcopo Strigoniensi domino Johanni.

Reverende in Christo Pater et Domine. Cum Maiestati Regie deuotione solita supplicemus, quod dignetur mercatoribus Florentinis privilegia immunitatesque concedere, quas Januensibus prebuit et indulsit; Paternitatem Vestram affectuosissime deprecamur, quatenus apud Regii Throni Celsitudinem, ut preces nostre optatum sortiantur effectum, assistere

dignemini fauoribus oportunis. Datum Florentie die IIII. Agusti XIIII. indictione MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVII. kötegében 52. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

119.

Visconti Barnabásnak a florenczi köztársaság. 1376.

Domino Bernaboni.

— — — — — — — — — In his, que Vestra Caritas nedum utiliter, sed prudenter admonuit, examinatis de nostro more Consiliis, operam dabimus efficacem, affectuosissime deprecantes, quatenus ad coniungendum hanc nostram societatem cum Maiestate Regis Vngarie efficaciter intendatur; vobis enim et nobis ex illo federe, si Diuino aspirante Numine contrahatur, multum roboris, honoris ac auctoritatis accedet. Et ideo placeat vobis Ambaxatores vestros eligere, et nos similiter nostros curabimus preparare stb.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimü osztály XVI. kötegében 17. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

120.

A florenczi köztársaságnak igyekezetei, hogy I. Lajos magyar és lengyel király az olasz államok szövetségébe lépjen. 1376.

Domino Donato et Filippo Ambaxiatoribus.

Ricevemmo vostre lettere, l' una fatta a dì XXIIII. d' Ogosto, et poi ridata con certa aggiunta a dì XXVIIII. del detto mese; una data a dì XXVII. Et per esse abbiamo inteso, quanto avete seguito di nostra commessione; et de' vostri ragionamenti sommamente vi commendiamo. Et della constantia et fervore del nostro Magnifico fratello Messer Bernabo abbiamo preso grande conforto et allegreza; et intorno à quello ci dà per consiglio, seguiremolo, si che fia suo piacere et nostro stato. Una cosa voglamo, con ogni diligentia sollicitate; cioè che si cerchi la lega col Re d' Ungheria, che

in quella, se Dio concede gratia s' ottengha, abbiamo somma speranza; e però fate si mettano in punto gli Ambasciadori del Signore; et noi ordinaremo il simile; et fate che seguiate d' andare a quelli Signori e Comuni, come consigla Messer Bernabo. E mandati ordinaremo arcte di presente stb. — — —

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVI. kötegében 19. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

121.

Visconti Barnabásnak a florenczi köztársaság. 1376.

Domino Bernaboni.

— — — — — — — — — Quot gentes habeamus, bene nouerunt Dominus Guillelmus et Roggerius; quoniam mille centum lanceas, et ducentos Ungaros, ac mille inter balistarios et pedites continue retinemus stb. Data Florentie die XIIII. mensis Augusti XIIII. indictione MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XV. kötegében 78. sz. alatt, a florenczi nagy levéltárban.)

122.

A velenczei kormánytanácsnak uj intézkedése, az István erdélyi vajda számára a szent földre határozott utazása végett kirendelt gálya tárgyában. 1376.

Anno MCCCLXXVI. indictione XV. die XIV. mensis Augusti. Capta: Quia Magnificus dominus Stephanus Vayuoda Transilvanus reputat sibi ad magnam gratiam de eo, quod facimus ipsum conduci vltra mare pro eundo ad Sanctum Sepulcrum; sed dicit, quod omnino est dispositus visitare etiam Sanctam Catarinam de monte Synay, vnde non posset venire ad tempus pro redeundo Venecias cum galeis: vadit pars pro complacendo sibi ad plenum, attenta laudabili disposicione, quam semper habuit et habet ad honorem nostri Dominii; quod dicatur sibi, quod faciemus ipsum conduci Barutum, vel in Alexandriam, cum galeis nostris, et quod

faciemus, quod Capitaneus noster Generalis, qui iuit in Romaniam, mittet vnam ex galeis nostris Culphi ad levandum eum in Baruto in reditu.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXV. kötetéből 237. l.)

123.

I. Lajos magyar és lengyel királynak közbenjárásával másfél évi fegyverszünet az austriai herczegek és a velenczei köztársaság. 1376.

I) Anno MCCCLXXVI. indictione XV. die XXII. Augusti. Capta: (Interponentibus se Ambaxiatoribus Regis Hungarie, Dominus et Capita proponunt et deliberatum est, ut de pace cum Ducibus Austriae tractetur; postquam) Dux Leopoldus contra Deum et sacramentum suum, et contra formam pacis alias celebrate inter Duces Austrie et nos, pro qua pace, quia fregerunt eam, ceciderunt ad penam de ducatis L millia, nulla difida vel noticia nobis facta, velut hostiliter ad damnum nostrum in territorio nostro Taruisino et Cenetensi stb. (Ambaxiatores Ducum Austrie veniant Venecias.)

II) Die II. Septembris. Capta: (Consilium acceptat intermediationem Regis Hungariae.)

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból D. alatt 29. és 30. sz.; a velenczei nagy levéltárban.)

III) Die VII. Septembris. Capta: Quod pro honore nostro, et pro singulari amore, quem ad nos gerit Magnificus Vajvoda in omnibus factis nostris, et specialiter in tractatu habito cum Ambaxiatoribus Ducum Austrie pro facto concordie, sicut apparuit per effectum; donetur sibi vna pulcra cultra, et duo linteamina, que alias fuerunt parata pro aduentu domini Pape, et etiam duo caratelli monouaxie stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXV. köt. 241. l.)

IV) Die XVIIII. Octobris. Capta: (Acceptatur mediatio Domini Paduae et Patriarchae Aquilegiensis. De concordia cum Ducibus Austriae tractabitur Coneglani.) Electi

Ambaxiatores Leonardus Dandulo et Federicus Cornario Sancti Apolinaris.

V) Die XXVII. Octobris. Capta: (Ad propositionem Ambaxiatoris Regis Hungarie »Nicolai filii Leuchus Aule Regie Militis« deliberatum est, ut concludantur treugae cum Ducibus Austriae, quae) durent a modo vsque Sanctum Georgium de mense Aprilis proximum, et inde vsque ad annum. (Ambaxiatores Veneti non vadant Coneglanum; sed tractet Ambaxiator Regis Hungarie.)

VI) Die III. Novembris. Capta: (Firmatae sunt treugae cum Ducibus Austriae superius indicatae.)

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból D. alatt 36—41. sz.)

VII) Albert austriai herczegnek ezen fegyverszünetről kiadott okmánya.

Nos Albertus Dei gratia Dux Austrie, Styrie, Karinthie et Carniole, Comes Tyroliensis etc. vniuersis et singulis presentibus et futuris presentes litteras inspecturis cupimus fore notum: Quod Serenissimus Princeps, dominus Ludouicus Rex Vngarie, frater noster carissimus, ex sincera ac fraterna dilectione et amicitia destinauit ad presentiam nostram strenuum virum Nycolaum filium Leukus Curie sue Militem in suum Ambassiatorem, qui vigore litterarum Regiarum de fide adhibenda, valde prudenter pro parte dicti domini Regis nos hortatus fuit, et amicabiliter ac sincere rogauit; ut nobis placeret treugas facere et firmare cum Illustre et potenti viro Andrea Contareno Duce, et Communi Venetiarum, ac Magnifico et potenti domino Francisco de Carraria, Civitatis Padue et Districtus Vycario Generali. Quare nos Albertus Dux prefatus, ob contemplacionem et intuitum predicti domini Regis, per nos, et successores nostros, ac nomine et vice subditorum, fidelium, colligatorum, adherencium et sequacium nostrorum, vbique existencium, omnibus modis, jure, forma, et causa, quibus melius possumus, tenore presencium facimus et firmamus treugas de omnibus gwerris, litibus, discordiis, et controuersijs principaliter vertentibus inter nos et nostros subditos, fideles, colligatos, adherentes, et sequaces vbique existentes ex vna parte; ac prefatum Illustrem Andream Contarenum Ducem et Commune Venetiarum, subditos, fideles,

colligatos, adherentes et sequaces vbique existentes, et predictum Dominum Padue, et subditos ejus, fideles, colligatos, adherentes et sequaces, vbique existentes ex altera, quacumque ratione vel causa. Quas quidem treugas bona fide sine fraude inuiolabiliter seruare promittimus, et tenemur vsque festum Pentecosten proxime venturum, et ab ipso festo vsque vnum annum tunc sequentem. Hijs pactis et condicionibus; primo videlicet, quod interim vsque dictum terminum cessent et cessare debeant hinc inde omnis gwerra, nouitas, iniuria, dampna et molestie, realia et personalia. Item quod vtraque pars teneat et possideat pacifice et quiete, et absque molestia alterius partis, omnia et singula castra, fortalicia, et loca, res et bona, acquisitas, et acquisita in gwerra presenti. Item quod ciues, subditi et mercatores utriusque partis possint cum plena securitate ad Ciuitates, Terras et loca utriusque partis ire, stare, recedere et redire, cum personis, mercationibus et bonis eorum, et facere facta sua; absque molestia vel inpedimento, soluendo dacia, et seruando ordines solitos tempore pacis. Item quod interium durante dicto termino vtraque pars teneatur mittere Ambassiatam suam ad prelibatum dominum Regem Vngarie pro tractatu et conclusione pacis, quando idem dominus Rex requiret. Et predicta omnia et singula Nos Albertus Dux prefatus nominibus suprascriptis promittimus vsque terminum supradictum rata, firma et grata habere et tenere, et inuiolabiliter observare; et contra ea, vel aliqna eorum nullo modo vel ingenio facere, vel venire, sub pena ducatorum quinquaginta milia auri applicanda parti obseruanti; qua soluta vel non predicta omnia et singula debeant obseruari; et sub obligatione omninm honorum nostrorum, mobilium et imobilium, presentium et futurorum. In premissorum autem fidem et euidentiam pleniorem, presentes litteras fieri mandavimus, et nostro sigillo pedenti muniry. Datum Belluni die septima mensis Nouembris anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo sexto.

(Eredetie bőrhártyán a herczegnek függő pecsétje alatt, a bécsi császári titkos levéltárban. Lipot austriai herczegnek ugyan azon helyen és napon ugyazon tárgyban kiadott okmányát lásd b. Hormayr Józsefnél, Geschichte der gefürsteten Grafschaft Tirol I. köt. 2. r. Tübinga 1808. 360. l.; a velenczei köztársaság okmányát pedig Vercinél Storia della Marca Trivigiana XV. köt. 10. l.)

VII) Die X. Novembris. Capta: (Litterae ad Regem Hungarie regratiatorie causa sue interpositionis in treugis cum Ducibus Austrie per suum Ambaxiatorem Nicolaum Hungarum, cuius sapientia laudatur; forma vero treugarum transmittitur. Dum Rex duxerit faciendum, pro tractanda pace Ambaxiatores Veneti vadent ad suam praesentiam.)

(A »Secreta Consilii Rogatorum«-ból D. alatt 36—41. sz.)

124.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1376.

Regi Hungarie.

Serenissime atque inuictissime Princeps. Suggerit conditio temporum, et rerum varietas impellit, ut ultra quam deceat, crebra litterarum frequentia Serenitatem Vestram maioribus intentam negocijs occupemus. Sed inter ingentes curas, et tot populorum regimen, quibus Omnium Rerum Opifex Sublimitatem Vestram saluberrima dispositione prefecit, non tedeat hec nostra perlegere, que humilitate singulari Maiestati Vestre decreuimus reserare; prebeatque auditum orationi nostre Vestra Benignitas. Qui quamuis locorum distancia, et jure ac consuetudine presidendi extra vestri Regni corpus in libertate versemur; deuotione tamen et reuerentia vestri sumus. Non enim possumus, cum vetustissima recensemus et recentia, ac paulo antiquiora memori recorditione repetimus, infinita Vestri Culminis, et vestrorum inclite memorie progenitorum in nostrum populum beneficia citra ingratitudinis maculam denegare. Sanctissime quidem et inextinguibilis recordationis Karolus Magnus, unde sacra vestra progenies propagatur, urbem nostram a Totila deletam edificacione restituit, et priuilegiis ac dignitatibus exornauit. Karolus alter, primus Jerusalem et Sicilie Rex, cui in acquisitione Regni maxima Florentinorum manus deuotissime militauit, multitudinem ciuium Guelforum, quos paucorum crudelitas extra patriam retinebat, reductos in patria collocauit. Idem fecit et inclite memorie abauus Vestre Serenitatis dominus Karolus Valesie.

Alenconis, Carnoti atque Andegauie Comes, qui restituta prouincia pluribus nostris ciuibus tunc expulsis, statum qui usque in presentem diem Ciuitatem nostram in libertate gubernat et regit, multo labore, et non sine intestini belli periculo reformauit. Sed quid singula numeramus? cum Ciuitatem, libertatem, insignia, et omnia nostre Reipublice ornamenta jure debemus a vestro sanguine gloriosissimo confiteri. Quare Regia Maiestas, si penes Vestram Sublimitatem nostra conqueratur humilitas, non miretur. Sane repetendum his nostris litteris non censemus, quanta immanitate Officiales Ecclesie, qui in Italia presidebant, nos, Ecclesie deuotissimos filios, efferatis animis in seruitutem deducere voluerunt, quantaque crudelitate, fame, ferro, deceptionibus et proditionibus eorum sceleratum propositum ad effectum perducere sunt conati; ob que oportuit nos ad propulsandum iniurias, et libertatis nostre defensionem, salubre remedium adhibere; nec scribere, quomodo, excitante Deo, spiritus populorum contra fedam barbariem presidentium via fuerit nobis, sine cuiuspiam iniuria preparata, per quam in libertatem se prouocantibus populis piissima exhibentes subsidia, nostre libertati prouidimus, temeritatemque concutimus grassatorum. Hec enim alias a nobis scripta scienter omittimus, que scimus fore Maiestati Vestre, etiam fame testimonio, plus quam nota. Que cum quodam felicissimo cursu succederent, memores deuotionis, quam semper habuimus ad Sanctam Romanam Ecclesiam, et habemus; non elati successibus, sed hoc totum Diuine Prouidencie et Gratie puris animis adscribentes, ad pacem querendam conuersi sumus. Et tres notabiles ciues nostros legationis officio ad Sanctissimi Patris et Domini nostri, domini Summi Pontificis presentiam destinantes, cum mandato petende, tractande et concludende pacis, nos et colligatos nostros ad pacem et concordiam parabamus; sperantes Apostolicam Clementiam, male suggerentium damnando consilia, culpamque suorum Officialium recensentem, ad pacis dulcedinem inclinandam. Hoc aliter opinari nefas erat de Vicario Yesu Christi. Cum enim illius vices representet in terris, in cuius ortu angelica voce fuit »in terra pax bone voluntatis hominibus« nunciata, quique in celos ascensurus sui testamenti eulogio pacem suam reliquit Aposto-

lis : quis putasset, eum pacem cum humilitate petendam, tractandam sincere et concludendam eque et observandam fideliter negaturum? Sed tantum valuit male suadentium detestanda suggestio, quod oratoribus nostris ludibrio turpiter habitis inhumaneque tractatis non prius fuit audientia prehabita quam repulsa. Prius tamen ad ostentationem pacis exhibita fuerunt nonnulla capitula, que presentibus iussimus intercludi; vt videat Vestra Serenitas, ea fuisse non apparatum concordie, sed manifestam denegationem reconciliationis et pacis. Quid enim ambitiosius peteretur, quid prescriberetur iniustius, si staret nobis aduersa fortuna? si urbi nostre circumfusus exercitus muros ciuitatis ariete fregisset? aut si victor in urbe media signa triumphalia collocasset? Certe debuisset populo nostro victo et capto justioribus conditionibus pax offerri. Concedatur esto propter Sacrorum Canonum instituta, et reuerentiam Apostolatus, quod in Consistorio publico nos errasse conveniens sit fateri; sed an in perpetuam ignominiam nostri populi, confusionemque nostri Communis, contra ea que throno vestro et multis mundi Principibus verissime scripsimus, ac justissime sumus questi, inhoneste et mendaciter scriberemus? Nosne contra fidem, quam dedimus colligatis et sociis nostris populis, qui in libertatem se vendicaverunt, fratribus nostris bellnm indiceremus? Estne dignum, quod cum fuerimus nequiter et iniuste bello temptati, quod hosti prouocanti damna reficere debeamus? An non potius decuit nobis emendationem infinitorum sumptuum, quos huius nostre defensionis causa fecimus, realiter fieri, vel saltem verbo proponi? Nec putet Vestra Maiestas paruum negotium aut leve sub hac verborum generalitate tractari. Nam cum ad declarationem per colloquium veniretur, non puduit tria millia millium florenorum pretextu emendacionis huiusmodi postulare: quasi nobis de memoria exciderit, aut non sit in pectoribus nostra perpetua cum recordatione sepultum, quod nos ad redemptionem CXXX millium florenorum gentes ad eorum militantes stipendia compulerunt. Sed quid vlterius his capitulis immoramur? Nam Summus Pontifex adeo moleste tulit modificationes quasdam, quas in sinistro margine Serenitas Vestra videbit factas per dominos Reuerendissimos Cardinales, qui-

bus hec commissio facta fuit; quod dixisse feratur: »prius passurum se Beati Bartholomei martirio deformari, quam modificationes huiusmodi consentiret«. Moxque fecit Oratoribus nostris celerem recessum a Curia per dominum Camerarium denunciando iuberi. Sed postquam pacem quesiuimus, et ecce turbatio; Deum hominesque testamur, nos nec in offensione Sancte Matris Ecclesie, nec Pastorum aliquid attentasse, — nisi forsan propulsare iniuriose, aut propriam defendere libertatem offensio iudicetur, — nosque promptis animis pacem humilitate debita petiuisse. Sed quoniam ad justificationem nostre cause, quod ulterius possumus facere, non videmus: Deo fauente, assistenteque nobis justitia, pro defensione nostra accingemur ad bellum, illud, non discedendo ab innata devotione, quam habemus ad Sanctam Romanam Ecclesiam, vt speramus, cum felicitate gesturi. Parati tamen semper ad pacem, quam vna cum colligatis nostris honestam possimus et carituram insidiis invenire; vt et Vestra Maiestas et totus mundus videat manifeste, nos bellum necessitate gerere, sed pacem voluntate feruentibusque animis exoptare. Data Florentie die XXVIII. Septembris XV. indictione MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XVII. kötegéből 67. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

125.

XI. Gergely pápa Berndt bolognai püspököt mint apostoli nunciust küldi I. Lajos magyar és lengyel király országaiba, hogy azoknak papságát és hatalomtartóit a római szék számára beküldendő segédpénzekre birja. 1377.

I) Gregorius Episcopus etc. Vererabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, Apostolice Sedis Nuncio, salutem etc. Quantis Romana Ecclesia cunctorum fidelium, presertim personarum ecclesiasticarum, Mater et Caput hiis temporibus turbinum sit attrita dispendiis, afflicta iniuriis, et expensarum oneribus pregravata, quamque attenuata proventibus, et in quanto periculo constituta, nisi Dei et suorum peculiarium

filiorum accelerata subventio impendatur, eidem non oportet explicare sermonibus, cum hec sint fere omnibus fidelibus, etiam de Regno Vngarie, Polonie et Dalmatie manifesta. Et propterea cogimur cum paterna fiducia ad ipsos filios habere recursum, ut erga Matrem patientem tam graviter, non desit pietas filialis; attento maxime, quam ipsa Matre infirmata et debilitata, gravissime ipsi etiam filii paterentur, amareque dolerent illi non subvenisse, a qua traxerunt originem, et nutriti sunt spiritualibus et temporalibus alimentis: et tandem cum cadente, quod absit, cum illa sit eorum sustentatio, etiam ipsi cadere a suis statibus cogerentur. Quapropter fraternitati tue, de cuius fide ac solicitudine indubitatam fiduciam gerimus, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te vel alium seu alios etiam fide preditos et diligencia comprobatos, venerabiles fratres nostros vniuersos et singulos Archiepiscopos et Episcopos, ac dilectos filios Electos, Abbates, Priores, Decanos, Prepositos, Archidiaconos, Archipresbitores, Plebanos, et alios Ecclesiarum et Monasteriorum Prelatos et Rectores, Capitula quoque et Conventus Ecclesiarum et Monasteriorum ipsorum exemptos et non exemptos Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum quorumcunque Ordinum, ac Preceptores et fratres Domus Sancte Marie Theutonicorum, Regnorum Vngarie, Polonie et Dalmatie; exceptis dicte Ecclesie Cardinalibus in illis partibus quascunque dignitates, personatus, officia et beneficia obtinentibus, qui nobiscum continue vniuersalis Ecclesie onera sorciuntur, et dilectis filiis Magistro, Prioribus et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, qui pro defensione Catholice fidei exponunt iugiter se et sua; ex parte nostra benigne requiras, et quanto affectuosius scies et poteris, exhorteris; ac Reges secundum prudentiam a Deo tibi datam inducas, ut ipsi, tamquam grati filii et creature dicte Ecclesie, considerando premissa, pio compatientes affectu Ecclesie prelibate, ac nobis, qui ad succurrendum cadenti statui dicte Ecclesie, et obviandum malis premissis, ac cum auxilio Auctoris Pacis, cuius vices licet immeriti in terris gerimus, ad pacificandam totam Italiam ad istas partes cum magnis tribulationibus ac periculis et expensis accessi-

mus, ut eidem Ecclesie ac tibi nomine nostro recepturo velint secundum eorum facultates liberaliter, celeriter et taliter subuenire, quod eis teneamur grates debitas reddere, ipsosque proseqni favoribus gratiosis. Nos enim tibi per te vel per alium seu alios. ut prefertur, convocandi pro predictis Archiepiscopos, Episcopos ac Prelatos, et alios suprascriptos, simul vel divisim, semel et pluries, ad tuam et a te deputandorum presentiam, in locis de quibus videris expedire, nec non huiusmodi subsidium seu pecunias recipiendi nomine nostro dicteque Romane Ecclesie, et dantes de receptis quitandi, ac contradictores autoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi. non obstantibus tam felicis recordacionis Bonifacii Pape VIII. predecessoris nostri, in quibus caveturne, aliqui etc. plenam concedimus tenore presentium facultatem; ac volumus, quod de hiis, que ex predictis recipere te continget, duo consimilia confici facias publica instrumenta, quorum uno penes te retento, alterum ad prefatam Cameram destinare procures. rescribasque cito nobis et gentibus Camere nostre, quantum receperis a singulis predictorum, ut tuis litteris informati eos, quos nobis liberales auxiliatores invenerimus, debitis graciarum actionibus et dignis remuneracionibus, cum oportunitas aderit, prosequamur. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. nonas Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

II) Gregorius Episcopus etc. venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Quantis Romana Ecclesia etc. ut in precedenti usque cogerentur. Ideoque hodie fraternitati tue per alias nostras litteras commisimus et mandauimus, quatenus per te vel alium seu alios etiam fide preditos et diligencia comprobatos, venerabiles fratres nostros vniuersos et singulos Archiepiscopos etc. ut in precedenti, eosque ex parte nostra benigne requiras, et quanto affectuosius scires et posses, exhortareris et rogares, ac secundum prudentiam a Deo tibi datam, ut ipsi tamquam grati filii et creature dicte Ecclesie, considerando premissa, pie compaterentur Ecclesie prelibate ac nobis, qui ad succurrendum cadenti statui dicte Ecclesie, et ad obviandum malis premissis et cum auxilio Auctoris Pacis, cuius vices licet in-

digni in terris gerimus, ad pacificandum totam Italiam ad istas partes cum magnis tribulationibus ac periculis et expensis accessimus, ut eidem Ecclesie et tibi nomine nostro recepturo vellent secundum eorum facultates libenter et celeriter, ac taliter subuenire, quod eis teneremur grates debitas reddere, ipsosque prosequi fauoribus gratiosis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Verum si, quod absit, iidem Archiepiscopi atque Prelati et porsone ecclesiastice iuxta suas facultates se redderent difficiles et ingratos, nos eorum ingratitudinem tolerare nolentes, et necessitati maxime dicte Ecclesie sponse nostre subvenire debitis remediis cupientes; fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ipsis Prelatis et ecclesiasticis personis, simul vel diuisim convocatis, precipias et iniungas, vt infra certum terminum peremptorium per te prefigendum eisdem, certas pecunie summas, quas eis et cuilibet eorum iuxta suarum predictarum suppetentiam facultatum imponas et taxes, vel super hiis componas cum eis, prout tibi videbitur melius expedire, super quibus tuam conscientiam oneramus; tibique seu aliis per te deputandis nomine nostro recepturis huiusmodi summas, assignare et tradere sine difficultate procurent; contradictores cuiuscunque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, etiamsi Pontificali vel qualilibet alia ecclesiastica vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, et per sequestrationem bonorum suorum ecclesiasticorum, et alia oportuna remedia, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura Judicii, appellatione postposita compescendo; invocando ad hoc, si opus fuerit, auxilio brahii secularis. Non obstantibus, tam felicis recordationis Bonifacii Pape VIII. predecessoris nostri etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. nonas Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

III) Gregorius Episcopus etc. venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Cum, prout est notorium, Romana Ecclesia pro recuperatione nonnullarum suarum terrarum a nonnullis tirannis et aliis occupatarum, ac defensione aliarum, que in ipsius Ecclesie obedientia remanserunt, magnis prematur oneribus

expensarum. que ferre non potest sine auxilio suorum filiorum, Prelatorum videllcet et aliarum personarum ecclesiasticarum; ac decens sit et rationabile, quod membra capiti, et filii matri subueniant indigenti: Nos de tua circumspectione gerentes in Domino fiduciam pleniorem, fraternitati tue in Regnis Vngarie, Polonie et Dalmatie, ad que te mittimus ad presens, vniuersis et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Electis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Prepositis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Pelebanis, Rectoribus et aliis Ecclesiarum et Monasteriorum Prelatis, ipsorumque vices gerentibus, Capitulis quoque et Conventibus Ecclesiarum et Monasteriorum ipsorum, ceterisque personibus ecclesiasticis, secularibus et regularibus exemtis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldulensis, Sanctorum Benedicti et Augustini, et aliorum Ordinum, ac Domus Sancte Marie Theotonicorum Preceptoribus dictorum Regnorum imponendi auctoritate nostra pro dicta Ecclesia et supportatione onerum prefatorum decimam fructuum, reddituum et proventuum ecclesiasticorum consistentium in ipsis Regnis, unius videlicet anni inchoandi a die, quam ad hoc duxeris prefigendam, cum clausulis, modis et formis in talibus per Romanam Ecclesiam consuetis apponi, ipsamque decimam per te vel alium seu alios petendi, exigendi et recipiendi, et de receptis absolvendi et quitandi soluentes, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam ac sequestrationem huiusmodi fructuum, reddituum et proventuum, et alia oportuna remedia, eadem auctoritate appellatione postposita compescendi; non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii Pape VIII. predecessoris nostri, qua cavetur etc. plenam concedimus tenore presentium facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum nonis Martii Pontificatus nostri anno septimo.

IV) Gregorius Episcopus etc. venerabili fratri Bernardo Episcopo Bononiensi, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Cum, prout notorium est, Romana Ecclesia pro recuperatione nonnullarum suarum terrarum a nonnulis suis tirannis et aliis occupatarum, ac defensione aliarum terrarum, que in ipsius Ecclesie obedientia remanserunt. magnis prematur oneribus expensarum, que ferre non potest, nisi viis et modis

licitis et honestis, maxime de hiis, que Camere nostre debentur, studeamus celeriter prouidere; huiusmodi magna neccessitate coacti omnes terminos seu dilationes per Camerarios nostrum et Collegii fratrum nostrorum dicte Ecclesie Cardinalium quibuscunque Archiepiscopis, Episcopis aut Electis Regnorum Vngarie, Polonie et Dalmatie pro communi seruicio et quinque seruicijs consuetis Camere nostre et dicti Collegii debitis assignatos, quantum ad medietatem ipsius communis servicii et quatuor servicia ex dictis quinque seruicijs eidem Camere nostre debita, tenore presentium auctoritate Apostolica revocamus; fraternitati tue, de qua in hiis et aliis gerimus in Domino fiduciam pleniorem, per Apostolica scripta committentes ac mandantes, quatenus eosdem Archiepiscopos, et Episcopos ac Electos dictorum Regnorum, ad que pro premissis et aliis dicte Ecclesie negotiis te destinamus ad presens, qui sunt dicte Camere pro huiusmodi communi servicio obligati, ex parte nostra moneas ac requiras, quod propter necessitatem magnam, in qua est dicta Ecclesia constituta, omnes et singulas quantitates pecuniarum, quas pro medietate eandem Camerum nostram contingente et quatuor seruitiis prefatis pro se et predecessoribns suis in quibuscunque terminis ad hoc prefixis teneantur soluere, in brevioribus terminis vel termino, de quibus tue circumspectioni videbitur, Camere Apostolice, prout sunt ad hoc obligati, soluant, et mittere ac assignare procurent, eorumque periculis et expensis sine difficultate persolvant. Contradictores etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum VIII. idus Martii, Pontificatus nostri anno septimo.

(XI. Gergely pápa regestáiból.)

126.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1377.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Per nobilem virum Simonem Rainerij de Perugia letanter accepimus Se-

renitatis Vestre gratiosa responsa ad legationem nostram Maiestati Vestre expositam per eundem, ac ea que sibi commisit Vestra Sublimitas in secreto; omniaque iucundis animis intelleximus diligenter. Ipsoque Simone curiose referente cognouimus, quanta pietate et humanitate se habuerit Vestra Clementia et Serenissimarum benignitas Reginarum erga illum sapientissimum virum dominum Benem Jacobi Francisci del Bene egregium Legum Doctorem, dilectissimum ciuem nostrum, in dicta legatione suum socium et collegam; qui antequam posset conspectum Vestre Maiestatis adire, viam vniuerse carnis ingressus, tributumque nostre mortalitatis exoluens, vt speramus, ad suum rediit creatorem, in visitando, et de Regiis copiis (igy) ac medicorum vestrorum suffragiis infirmitati sue tam benigne, tamque magnifice providendo, et in iam defuncti funeralibus et exequiis honorificentia, vltra patrie morem et Regiam consuetudinem, sibi impensa; nec non quanta serenitate frontis et lepore sermonis summam intentionis deuotionis nostre Vestra susceperit Celsitudo. In quibus omnibus, humanissime Princeps, quoniam humilitatem nostram ducimus honoratam, et de gratioso responso, quod eidem Clementia Vestra dedit, magnitudini Throni vestri, quanto ampliora possumus, debita referimus impendia gratiarum. Et vt ad singula veniamus, Princeps optime, quod Vestra Serenitas erga nos iuxta vestrorum sacratissimorum progenitorum vestigia singularem affectionem habeat, quodque sit nobis in possibilibus placitura, et quod sit disposita nunquam esse vel facere contra Commune nostrum, Comitatum et Districtum eiusdem, cum Ciuitatibus et Districtibus, in quibus preheminentiam habemus; imo nos sincere diligere, et in benevolentia Regia dulciter conservare, et sicut vestri progenitores fecerunt, pro amicis carissimis nos habere; affectione sincerissima, et cum humili reuerentia, gratiarum debito quanto officiosius possumus persoluto, deuotis atque iocundis animis acceptamus. Quod autem Celsitudini Vestre nostra rependat humilitas, non habemus; nisi quod continuata devotione, quam innatam ad inclite memorie vestri generosissimi sanguinis propagatores semper nostra Communitas habuit, et vsque in presentem diem fideliter conseruauit, intendimus ta-

liter in beneplacitis Regiis nos habere, quod vt facit Throni vestri culmen, nos inter deuotos et singularissimos filios numerabit.

Circa factum autem lige, quam Circumspectio Regia quoad presens posuit in suspenso; que scripta sunt, et que idem Simon viue vocis oraculo suggessit, audiuimus. Super quibus responsionem aliam Vestre Celsitudinis morabamur. Et quoniam, quod libenter audiuimus, Vestra Benignitas se in tractatu pacis inter Ecclesiam, nos et colligatos nostros intercessuram efficaciter profitetur et offert; et quod nos debeamus Vestram Serenitatem reddere certiorem, quo pacto, intentione, modo, censu aut seruitio Ciuitates rebellate cum domino Papa et Ecclesia velint stare : quamuis nostri fuerit semper propositi dignas conditiones pacis amplecti, et maxime per manus et medium Vestre benignissime Maiestatis, per quam speraremus pacem tutam, honestam et veram, et carituram insidiis invenire; tamen hucusque distulimus respondere. Quia circa hanc concordie materiam in Romana Curia nostros Oratores ad intercessionem plurimorum nobilium habebamus; expectantesque Vestre Maiestati aliquid certum et placidum intimare, huc usque retardavimus in scribendo. Sed quantumcunque, Principum benignissime, nostri Oratores cum omni humilitate et inaudita reuerentia pacem honestissimam postularent; offerentes, quod colligati nostri, qui alias fuerunt sub Ecclesie dominatu, ipsam recognoscerent in Dominam et Maiorem, et se solemniter ad census debitos obligarent; et quod ad ponendum gentes armorum, que in Italia militant, super infidelium territoria parati eramus possibiliter contribuere in honorem Romane Ecclesie, et augmentum fidei Christiane, sicut etiam ad hoc faciendum nos et colligatos nostros offerimus esse dispositos et paratos, et precipue per manus Vestre Serenissime Maiestatis. Nichilominus tamen Dominus noster Pontifex, sive malignantium acquiescendo consiliis, sive aliter in sue mentis estuatione nimium perturbatus, assensum non prebuit, sed repulsam; demum petens, ut nobiscum contulit Magnificus Miles dominus Petrus de Lambacurtis, qui filium suum huius concordie gratia in Curiam destinauit, post multa colloquia et taxationes innumeras et

descensus, in quadriennio a nostro Communi mille centum millia (igy; azaz 1.100.000) florenorum, quorum quinquaginta millia primo anno soluere deberemus, et sequenti triennio quolibet anno ducenta milia florenorum deberet eidem sola nostra Communitas numerare, et quod colligati nostri ultra hec a Communi nostro, vt premittitur persoluenda, quingenta quinquaginta milia florenorum tradere tenerentur; quam summam pene impossibilem arbitramur nedum nobis, sed omnibus Christianis. Quin etiam omnino volebat post dictum tempus, sibi fore licitum contra nostros colligatos arma sumere, et eos precluso nobis omni subventionis arbitrio, bellaciter infestare. Heu tempora, heu mores! Vicarius Regis Pacifici, qui iussit siue consuluit non prohibendam tunicam ab eo qui clamidem rapuerit, et in una maxilla percussum prebere cum humilitate maxillam alteram percussoribus, Christi fidelibus misericordiam et pacem suppliciter postulantibus, qui non percusserunt, non rapuerunt, sed ut necessitas compulit, sue studuerunt consulere libertati, seque ab excidio preparato defendere, et modestissime, quantum cum securitate licuit, inferendas iniurias propulsare. Heu heu! pacem velle vendere non veretur, sibique, quod grauius est, ultionem cruentam sub pacis federe reseruare. Pax autem solius Dei donum et hereditas est, hederitas quidem apud mortales spiritualis et optima, quam precio condere, quia donum Dei est, quilibet prohibetur, nedum ille qui vices Yesu Christi representat in terris, quem scimus post sue resurrectionis eulogium pacem cunctis sine differentia reliquisse. Ob quod, Clementissime Princeps, nedum contentamur, sed Serenitatem Vestram affectuosissime deprecamur, quatenus dignemini circa hoc pacis bonum efficaciter interponere partes vestras. Nam quamquam nuper sint in hoc pacis colloquium et Serenissima Domina nostra domina Regina Jerusalem et Sicilie, ac etiam Veneti feruenter, ut accepimus, intraturi; nichilominus sola Vestra Maiestas est, que poterit hoc hucusque tam desperatum negotium ad conclusionem debitam reuocare. Si tamen aliquid super pace, quam quibuscumque in medium se ponentibus non sumus ex affectione, quam habemus ad concordiam, et honestate nostre cause negaturi; sique super aliis, que ipse Simon post suum aduentum verbotenus

secretissime retulit, de quibus clarum aliquid a Serenitate Vestra scire plus quam auide morabamur, aliquid contigerit efficax nos percipere vel fieri, intentionem nostram super premissis gloriosissime Maiestati Vestre per viue vocis misterium (így) curabimus reserare in tali forma, quod Vestra Serenitas, devotionis nostre certissima, rationabilem et sinceram deliberationem nostram procul dubio commendabit. Sublimitatem Vestram exaltet Altissimus ad vestri nominis gloriam, et justissimi sceptri vestri optatissimum incrementum. Data Florentie die XXVIII. Martii XV. indictione, exacto anno Incarnacionis Dominice MCCCLXXVI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XVII. kötegében 99. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

127.

A velenczei köztársaság követet küld I. Lajos magyar és lengyel királyhoz. 1377.

Anno MCCCLXXVII. indictione XV. die XXIX. Maii. Capta: Quod Ambaxiator iturus ad dominum Regem Hungarie teneatur recedere de Venetiis pro eundo ad Ambaxatam suam die Martis proximo per diem omni causa remota. Et de Lune vel Martis veniatur ad istud Consilium; et fiet sua Commissio, sicut videbitur isti Consilio.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVI. kötetéből 9. l.)

128.

I. Lajos magyar és lengyel királyhoz a florenczi köztársaságnak panasza, hogy Raguzában a florenczi kereskedők üldöztetnek. 1377.

Regi Ungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps et Domine. Nuper audiuimus, in vestra Ciuitate Ragusie quandam nouitatem factam mercatoribus Florentinis, sub pretextu processuum contra Commune nostrum per Sedem Apostolicam for-

matorum; quantumcunque non fuerint processus nec ibi nec alibi in totius vestri gloriosissimi Regni finibus publicati. Sed motus ille populus solummodo fama processuum, et cunctos Florentinos excommunicatos esse putantes, ipsos compellunt modis omnibus ad discessum, cum eisdem habere commercium renuentes. Quod quantumcunque noscatur a paucis, qui nostris invident ciuibus, processisse : nichilominus tamen hec incepta paucorum vulgus ipse persequitur, et iam cepit eisdem nostris ciuibus justitia denegari. Quocirca, Clementissime Princeps, cum certe credamus, hoc preter Vestre Maiestatis conscientiam processisse, que nolet hanc consuetudinem in suo Regno preiudicialiter antiquari, ne voluntatem alterius fideles Christicole, qui sunt presertim Regno decori, et vtilitati reipublice, adeo inhumauiter expellantur : benignitati Vestri Throni Sacratissimi humillime supplicamus, quatenus deuotionis nostre respectu in hoc oportunum remedium adhibere, ita quod gratia Celsitudinis Vestre ibidem nostri mercatores et ciues sine metu alicuius novitatis vel iniurie conseruentur; vel si irrita Regia voluntate oportuerit ipsos abinde secedere, quod in repetitione suarum pecuniarum et rerum, tanquam si processi facti non forent, eisdem fauorabilis justitia ministretur, Regalis Vestra Serenitas provideat. Data Florentie die XVII. Julii XV. indictione MCCCLXXVII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVII. kötegében a 123. sz. a. : a florenczi nagy levéltárban.)

129.

Raguza város hatóságának a florenczi köztársaság ugyanazon ügyben. 1377.

Communi Ragusei.

Fratres karissimi. Admiranter audiuimus, mercatores nostros sub pretextu excommunicationum et procesuum Apostolicorum contra Commune nostrum, ut dicitur, fulminatorum de vestra ciuitate auctoritate publica prohiberi. De quo, fratres karissimi, cum apud vos nulla publicatio processorum facta sit, fraternaliter condolemus. Credebamus enim tum

propter utilitatem, tum etiam propter honorem vestri Communis, etiamsi has sententias contingeret publicari, visa maxime iniquitate sententie, et audito quod publice et notorie factum prudentiam vestram verisimiliter latere non debet, nostras iustas defensiones in Consistorio nullatenus acceptatas, vos illas, sicut innumeri Principes et infiniti populi faciunt, minime seruaturos; nedum sine causa anticipare tempus et publicationem ipsam, obseruatione tam precipiti preuenire. Quocirca fraternitatem vestram affectuosissime deprecamur, quatenus ciuibus nostris vos reddatis beniuolos et benignos, permittendo ipsos in Ciuitate vestra libere permanere; vel si omnino ipsos decreueritis expellendos, dignemini taliter prouidere, quod res et pecunias suas exigere possint, et compositis suis rebus in patriam remeare. Data Florentie die XVIII. Julii. XV. indictione.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVII. kötegében. 123. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

130.

I. Lajos magyar és lengyel király mint uralkodónak Arbe dalmatiai szigetére vonatkozó rendelete 1377. körül.

Lodovicus Dei gracia Rex Hungarie.

Non meminimus fecisse gratiam de redeundo in nostram Ciuitatem Arbensem Georgio per homicidium profugo, de quo Maiestati Nostre vestra fidelitas nunciauit, nec facimus; ymo placet nobis, et volumus, vt statuta vestra secundum Deum et justiciam obseruetis. Data in villa Parasgna sub anulo nostro secreto feria IIII. intra octauam Assumpcionis Virginis Gloriose.

Kivül: Fidelibus suis Vicario, Judicibus et Consilio Arbi.

(Eredetie papiron, a magyar tud. Akademia könyvtárának kézirati gyüjteményében.)

131.

László oppelni herczeg, s I. Lajos magyar és lengyel király galicziai helytartójának bizonyságlevele, hogy Mardrus Lemberg városnak örmény lakosa Malocha nevü curiai birtokát eladta Machowicz János lembergi polgárnak. 1377.

In nomine Domini Amen. Ladislaus Dei gracia Dux Opoliensis, Welunieusis et Russie tenore presentium notificamus quibus expedit vniuersis, quod in nostra corporali presencia constitutus Mardrus Armemus de Lemburga, sanus corpore et racione non deceptus, non coactus, pro libera atque spontanea sua voluntate, de consilio suorum affinium, curiam suam Malocham dictam in Districtu Lemburgensi sitam, cum vno molendino et alijs suis pertinencijs, vtilitatibus et fructibus vniuersis, prout eadum curia in suis metis existit limitata, videlicet agris, campis, pratis, pascuis, aquis et earum decursibus, piscinis, piscaturis, siluis, nemoribus, virgultis, mellificiis, et alijs obuencionibus, quibuscunque vocentur nominibus, ad eandem curiam pertinentibus, pro decem marcis grossorum numeri Rutenicalis rite et racionabiliter, iustoque condicionis titulo vendidit prouido viro Johanni Machowicz ciui nostro Lemburgensi, ipsi suisque heredibus et successoribus legitimis, perpetuis temporibus possidendam, tenendam, vtifruendam, donandam, vendendam, obligandam, commutandam, alienandam, ac in vsus suos, suorumque heredum et successorum legitimorum beneplacitos conuertendam, pro suo et eorum beneplacito voluntatis. Quam quidem vendicionem et empcionem ratas, gratas et firmas volumus obseruari temporibus perpetuis duraturam. Tenetur autem prefatus Johannes Machowicz, sui heredes et successores legitimi de eadem curia nobis et nostris posteris, quociens opportunum fuerit, cum vno sagittario deseruire. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio litterarum. Actum et datum Grodeck feria quinta post dominicam Sancti Francisci confessoris anno Domini millesimo CCC.LXXVII. Presentibus Jescone Radbo Capitano Russie, Pribcome Castellano Belzensi, Petro Belon, Haucone — — — — — Paulo

— — — — — Johanne — — — — —, ciuibus Lemburgensibus, et domino Nicolao nostro Cancellario, qui presentia habuit in commisso, et aliis multis nostris fidelibus fidedignis.

Lectum per Albertum de Zichlin
Regni Polonie Vicecancellarium

(Eredetie bőrhártyán László herczegnek vörös-zöld selyemsinóron függő pecsétje alatt, Lemberg városnak levéltárában.)

132.

I. Lajos magyar és lengyel királynak követe Rómában. 1377.

Anno MCCCLXXVII. indictione XV. die XV. Novembris. Capta: Quod lignum riperie Marchie, quod est hic et paratum ad recessum, possit leuare vnum Ambaxiatorem domini Regis Hungarie, qui rediit de Roma, et vult ira Segniam pro redeundo in Hungariam. Quo deposito in Segnia vadat ad custodiam suam riperie.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVI. köt. 81. l.)

133.

A raguzaiak hajokázása Cyprusba. 1377.

Anno MCCCLXXVII. indictione XV. die XIX. Novembris. Capta: Cum nobilis vir ser Fredericus Cornario Sancti Luce ciuis noster exposuerit Dominio; quod, prout fuit sibi notificatum de Rodo, illi qui sunt pro eo in Cypro onerarunt aliquem suum puluerem zuchari super quodam nauigio Raguseorum, et in Rodo expectabatur dictus puluis, quia erat ibi quedam cocha Anconitanorum, et intendebant procurare, quod vel cum dicta cocha, vel quando melius fieri non posset, cum dicto nauigio Raguseorum dictus pulius conduceretur in Istriam stb. (a kérelemnek hely adatik.)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVI. köt. 81. l.)

134.

A velenczei köztársaság kitiltja a rimini-i, firmoi és esculumi kereskedőket Dalmatiából. 1378.

Anno MCCCLXXVIII. indictioue prima die XIX. Augusti. Capta; (Nuncius mittitur ad Galeotum de Malatestis in Arimini; porro eadem causa Firmum et Esculum) Quod multi subditi sui cum navigiis et victualibus et alijs rebus iverunt et continue vadunt ad loca Sclauonie hostium nostrorum, extrahendo de inde etiam de rebus dictarum partium stb. (ne id amplius fiat)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVI. köt. 117. l.)

135.

A velenczi kormánytanácsnak rendelete, hogy Dulcignóban lévő kereskedőinek vagyona a genuai és dalmatiai gályák elől biztos helyekre vittessék. 1378.

Anno MCCCLXXVIII. indictione prima die XII. Septembris. Capta: quod mercatores Dulcigni possint mittere vnum nuncium suum super istis galeis, qui deponatur in partibus, ubi melius videbitur ser Petro Gradonico Capitaneo nostro, vel iu partibus Sclavonie vel Apulee, pro faciendo tutari havere suum infra terram pro dubio galearum Januensium et Raguseorum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVI. köt. 120. l.)

136.

IV. Károly császár felkéri a római egyház bibornokait, hogy VI. Orbán pápának legyenek hívei. 1378.

Reverendissimis in Christo Partibus dominis . . . Sancte Romane Ecclesie Cardinalibus, salutem et sincere voluntatis affectum. Reverendissimi Patres, amici carissimi! Decet Imperatoriam Maiestatem Orbis promovere rempublicam, et

dampnosis discordiarum periculis, presertim quibus status et sperata tranquillitas vniuersalis Ecclesie Sancte Dei leduntur, quautum Altissimus dignatur concedere, salubriter providere. Sane volubilis fame loquacitas his diebus Cesareum re stupenda nimis turbavit auditum, qualiter quidam domini Cardinales se Sanctissimo in Christo Patri et Domino, Domino nostro Reverendissimo, domino Vrbano Pape Sexto, quem assumptum Divinitus, electum concorditer, et ad Apostolatus Apicem dudum multorum tam dominorum Cardinalium, quam aliorum fide dignorum veridica scriptura nos docuit canonice sublimatum, moliantur opponere, et ab ipso quibusdam pretensis coloribus sint diversi; quod tanto fert gravius Imperialis Sublimitas, quanto id ipsum versari cognoscit in depressionem Sedis Apostolice, et subversionem fidei Christiane. Verum quia, sicut ex litteris majoris partis dictorum dominorum Cardinalium, nobis post electionem, creationem et coronationem dicti domini nostri Pape successive transmissis, quas caute custodia recondi mandavimus, constat clarissime, Collegium dominorum Cardinalium, vosque singulos Cardinales, dictum dominum nostrum Vrbanum Sextum Papam modernum nominasse, reputasse et asseruisse, nominare, reputare et asserere Summum Pontificem, et ipsum tanquam verum Papam concorditer et canonice electum ac sollempniter coronatum, ultra ea, per que Summus Pontifex a Christi fidelibus agnoscitur, nominatur et etiam reputatur, assistentibus et consentientibus sibi vobis; plures, imo multiplices solemnes actus exercuisse, et justo titulo fecisse papales, tam in publicis Consistoriis, quam privatis: multum et digne miramur, si diversitas hujusmodi, quod tamen non credimus, veritati innitatur. Quis inter vos Reverendissimos dominos Cardinales seductor et non Cardinalis exstiterit, qui tam scandalosa, tamque dampnosa reipublicae et animarum saluti contraria in agris Ecclesie Sancte Dei, que est unitas fidei, et congregatio Christi fidelium, malivole zizanizare presumpsit? aut qualiter in tantam imperitiam tot peritissimi viri devenerunt? quorum concordia salubrique presidio per dictum dominum nostrum Papam per multa secula preterita non audita, que ruinam totius militantis minatur Ecclesie, obedientiam Apo-

stolice Sedis destruere, et in Catholica fide Sanctissima sevos errores et hereses immiscere tumescente fastu temporibus nostris, quod absit, levetur in altum; sed per sinceram concordiam, que fidem generat et nutrit amorem, et per reconciliationis optatam medelam, prudenter et subtiliter supprimatur; Paternitates Vestras et quemlibet vestrum attente rogamus, immo medullitus per misericordiam Altissimi requirimus et hortamur, quatenus, si inter dictum dominum Papam et vos quecumque, quod absit, versatur adversitas, ne mundus et homines miserabiliter involvantur, ad cor et puram conscientiam converti velitis omnem adversitatem hujusmodi sinceriter deponentes, et eidem domino nostro Pape pro regenda feliciter Sacrosancta Romana Ecclesia et totius Christianitatis republica cordialiter promovenda, meritoriis, ut decet, assistatis consiliis et auxiliis opportunis. Taliter, ut ultra retributionis Divine mercedem ad complacendum singulis vobis Celsitudo Cesarea merito teneatur, procuretis. Super hiis honorabili . . . nonnula ponderosa et ardua mentis nostre vobis et cuilibet vestrum referre mandavimus oraculo vive vocis; cui fidem pro parte nostra adhibere placeat per omnia, presentium, sub Imperialis nostre Majestatis sigillo creditivam etc.

(XV. századi kézirati codexből, a prágai káptalan könyvtárában.)

137.

A velenczei hajóraj kényszeríti Arbe szigetét, hogy a velenczei köztársaságnak hódoljon. 1378.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo septuagesimo octavo, indicione prima, mensis Novembris die decimo, juxta portum civitatis Arbi super pupim galee, cui est Supercomitus dominus Jacobus Valaresso. Honorabilis dominus Jacobus Valaresso nobilis Veneciarum armizatus cum duobus ferris in aqua, et duobus palumbariis ad scopulum Sancti Georgii Arbensis Districtus; presentibus viris nobilibus dominis Francisco a Bocolis olim domini Marini de Veneciis Sancte

Trinitatis. Johanne de Vidorio Sancti Simeonis de Veneciis olim domini Anctoni, Lodovico Contareno olim domini Francisci Sancti Appolinaris, Johanne Miani olim domini Francisci Suncti Vitalis, domino Johanne de Nordolis de Ymola Cancellario dicte Civitatis Arbi, et Zongelo de Desco de Arbo testibus rogatis et ad hec specialiter convocatis, et aliis ibidem. Cum Egregius et sapiens vir dominus Lodovicus Lauredanus, unus ex Provisoribus Armate Veneciarum et Capitaneus decem galearum armate Communis Veneciarum constitutus, prout apparet in infrascripto iustrumento Sindicatus et Procuratorii, comparuisset ibidem cum dictis decem galeis tanquam Sindicus, actor factorum negociorum domini Ducis et Communis Veneciarum, gestor ac legiptimus procurator cum instrumento quodam Sindicatus et Procuratorii scripto manu Steni filii Bortholi de Steno Sancte Lucie de Veneciis, Publici Imperiali auctoritate Notarii, ac Notario domini Victoris Pisani pro Ducali Dominatione Veneciarum Generalis Capitanei Maris in millesimo trecentesimo septuagesimo octavo indictione prima mensis Novembris die septimo in aquis Jadre apud Jadram super galea armizata ad ferrum Egregii et potentis viri domini Victoris Pisani, pro Ducali Dominio Veneciarum honorandus Capitaneus Generalis Maris, inter cetera continens, qualiter predictus dominus Victor Pisani predictus Capitaneus Generalis Maris, dominus Panthaleo Barbus et Lodovicus Lauredano, Provisores super felici armata Communis Veneciarum pro ipsa Ducali Dominatione Veneciarum, ac dominus Jacobus Delphino Miles, et Petrus Gradenico, pro eadem Dominatione Veneciarum Capitanei. agentes nomine et vice domini Ducis et Communis Veneciarum, virtute et auctoritate, quam habent a Ducali dominatione Veneciarum tam virtute commissionum ipsorum dominorum Capitaneorum et Provisorum, quam alterius cuiuscumque mandati vel ducalium litterarum omnibus modo, via et iure et forma, quibus melius sciverint et potuerint, tam de iure quam de consuetudine quarumlibet Civitatum et locorum, fecerunt, creaverunt, constituerunt, ordinaverunt suum seu dicti domini Ducis et Communis Veneciarum Sindicum, actorem, factorem negociorem domini Ducis Veneciarum et eius

Communis, gestorem ac legiptimum procuratorem, seu aliud quicquid melius et verius dici potest, virum nobilem dominum Lodovicum Lauredano predictum Capitaneum decem galearum, constitutum per ceteros prefactos Dominos in sua terminatione Consilii predicti, ibi presente et volente et consentiente et hoc mandatum sponte suscipiente, ad eundum cum gratia Sancti Spiritus Capitaneus decem galearum de armata dicti Communitatis Veneciarum ad partes sive locos Civitatis Arbi et Districtorum et locorum ac terrarum circumstantium, et quorumlibet inimicorum et rebellium Dominationis Venetiarum, inimicos et rebelles Dominationis Veneciarum toto suo posse offendendo et dampniffícando realiter et personaliter ubicunque compererit cum dictis decem galeis in mari et in terra, et ad presentandum se cum dictis galeis ad partes Arbi et Districtorum et locorum et terrarum circumstantium, et requirendum homines et personas quaslibet, inimicos Dominationis Veneciarum, ut ad gratiam et obedientiam et fidelem subiectionem perpetuam domini Ducis et Communis Veneciarum venire et declinare vellint et veniant, ac dicto domino Lodovico stipulanti et recipienti nomine predicto dictas Civitates et locos dare et tradere cum omnibus suis iuribus, actionibus et pertinentiis quibuscumque, omnesque ad eandem gratiam et obedienciam Dominationis Veneciarum venire et declinare volentes, benigniter recipiendum nomine et vice predictis cum fidei iuranento de perpetua fidelitate, obedientia et fide servanda dictis domino Duci et Communi Venetiarum, cum omnibus pactis, condicionibus, formis et clausulis, que videbuntur providentie dicti constituti, et ad promittendum in eorum constituencium et constitutorum fidem et animabus cum omni debito et necessario iuramento nomine et vice ipsius Communitatis Veneciarum omnes ad eius gratiam venire volentes de eorum et suorum locorum deffensione, protectione et gubernatione perpetuo conservanda ab omnibus hominibus et personis mundi, et ad stipulandum et paciscendum cum hominibus quarumlibet Civitatum et locorum mundi; Vniuersitatibus, Communitatibus et Collegiis quarumlibet Civitatum et locorum mundi ad prefactam gratiam venire volentibus nomine quo supra pacta, instrumenta

atque promissiones quaslibet et omnes necessarias et oportunas faciendum; dantes et concedentes predicti constituentes eidem domino Lodovico Lauredano constituto, ut dictum est, omnem auctoritatem, potestatem, libertatem et bailiam, quam habent a Dominatione Venetiarum, ut dictum est; omnia predicta et singula predictorum, et eis connexa et ab ipsis dependentia dicendi, faciendi, procurandi, iurandi et promittendi, sicut ipsimet constituentes et constitutus ad invicem congregati facere possent de suo concordi et unanimi consilio; promittentes dicti constituentes habere firmum et ratum totum et gratum, quod per predictum dominum Ludovicum Lauredano constitutum, dictum, gestum, factum et procuratum fuerit in predictis et singulis predictorum, et cetera, prout in dicto instrumento plene legitur, a me infrascripto Notario viso et lecto. requirens nomine, quo supra, cives omnes, Vniuersitatem et Commune Arbi, ut venire et inclinare debeant ad subiectionem, protectionem et fidelitatem perpetuam domini Ducis Veneciarum et eius Communis. Accesserunt coram eo viri nobiles ser Stephanus de Dominis, ser Nicolaus de Cernota, ser Pribe de Martinusio, ser Hermolaus condam ser Cibre de Hermolao, nec non Creste de Bubogna, Creste de Bomic, Franzolus de Dome, et Dominicus de Machia, tanquum Sindici, procuratores et actores Vniuersitatis, Communitatis et civium omnium predictorum Arbi, ut de eorum Sindicatu per publicum instrumentum scriptum et actum Arbi in Cancellaria Communis eiusdem per me Notarium infrascriptum in predictis millesimo, indiccione et die nono mensis Novembris, inter cetera continens, nobiles et sapientes viri ser Salbe de Gauzina, ser Hermolaus condam ser Nicolai de Hermolao, et ser Colanus de Zudenico, Judices Civitatis Arbensis, auctoritate et bailia eis concessa et attributa in Maiori et Generali Consilio, Ciuitatis predicte, ut patet in reformacione quadam Consilii scripta in quaterno Reformationum dicti Communis sub instanti millessimo, indictione et die, per ser Johannem de Nordile de Ymola, eiusdem Communis Cancellario, in qua substancialiter cavetur, ut Sindici infrascripti habeant meram facultatem, omnia infrascripta peragendi, tractandi et ordinandi, quia in ipsa parte fuerunt octuaginto unum de sic, nullus de

non, et quatuor de non sinceri: fecerunt, constituerunt et ordinaverunt viros nobiles ser Stephanum de Dominis, ser Nicolaum de Cernota, ser Pribe de Martinusio et ser Hermolaum condam ser Cibre de Hermolao, nec non Creste de Bubogna, Creste de Bomic, Franzolum de Dome, et Dominicum de Machia, presentes et mandatum sponte recipientes eorum et dicti Consilii et Communis veros Sindicos, actores, procuratores et nuntios, et negotiorum gestores, specialiter ad comparendum coram Egregio et sapienti viro domino Lodovico Loredano, ciue Veneciarum honorabili, Provisore Ducalis Dominii Venetorum ad felicem armatam dicti Communis Veneciarum, et Capitaneum decem galearum nunc in obsidionem Civitatis Arbensis existentium, constitutum per Egregium et generosum, sapientem et belicosum virum dominum Victorem Pisanum eiusdem armate Generalem Capitaneum, nec non per alios Provisores Consiliarios eiusdem domini Capitanei, et ordinatum et factum sindicum, procuratorem, actornm generalem et specialem ad hec infrascripta et alia tractanda et percomplenda, prout in eius auctoritate cavetur, et se nomine dicti Regiminis, Consilii et Communis subiciendum potestati, gubernationi et dominio incliti Ducalis Dominii Veneciarum prenotati, et pro bono, pacifico atque felici statu dicti Regiminis, Consilii et Communis sucipiendi ipsum dominum Provisorum et Capitaneum nomine et vice dicti Ducalis Dominii, Consilii et Communis Veneciarum in Dominum, Rectorem, Gubernatorem, Protectorum et Deffensorem dicti Regiminis, Consilii et Communis Arbensis, vel quos substituerit, decreverit et ordinaverit, iuxta antiquas libertates et iurisdictiones dicti Communis Arbensis, fidelitatem perpetuam et subiectionem in manibus eius, nomine quo supra recipientis iurandum et omne genus sacramenti necessarium ad inde exponendum, et versa vice recipiendum ab eo Provisore et capitaneo prenotato, nomine quo supra, caucionem neccessariam et opportunam, sacramentum, et fidem, et omnia, que requiruntur secundum leges et observantias tam Communis iamdicti, Communis Veneciarum, et generaliter ad omnia et singula facienda, tractanda et exercenda atque percomplenda, que honori et excellentie ipsius Ducalis Dominii et Commu-

nis Veneciarum, atque conservationi, statui proficuo et roborationi antiquorum ordinum, statutorum et libertatum dicti Communis Arbensis arridebunt; concedentes ipsi constituentes, nomine quo supra, ipsis costitutis plenum admodum et liberum et generale mandatum et speciale faciendi supra modum, quicquid fuerit opportunum secundum utrumque Jus, et secundum quod in predictis casibus requiritur, non obstante, quod aliqua clausula generalis vel specialis in presenti Sindicatu fuerit obmissa; et promittentes nominibus quibus supra, ipsis constitutis pro se et eorum heredibus stipulantes, se ratum et gratum et firmum habituros, quicquid per eosdem in predictis et circa predicta fuerint tractata, gesta, commissa et completa et ordinata, sub obligatione omnium bonorum dicti Communis Arbensis presentium et futurorum. Et dederunt et tribuerunt predicto domino Lodovico Lauredano, Capitaneo dictarum decem galearum, ut Sindico et procuratori predicto nomine et vice eiusdem domini Ducis et Communis Veneciarum recipienti et stipulanti totum dominium liberum et expeditum Civitatis, Insule et Districtus Arbi, cum omnibus iuribus, rationibus et actionibus, pertinenciis et iurisdictionibus et honorificentiis, angariis, spectantibus et debentibus, pertinentibus dicto Communi Arbi quoquo modo, cum assignatione clavium Civitatis in signum possessionis et dominii dicte Civitatis et Districtus, salvis et reservatis eisdem Vniuersitati, Communi et Civibus Arbi omnibus suis statutis, legibus, consuetudinibus et gratiis, quas semper habuerunt cum predicto domino Duce et Communi Veneciarum, donec sub eorum protectione permanserunt; excepto quod electio, creatio et condictio Comitis Arbi remaneat et esse debeat in libertate et voluntate prefati domini Ducis et Communis Venetiarum ad terminandum de ipsis, ut sibi videbitur et placebit; et quod predictis Duci et Communi Veneciarum sit licitum facere fabricare et fortificare Civitatem predictam Arbi, et alias fortilicias et machinas omnes fieri facere, que eidem domino Duci Communique Veneciarum, vel eius Officialibus apparebunt pro fortificatione et conservatione dicte Civitatis et portus eius facienda de denariis introituum et redituum dicti Communis Arbi, soluto primo Comiti et aliis Officialibus

dicte Civitatis et salariatis. Pro quibus omnibus supradictis firmius observandis et attendendis predicti Sindici et procuratores, nomine quo supra, iuraverunt corporaliter ad Sacra Dei Evangelia, tactis Scripturis, ipsi domino Lodovico stipulanti et recipienti nomine supradicto dominium dicte Civitatis et Regiminis et Districtus recognoscere ab eadem Ducali Dominacione, et eidem perpetuam servare fidelitatem; et e converso dictus dominus Lodovicus, nomine quo supra, iuravit corporaliter ad Sacra Dei Evangelia, tactis Scripturis, dictis Sindicis et procuratoribus stipulantibus et recipientibus nominibus supra dictis, prefactos cives, Vniuersitatem et Commune Arbi semper deffendere, manutenere, guarentare et deffendere ab omnibus hostibus et personis, Colegiis et Vniuersitatibus et Communibus quibuscumque cum modis et condicionibus, consuetudinibus et gratiis supradictis. De quibus duo debeant fieri instrumenta eiusdem sententie et tenoris, quorum unum sit penes Commune Veneciarun, et aliud penes Commune Arbi.

Ego Francissono de Bochollis testis subscripsi.
Ego Johannes de Vidorio testis subscripsi.
Ego Johannes Miani testis subscripsi.
Ego Lodovicus Contareno testis subscripsi.
Ego Johannes de Nordolis de Imola Cancellarius Arbensis etc. me subscripsi.

(P. H.) Ego Nicolaus Johannis Mathei de Curtarondlis predicti Districtus, Publica Imperiali auctoritate Notarius et Arbensis Juratus hiis omnibus interfui, et rogatus scribere, scripsi, publicavi et roboravi.

(Eredetie bőrhártyán a velenczei nagy levéltárban.)

138.

Venczel római és cseh királynak a bibornokok gyülése VI. Orbán pápa választásáról. 1378.

Serenissime Princeps. Quia plerumque, imo ut plurimum, presertim in rebus arduis, fame loquacitas veritatem quibusdam adulterinis coloribus obnubilat; ideo quod his diebus in Romana Ecclesia gestum sit, vobis presenti veridica nuntiamus, ut et his, qui vobis rem aliter factam narrayerint aut scripserint, non credatis; et mens vestra, hac nostra insinuatione clarificata, in tranquillo et sereno veritatis litore conquiescat. Regia igitur Celsitudo cognoscat, quod Sancte felicisque recordationis domino patre nostro, domino Gregorio Papa XI. die XXVII. mensis Martii nuper elapsi viam universe carnis ingresso, et sicut de largissima Dei pietate confidimus, post labores ad premia evocato, tantique patris, prout erat juris et moris, cum debitis honore et reverentia exequiis celebratis, die VII. mensis Aprilis nuper preteriti Conclave Palatii Apostolici, in quo prefatus dominus noster abierat, ne dicamus obierat, juxta sanctiones canonicas decrevimus introire. Sed certis ex causis ad id nostrum inducentibus animum, hujusmodi nostrum introitum ad diem immediate sequentem duximus differendum; qua quidem die, videlicet VIII. die mensis Aprilis, primitus gratia Spiritus Sancti invocata, Conclave prefatum intravimus, de electione et substitutione futuri Pontificis tractaturi; sequentique die, Luciferi nescientis occasum, ut pie credimus radiis illustrati, circa illam diei horam, qua Spiritus ille Paraclitus in Sanctorum Discipulorum corda descendit, ad personam Reverendi in Christo fratris, domini B. Archiepiscopi Barensis, viri utique magnorum meritorum claritate perspicui et multiplicium virtutum lampade refulgentis, libere et unanimiter direximus vota nostra, eum ad Celsitudinis Apostolice speculam concorditer evocantes, et hanc nostram evocationem seu electionem in conspectu maxime Christiane plebis multitudinis nuntiantes. Ceterum die IX. ejusdem mensis Aprilis idem dominus noster electus coram turba fidelium copiosa super Thronum dignitatis Apostolice

sublimatus, sibi Urbani VI. (nomen) ascivit, ac die qua Christus Jesus Summus Pontifex vitam nostram resurgendo reparavit, sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est, in basilica Principis Apostolorum de urbe cum ingenti tripudio et letitia innumerabilis populi Christiani Pontificali Regno magnifice et sollempniter exstitit coronatus. Que quidem Serenitati Vestre ideo nuntiamus, ut sicut abitus memorati domini Gregorii vobis amaritudinis et tristitie calicem propinavit, sic de presentis patris concessione nobis celitus facta gaudii et exsultationis spiritum assumatis. In illo enim, cujus vices idem Dominus noster gerit in terris, firmam spem fiduciamque tenemus, quod sub ejus felici regimine status Romane et universalis Ecclesiae reflorebit, et orthodoxa fides felix optatumque suscipiet incrementum.

(XV. századi kézirati codexból, a prágai káptalan könyvtárban.)

139.

I. Johanna siciliai királynénak Venczel római és cseh király. 1379.

Serenissima Princeps, soror dilecta. Dudum Serenissimi Principis dive memorie domini Karoli, Romanorum Imperatoris, genitoris nostri carissimi literas, dum adhuc ageret in humanis, ad vos credimus pervenisse, ut ab assistentia Antipape Gebenensis et suorum complicum, qui deceptoriis dolositatibus et figmentis rempublicam Sacrosancte Romane Ecclesie subvertere, statum Domini nostri Summi Pontificis, domini Urbani Sexti fallaciter opprimere, quin imo in Catholica Sancta fide fedas hereses moliuntur damnabiliter seminare, recedere deberetis ad verum dominum nostrum Urbanum Papam Sextum sancte et canonice promotum, Jesu Christi Domini Dei in terris Vicarium, et Beati Petri Apostoli successorem, prout in principio creationis sue et coronationis fecistis, sinceriter convertenda; sic et nos in utilitatem vestram, que est anime vestre salus, vos seriose requirimus et hortamur, volentes, ut scismatis errore deposito, ad obedientiam Apostolice Sedis et dicti domini nostri Urbani Pape quanto

citius redeatis; quod nisi feceretis, scitote pro certo, quod culpa vestra vos destruet, et nos adversum vos velut inobedientem et indignam vasallam Imperii opportuno remedio procedemus. Datum domo nostre mansionis etc.

(XV. századi kézirati codexből, a prágai káptalan könyvtárában.)

140.

Otto braunsveigi herczeg és I. Johanna siciliai királyné férjének Venczel római és cseh király. 1379.

Illustris consanguinee dilecte. Super iis, que nobis per Nuntium tuum, presentium ostensorem, significare curasti, tue dilectioni finaliter respondemus, quod a paternis dive memorie quondam Serenissimi Principis domini Caroli Imperatoris, genitoris nostri, felicibus vestigiis, quibus Sacrosanctam Romanam Ecclesiam, et statum domini nostri Pape Urbani VI. catholice, quamdiu vixit, prosecutus est, discedere non volumus, neque licet. Et igitur te, quem a progenitoribus tuis caтholicnm esse confidimus, seriose requirimus et hortamur, quatenus una nobiscum dictum dominum nostrum Papam Urbanum, Christi Vicarium et verum Beati Petri Apostoli successorem, Summum Pontificem sinceriter recognoscens, non solum ab adherentia Gebennensis Antipape suorumque complicum in hac parte amplius abstineas, sed et Serenissimam Johannam Sicilie (Reginam) conjugem tuam ad ipsum taliter faciendum inducas. Nam dum ab hoc per effectum sufficienter edocti fuerimus, nos utrisque vobis utique senties possibilius favorabiles et benignos, prout etiam dictus Nuntius tuus, per quem Regine predicte similiter scribimus, referet latius voce viva. Datum etc.

(XV. századi kézirati codexből, a prágai káptalan könyvtárában.)

141.

Contarini Zakár és de Priolis Jakab a velenczei köztársaság követei I. Lajos magyar és lengyel királynál 1379.

1) Az Olaszországban harczoló magyar hadak főparancsnokainak a velenczei követek.

Dominis Benedicto Capitaneo Serenissimi Domini domini Regis Hungarie in partibus Italie, et Jacobo Ispano Comiti etc.

Magnifici et Potentissimi Domini. Significamus Magnificenciis Vestris, quod hodie XXV. mensia presentis in occasu solis venimus Tarvisium cum intentione prosequendi viam nostram secundum ordinem et terminum diei denotati nobis per Magnitudines Vestras. Verum quia nobis aliqua deficiunt ubi Magnificencijs Vestris placeret differre usque ad diem Sabbati, hoc esset nobis valde gratum. In casu vero, quo hoc esse non posset, sumus dispositi ad Vos in termino ordinato venire. Quare placeat providere nobis de scorta sufficienti, ut possimus secure ad Magnificencias Vestras accedere, secundum quod Vobis videbitur. Data Tarvisij XXV. Maij in crepusculo

2) Contarini Endre velenczei dogénak a követek.

Dominio.

Serenissime et Excellentissime Domine noster. Ante nostrum recessum de Venetijs emimus a nobili viro ser Petro Aymo Potestate vestro Clugie duos equos, unum liardum rotatum, et alterum bajum brunum precio ducatis CXXXV. In tractatu cujus mercati ipse ser Petrus nobis maximam mentionem fecit de dicto equo liardo, dicens, quod ut per experientiam viderat, ipse equus erat optimus et bene sanus, et quod cum dare noluerat pro ducatis LXXXX. Quod audientes et confidentes maxime verbis suis, firmavimus mercatum de dictis duobus equis in precio suprascripto ducatis CXXXV, computando semper ipsum equum liardum ducatis LXXX. Sed hic invenimus, quod suprascriptus equus liardus habebat sub cauda passionem vermis, que non est sine manifestissimo

periculo equi predicti et contagione aliorum equorum nostrorum. Vnde cognoscentes, quod quando emimus dictum equum predicte passionis, nulla facta fuit nobis manifestatio, sicut de Jure fieri debebat, quia occulta, imo tacita fuit; et quod nos confidimus verbis suis; et quod, ut sunt concordes omnes mareschalchi hujus urbis, sunt plures octo diebus quod passio non incepit; et etiam quod hoc esset cum manifestissimo damno Vestri Communis : deliberavimus remittere dictum equum Venetias per patronum barchi latorem presentium, quem Dominatio Vestra dignetur dari facere predicto ser Petro, et facere quod restituat pecuniam, ut justum est causis suprascriptis. Et si forte per ipsum fieret contentio, quod equus non fuit computatus ad dictum precium ducatis LXXX in LXXXV, sentiat Dominatio Vestra, quod alterum equum ipse emit a ser Luca Contareno ab uno mense, citra vel circa ducatis XL, ita quod bene considerare poterit, pro quanto precio ipse equus nobis computatus fuerit. Dignetur insuper Dominatio Vestra solvi facere patrono barchi, ut justum fuerit, de laboribus et sua mercede. Data Tarvisij XXVI. Maij.

3) A velenczei dogénak a követek.

Dominio.

Serenissime et Excellentissime Domine noster. Sicut scripsimus Dominationi Vestre die Veneris XXVII. mensis presentis Maij, recessimus de Tarvisio cum Gregorio misso nobis pro scorta nostra, et cum illo venimus Sacilium dicta die hora XXIII. In quo quidem loco Sacili statim fuimus cum domino Benedicto et domino Jacobo, qui uoluerunt penitus nos ire ad hospitia nostra pro quiete personarum nostrarum, dicentes, quod die sequenti nobiscum essent. Fuimus etiam die Sabbati cum eis, et premissa salutatione pro parte Dominationis Vestre, et relatis sibi gratijs de conductu securo suo; conclusimus, quod in prosecutione vie nostre eramus dispositi servare illam viam et ordinem, qui viderentur et placerent sibi. Post hec sine mora voluimus exequi et complere opus quid scitis. Et breviter nulla via neque modus valuit, quibus possemus perficere dictum opus; et hoc solum, ut postea scivimus ex parvitate operis antedicti. Verum

dicta die Sabbati, recepto condecenti commeatu a domino Benedicto, recessimus de Sacillo cum domino Comite Jacobo, et cum eo venimus Spilimbergum. Ubi Dominus Spilimbergi occurens nobis obviam, nos solemniter honoravit. Crastina die bono mane hinc recedimus prosecuturi viam nostram cum domino Jacobo antedicto. De informatione autem habenda ab illa persona, nominata vobis per Bon Johannem, habuimus, quod compromittatur in illam personam, in quam alias compromissum fuit, que persona adhuc intentionem videtur intendere. Nova ista hoc sero intelleximus per quendam cursorem, qui recessit de Buda die XV. ab hodiarna, quod Rex Ungarie sit in Posonio, et quod ad illum festinanter iverint Duces Austrie; Dux Albertus per terram, et Dux Leopoldus per aquam. A quibus dicitur per dictum cursorem Regem petijsse ducentas lanceas pro quolibet, que sicut habuimus ita scribimus. Insuper hic sensimus quod dominus Patriarcha fuit ad partes Istrie, et intendit facere unam bastitam inter Justinopolim et Tergestum ad prohibendum, ne de partibus superioribus ad dictas terras victualia transferrantur. Data Spilimbergi XXVIII. Maij.

4) A velenczei dogénak a követek.

Scriptis premissis et clausa littera, sequenti die dominica XXVIII. opus prefatum, ut scripsimus incompletum, postea per interpositionem domini Bertoldi perfectum fuit. Quod quidem opus acceptavit nomine domini Benedicti illa persona a Veluco in absentia ipsius domini B. in campis. Hortatur etiam et valde dictus dominus B. quod pro fine bono et utillimo adiciantur dicto operi pro domino Benedicto tot laboratores, qui sint usque numerum VII ultra laboratores datos in opere antedicto; pro hoc enim hic et alibi finis optimus operi vestro per alios etiam fautores dicti domini Benedicti, ut premittitur, parabitur et omnimode impenditur. Super hoc etiam dominus Benedictus ad plenum scribet Vestro Dominio. Data fuit hec aditio dicte littere in Sancto Daniele prope Spilimbergum die dominica XXVIIII. Maij in processu vie nostre.

5) A velenczei dogének a követek.

Dominio.

Excellentissime Domine noster. In Vilacho die Martis ultimo Maij dum attigimus, reperimus Nicolaum familiarem Magistri Lodovici, qui dixit nobis portare Dominacioni Vestre litteram ipsius Magistri. Nos autem ad informationem nostram elegimus aperire et videre litteram ipsam, atque etiam audire referenda per eum. Clausimus et eciam bullavimus litteram ipsam, illumque sollicitavimus prosequi viam suam; nos autem consimiliter cum domino Comite Jacobo prosequimur viam nostram. Speramus, quod habueritis litteras quas scripsimus, et notanter litteras quas de Spilimbergo misimus, inter alia continentes, quod ille dominus B. multa promittebat et offerebat in opere perficiendo, si in illo numero scripto haberet, quid cupit habere. Et quia de incertis rebus iudicare non possumus, nostram opinionem determinatam non scripsimus. In via, quam hucusque fecimus cum dicto domino Comite, studiosi fuimus trahere quicquid esset pertinens voto vestro. Breviter convenit cum opinione domini B., que est, quod compromittatur in R., prout alias compromissum fuit; predictorum autem opinio, cum intentione vestra nullatenus concordare videtur. Data in Vilaco die primo Junij.

6) Lajos mester a ferenczrendiek uj generalisának a velenczei követek.

Magistro Lodovico Generali Ordinis Minorum.

Reverendissime Pater. Dum Altumburgum nunc venimus hora vesperarum diei presentis octavi Junij : audivimus nova gratissima voto nostro; quibus intelleximus, Reverendissimam personam Vestram dignissime esse promotam ad fastigium meritum Generalis Magistratus Religiosissimi Ordinis Sancti Francisci. Que quidem nova mentes nostras alacritate et gaudio compleverant respectibus multis, quos alta vestra prudentia censere potest. Et quia studiosi agendorum commissorum nobis festinare proponimus, viam nostram, quamquam fidissimi simus, Reverendissimam Paternitatem Vestram ex propria industria adhuc facturam residentiam apud Re-

giam et Reginales Majestates: tamen affectuore rogamus ipsam Reverendissimam Paternitatem Vestram, tam apud Regiam et Reginales Majestatos, quam in nobis commissis, Vobiscum collationem necessariam participare possimus, et viam in ipsis disponere meliorem.

7) Orbán mesternek a velenczei követek.

Magistro Urbano.

Reverende Magister et Pater. Quia scimus Vos amantissimum esse Reipnblice nostre; presentibus denotamus, quod hodierna die octava Junij attigimus Altumburgum, venturi properanter ad conspectum Serenissimi domini Regis Vngarie. Et quia vero iudicio multa speramus pro informatione nostra habere ab alta vestra prudencia, et utillima factis commissis nobis; affectuose rogamus, quod Reverendissima persona Vestra, quam ducit amor Reipublice antedicte, velit tamdiu moram in Buda vel in his partibus trahere, quod vobiscum collationem pertractare possimus super optima querenda via et consilio agendorum commissorum nobis.

8) A velenczei dogének a követek.

Serenissime et Excellentissime Domine noster. Die dominica XII. Junij attigimus Budam, et invenimus, quod dominus Rex erat longe a Buda per duo miliaria in solacio suo, et quod nobis deputaverat pro auditoribus nostris, dominum Ducem Karolum, dominum Episcopum Junone (így Jauriensem), dominum Episcopum Waradiensem, et dominum Jacobum Ispanum. Qui die Lune sequenti miserunt pro nobis, volentes, quod exponeremus eis Ambasiatam nostram. Nos autem procurantes obtinere posse facere Ambasiatam nostram domino Regi, tam apud dominam Reginam, quam apud Barones, cum adjutorio etiam Reverendi domini Generalis Magistri Lodovici, qui diligentissime se habuit in his factis, non potuimus obtinere; quando oporteret nos facere Ambasiatam nostram ipsis dominis Auditoribus; quam fecimus die Lune predicta post vesperas secundum formam primi capituli nostre commissionis. Qua facta dicti Auditores dixerunt, quod de more Vngarorum non erat velle verba, nec tempus iuva-

men, sed venire ad finem cause; et quod consimiliter dominus Rex non querebat verba nec tempus iuvamen, eo maxime, quod erat occupatus longe majoribus, et quod modus Ambasiate nostre erat modus prorogandi potius causam, quam illam producendi ad finem. Nos autem respondimus, quod Dominatio Vestra similiter nolebat verba, neque tempus iuvamen; et quod non admirari deberent, si usi fueramus generalibns verbis ex eo, quod nunquam Dominatio Vestra scire poterat causam vel occasionem turbationis Majestatis Regie. Nec ego Zacharias cum domino Jacobo de Priolis, tunc temporis cum eramus in Buda cum Regina, Baronis et Prelatis, poteramus scivisse, quenam essent cause propter quas Clementia Regia provocata esset adversus Dominationem Vestram. Ipse autem dominus Episcopus Jauriensis dixit, quod dominus Rex erat Dominus piissimus et justissimus; et quod absonum esset mundo, quod talis Dominus, nisi ex justissimis et rationabilibus causis se movisset ad guerram; et quod ipsam guerram moverat usus consilio litterarum hominum et personarum perscrutantium conscientiam, et Procerorum et Baronorum suorum; et quod talis modus respondendi, ut erat noster, erat modus prorogandi pacem, et non celeriter veniendi ad illam. Nos autem diximus, quod Dominatio Vestra credebat, et nos quoque credebamus, quod ipse dominus Rex esset justissimus; sed bene poterat esse quod Regie Excellentie poterant esse date informationes non vere. Que si forte per illum putabantur vere, videbatur honestum, quod illas sciemus; quoniam illis cognitis tunc per nos daretur talis informatio, quod Regalis Majestas haberet merito contentari. His auditis dixerunt, se omnino dicta per nos significaturos domino Regi, relaturos postea Vobis responsionem domini Regis. Die Mercurij XV. Junij fuimus bono mane cum dominis Ambasiatoribus Florentinorum, qui dixerunt modum et ordinem observatum per eos pro bono pacis nostre; concludentes, quod dominus Rex fecerat eis talem responsionem, quod per illam potius sperabant de guerra quam de pace; et quod ipso domino Rege dimittente in arbitrio predictorum standi vel redeundi, et ipsis Ambasiatoribus relaxantibus domino Regi, quod facerent, quid in hoc placeret Majestati Sue, ipse Dominus Rex fecerat

illis dici, quod dum essemus venturi, volebat quod ipsi Ambasiatores tanquam boni amici sui manerent et expectarent adventum nostrum, ut possent esse in tractatibus pacis tanquam amici sui; subjungentes, quod die precedenti de sero per Saracenum dictum eis fuerat pro parte domini Regis, quod volebat, quod ipsi forent presentes in omnibus tractatibus fiendis inter ipsum et nos. De quo multum fuimus contenti, quia invenimus ipsos optime dispositos, et de ipsis possumus nos plenissime laudare. Sicque de Ambasiatoribus Apostolicis, et similiter de Magistro Urbano, qui Marta (igy) est. Expedicti ab ipsis dominis Ambasiatoribus fuimus cum domino Duce Karolo, et alijs Auditoribus predictis. Ex quibus dominus Episcopus Jauriensis dixit, quod volebat dicere certa ex parte domini sui Regis; sed antequam ad illa veniet, volebat proferre, quod dominus Dux Karolus erat dispositus facere quicquid posset pro bono pacis, et quod consimiliter alij Auditores, et ipse dispositus erat. Ad alia responderi faciebat dominus Rex, quod desiderabat pacem, et illam volebat, sic quod credebat, quod inclinaremus ad pacem. Sed quia intellexerat, quod dictum fuerat per aliquos Venetos, quod nos vocati a Rege venissemus, et non sponte; verisimiliter credebat, quod aliam pacem diceremus in ore, et alterum vellemus cum corde; et quod ex hoc poteramus venisse pro temptando ipsum dominum Regem et suos, ut ab eo et suis trahere possemus. Insuper addebat ipse Episcopus parte Regia, quod ipse habebat justissimas causas, quas hic in Buda nobis declarare nolebat, duabus causis; prima erat, ne dicendo ipsas causas, nobis Ambasiatoribus injuriam faceret in domo sua; secunda erat, quia Ambasiatores colligatorum domini Regis non habebant plenum mandatum ipsorum; et quod ex his Rex deliberaverat, velle facere dici causas guerre sue in loco vel locis quam vicinioribus et proximioribus Venetias esse posset per dominum Ducem Karolum fratrem suum, qui esset ibi cum exercitu suo et mandato sufficienti. Insuper dicebant, quod si volebamus alia dicere, dominus Rex videret nos, et mitteret nos sub securo conductu cum ipso Domino Karolo. Nos autem his in effectu respondimus, quod de domino Duce Karolo speramus et tenebamus, in illo esse bonam dispositionem et animum

in interponendo se de pace; quia habueramus sub maxima reverentia et amore illustrissimam Domum Francie, et descendentes ab illa, et notanter primum dominum Karolum, et secundum, et alios; et consimiliter diligebamus ipsum dominum Ducem, quia ab ipsa excellentissima prole processerat; sicque sperabamus de alijs dominis Auditoribus. Ad alia dicta ex parte domini Regis dicebamus, quod Dominatio Vestra amaverat semper et amabat pacem mentalem, cordialem et effectualem, et non vocalem ullatenus; sicque veneramus pro volendo pacem veram et non fictam seu vanam, et cum vero corde et non ore; nec veneramus pro temptando seu trahendo aliqua sub aliqua ficta seu mala intentione, sed solum, pro vera pace. Narrando me Zacharia, modum servatum in Buda de Baronis congregatis in domo Magistri Saraceni; qui fuit, quod nec a dominis Reginis, nec a Baronis scire potuimus causam turbationis Regie, et ordinem de mandato dando dominis Banno Sirimie et Jacobo Ispano, ut tractaretur de pace in Portugruario, nec hoc secutum fuit. Diximus etiam, qualiter Dominatio Vestra miserat Magistrum Ludovicum, ut posset mittere Ambasiatam ad dominum Regem, nec hoc effectum habuerat; et quod postea Dominatio Vestra hortata per aliquos amicos suos, nos miserat, ut continetur in primo articulo commissionis nostre. Addendo, quod postquam nolebant dicere causam turbationis Regie, et illam non possemus a nobis ipsis scire; nec sciebamus, quomodo in tractatu possemus procedere. Sed tamen presupposito, quod tamen non erat, quod Dominatio Vestra dedisset in aliquo causam turbationis domino Regi, quam tamen causam penitus et omnino ignorabatis; parati eramus facere in hoc satisfactionem congruam et condignam. Verum usi omni arte et via quibus possemus, ab illis aliquid trahere de intentione Regia, finaliter nequeuntes aliquid habere, nisi si uolebamus alia dicere, quod venerimus ad presentiam Regiam ad faciendum sibi reverentiam, quia omnino volebat nos licentiare; ne derelinqueretur tractatus, addidimus, quod postquam fueramus in Buda, intellexeramus ab aliquibus verba aliqua super facto salis Pagi; precabamur, ut dignaretur dominus Rex facere explicari, quid esset beneplaciti et intentionis sue Regie super ipso facto

salis. Subjunximus etiam, quod si nobis exprimerentur cause talis turbationis, illas ad nullam injuriam haberemus; videlicet potius ad gratiam et benevolentiam condignam. Credebamus insuper et firmiter tenebamus pro majori honore domini Regis et Regni sui, atque Baronorum (igy) suorum, pro quorum honore, ut sepedictum fuerat, Dominatio Vestra miserat Ambasiatam suam, et ut unaqueque partium justius procederet in tractatu, quod tractatus pacis potius teneretur et esset in Curia domini Regis, quam in partibus alienis. Continuando quod bonum erat, ut exprimerentur cause turbationis Regie, deducentes in exemplum modum servatum in tractatu pacis pacte in Jadra, in quo statim sine difficultate et altercatione aliqua expresse fuerunt cause, quibus expressis statim processum fuit in causa et conclusum in pace. Ipsi autem domini Auditores dixerunt, quod si bona hora et debito tempore voluissemus scivisse causam vel causas turbationis Regie, ille bene fuissent nobis dicte; sed nunc dominus Rex colligatus erat, ac reputabat colligatus in socios, et causam suam intercedebat et miscebat cum causa predictorum. Cum quibus tamen ipse dominus Rex non fecisset ligam, si potuisset cum pedibus equitasse Venetias; sed voluit ligam cum illum, ut possit stringere nos per mare. Ad que respondimus ut pro honore Vestri Dominij, et conservatione jurium vestrorum nobis apparuit convenire. Die vero XVI. Junij in mane, dominus Episcopus Jauriensis venit ad dominum Generalem, et perscrutatus est ab illo, si sentiebat, quod Dominatio Vestra haberet ligam cum domina Regina Neapolis; ipse autem dominus Generalis dixit, se nescire. Tunc dictus dominus Episcopus rogavit, quod sentiret a nobis, quid esset de hoc. Nos autem fecimus dici per dominum Generalem, quod tractatus fuerat de dicta liga, et quod illa stabat in arbitrio Dominationis Vestre. Equidem hec fecimus dici, secretissime esse habita a nobis per ipsum dominum Generalem, pro bono agendorum commissorum nobis. Insuper dicta die Jovis XVI. habuimus articulos subscriptos in his litteris a Reverendissimo domino Generali, quos dicit habuisse a duobus ex minoribus Consilij domini Regis, et quos bene unde venerint arbitramur.

Super ipsis autem articulis dicta die fuimus cum do-

mino Duce Karolo, et cum alijs Auditoribus, addito illis hodie domino Suder Peter, qui est de majoribus; et cum pertinentibus demonstrativis et necessariis racionibus, tam secundum formam pacis, quam secundum Jus Commune, et secundum equitatem, sustinuimus et defendimus jura vestra, adeo et taliter, quod ipsi proprij Auditores dixerunt nescire respondere ad ipsas rationes per nos propositas in premissis articulis. Addentes, quod Vngari erant grossi et rudes homines, nec actendebant ad talia, nec per modum disputationum in pace concludient; nam de talibus non curabant, quoniam arma et defensiones sue erant enses et arcus. Tamen dicebant, quod dicta per nos significarent domino suo Regi. Videntibus autem nobis, quod tales nostre responsiones predictis Auditoribus non placebant, et quod clare cernebamus, quod intentio eorum erat, ipsum tractatum pacis mittere ad partes Italie, ut alias nobis dixerunt; et quia per talem remissionem omnino nobis videbatur, quod ad pacem in illis partibus rationabiliter concludi non posset propter multas rationes et causas, quas eisdem allegavimus pro tenendo tractatum pacis hic; venimus ad istas conclusiones, quod de facto salis eramus contenti, quod adhiberetur et teneretur aliquis bonus modus, per quem dominus Rex haberet merito contentari. Ac etiam de facto Domini Paduani eramus contenti, quod adhiberetur modus, per quem Regalis Majestas haberet similiter merito contentari. Qui nobis responderunt, quod predicta referent domino Regi, et postea in ipsis nobis responsionem darent. Vnde his consideratis parvam spem de pace gerimus, et notanter ex hoc, quod Januenses et Paduani sub omni arte disturbant pacem, et expressa voce ipsam nolle dicunt; et maxime ipsi Paduani, qui hic in Curia Regia alijs prevalent. Scriptis enim omnibus supradictis, hodierna die XVII. Junij fuimus ducti per duos Notarios domini Regis ad palatium ipsius, ut deberemus accedere ad conspectum Regium. Ubi dum essemus in anticamera cum aliquibus Baronis; antequam intravimus ad conspectum Regium, dominus Episcopus Jauriensis, unus ex Auditoribus nobis datis, presentibus domino Karolo et domino Jacobo Ispano dixit, quod dominus Rex deliberaverat cum Consilio suo, velle quod tractatus pacis hujusmodi non fieret hic, sed

ad partes illas prope Venetias. Quibus respondimus, quod tam pro majori honore suo, quam etiam pro meliore conclusione pacis videbatur nobis, quod tractatus dicte pacis fieret hic; quia colligati magis timerent hic injusta et enormia petere quam alibi, propter reverentiam Regiam; et si aliqua enormia et injusta peterent, reformarentur et reducerentur ad petitiones juridicas et honestas per ipsum dominum Regem quod ita omnino fieri non posset, si alibi dictus tractatus pacis fieret; imo clare cognoscebamus, alibi quam hic in pacis tractatu predicto concludi non posse suprascriptis rationibus et causis; Et si aliqui colligatorum non habebant plenum mandatum ad hoc, poterant mittere pro eo; nam eramus contenti hic expectare, et interim tractare negocium, ut reduceretur ad aliquam bonam conclusionem. Tamen non obstantibus predictis rationibus et alijs dictis per nos concluserunt, quod omnino ita deliberatum erat per Consilium Regium. Et dum his dictis per illum et nos expectavimus cum multis ex Baronis in anticamera predicta, vocati fuimus in conspectu Regio, sibique facta omni humana reverentia, ut placari posset, exposuimus Ambasiatam, ut nobis injunctum fuit in primo articulo commissionis nostre, etiam illam ornantes cum verbis dignis, placabilibus et decentibus honorem Regium et Vestrum. Ipsaque Ambasiata nostra attentissime audita per ipsum Regem, dominus Episcopus Jauriensis supradictus, qui videtur inter alios in loquendo solus et principalis, dixit in conspectu domini Regis et omnium suorum Baronorum, quod Dominus suus, dominus Rex deliberaverat cum Consilio suo mittere ad partes Italie dominum Ducem Karolum cum pleno et sufficienti mandato super ipsa pace tractanda, et fulcitum pro guerra et pro pace; et quod etiam ordinaret, quod omnes colligati mitterent illuc mandatum ad plenum pro pace; et quod quantum erat in ipso Rege, dum in ipsa pace conservaretur jus et honor Regius et suorum colligatorum, volebat ipsam pacem. Vnde ex deliberatione tali dominus Rex dicebat, quod poteramus recedere pro nostro libito, et poteramus secure per terras et loca sua redire Venetias. Sicque ab ipso domino Rege omnino licenciati recessimus; informati enim fuimus a personis fidedignis, quod Januenses et Paduani informaverunt do-

minum Regem et Consilium totum, et omnes Barones et alios dicti Regni, quod volunt posse seperari et eici de liga domini Regis, si usque per totum mensem Septembris non tradent Civitatem Venetiarum liberam sub dominio ipsius Regis, sub informatione, quod Dominatio Vestra deducta sit ad tale exterminium, quod non habeatis pecuniam, gentes, victualia, et alia indigencia et expediencia ad victum. Nos autem videntes, aliud onnino obtinere non posse, et quod ipsa deliberatio omnino facta est per ipsum dominum Regem et suum Consilium, et quod ab ipso domino Rege omnino licenciati fuimus; non valentes aliud facere, deliberavimus hinc recedere, quam cito poterimus, procurando omnem securitatem quam poterimus personarum nostrarum; licet clare cernamus, quod venimus huc cum maximo periculo, et cum majori revertemur; ignorantes adhuc viam, per quam redituri sumus. Notificamus insuper Dominationi Vestre, quod illi, qui venturi sunt pro pace. et habituri mandatum pro tractando illam in partibus Tervisinis, sunt, ut habuimus a domino Jacobo Ispano, dominus Karolus de la Pace; ipse dominus Jacobus; ibi debent esse dominus Episcopus Quinque-Ecclesiarum, dominus Banus Serimie, et dominus Banus antedictus; et debent esse in fine mensis Julij vel circa kalendas Augusti in illis partibus. Item denotamus, quod dominus Rex ponit damnum suum esse de CCC mille florenis pro subventione data per illum Domino Padue in guerra, quam habuit Vobiscum; non incluso in predicta summa damno, quod secutum esse dicit de XXX mille equis mortuis in exercitu Regio. Ponit etiam dictus dominus Rex damnum suum esse de CCCC mille florenis pro expensis, quas dicit fecisse in presenti guerra, et de sale suo Pagi, et de mercationibus suorum, qui non potuerunt transire per portus vestros, non computatis injurijs in his summis.

Die Jovis nono mensis Junij dominus Dux Leupoldus recessit de Buda a domino Rege pro redeundo Viennam. Et inter alia que dicuntur fuisse causa vie sue dicitur, quod hec etiam causa fuit, quia dominus Rex, dum voluerit, quod filia sua cum filio domini Ducis Leupoldi redeat in Vngariam, ipse dominus Dux Leupoldus hoc nullatenus voluit.

Infrascripti sunt articuli, de quibus super fit mentio, porrecti per dominum Generalem :

In primis : Quod in facto guerre mote contra Dominum Padue non fuit servata forma pacis in eo, quod Veneti noluerunt, quod Dominus Papa de illa causa cognosceret.

Item : Quod dominus Rex Vngarie in juvando ipsum Dominum Padue magnam quantitatem expendit, et sui magna damna sustinuerunt.

Item : Quod predictus Dominus Padue ex dicta guerra magna damna passus est.

Item : Quod dominus Rex in magna damna incurrit ex eo, quod sal suum Pagi Veneti non permisserunt portari et transire per portus suos.

Item petit damna illata suis subditis de Catharo et Sibenico in partibus Sclavonie.

Item petit expensas, quas fecit in presenti guerra.

Item allegat injurias irrogatas sibi in responsionibus factis per Venetos Ambasiatoribus suis.

Data Bude XVII. Junij hora noctis quarta secunde Indictionis. Credatur his que scripta sunt in hac breve, quia vera sunt; et non credatur alteri brevi, nec littere bombicine date et misse sub ostentatione et cautella celandi presens breve.

Replicata die XVIII. Junij hora sexta noctis.

9) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Licenciati per modum, quo omnia et singula in tractatibus acta plena scripsimus Dominationi Vestre per duos cursores proprios, diligentissime intendimus ad faciendum, quod tractatus pacis et conclusio ipsius esset et fieret hic, rationibus multis, tam apud dominam Reginam seniorem et juniorem, quam omnes alios, quos judicavimus posse proficere in hoc facto. Sicque ex studio et diligentia in hoc habita dominus Rex die XX., ut sensimus, de Visegrado, ubi erat, scripsit, quod contentus erat, quod ipse tractatus pacis, et ipsa pax tractaretur et fieret hic; tractando et disponendo istam pacem cum Baronis suis pro ipso domino Rege, et cum alijs colligatis suis, habentibus mandatum

ad hoc; cum alijs autem non habentibus mandatum ordinando, quod mitterent pro mandato, et quod interim discutietur negocium, donec eorum mandatum veniret. Sed intercedente solerti studio et fallacia Paduanorum, et procuratione Januensium secutum est, quod heri die Martis XXI. de mane vocati per dominum Ducem Karolum fuimus cum illo, qui pro parte domini Regis licenciavit nos, et monstravit nobis litteram unam missam sibi a domino Rege, in qua vidimus continerj, quod modus melior erat, quod reverteremur ad propria, et quod licentiaret nos; causam autem ipsius licentie ipse dominus Rex, per se ipsum, illi diceret. Nos autem mirati de revocatione tali et tam subita, investigantes causam, aliam considerare nec intelligere non possimus, nisi quod intellexivimus, per Dominum Padue scriptam esse singularissimam litteram Januensibus, quam die XX. heri tarde habuerunt, et per quam scribitur, CL lanceas domini Ducis Karoli applicuisse ad partes illas; et quod procuretur per ipsos Januenses, quod gens domini Regis descensura, quam citius esse potest, vadat et sit in illis partibus, quomodo ipse Dominus Padue preperaverat ducentas ganzarolas et multas platas, cum hac intentione, quod applicatis gentibus domini Regis, et adventibus galeis Januensium, et appropinquantibus littori vestro cum ipsis galeis, et apparatu suo, et gente armigera domini Regis, sperant habere Clugiam, ut ipsa sit bastita et obsidio terre vestre; dicentes, quod de dicta gente etiam ponerentur in litore vestro, et sperabant habere Civitatem Veneciarum per modos suprascriptos. Equidem ista, ut habemus, significamus Dominationi Vestre pro informatione sua; nec alia in hoc dicere possumus, nisi quod nos bene scivimus, Magnum Comitem et Suder Peter et multos alios Baronos, ultra illos quos pridie scripsimus Vestro Dominio, venturos esse cum mille lanceis, quas mille lanceas quidem venire debere verisimiliter judicamus propter ipsos plures Barones venturos. Aliqui etiam nobis dixerunt, quod iste lancee iture erant cum ipso domino Karolo et Baronis in Apuliam, quid tamen non credimus. Et cum recessuri sumus de hinc, et ituri Viennam, ut provideamus de via nostra, quam non ignoramus periculosam et formidabilem esse personis nostris; postquam vidjmus, quod

dominus Rex noluit quod pax tractetur et fiat hic, cum cessisset ad majorem honorem suum, et justius et melius conclusum esset in ipsa pace hic quam alibi, rationibus multis dictis per nos; opinamur judicio nostro, quod dominus Rex voluerit tractatum ipsius pacis remitti ad partes illas non sub effectu pacis, sed ut sibi spe tractatus ipsius producat tempus, in quo assequatur et habeat intentionem suam secundum informationem sibi datam de habendo Venecias, et ut non provideatis vobis. Insuper intelleximus, quod gentes de quibus supra fit mentio, in kalendis Augusti in illis partibus esse debent. His scriptis, dum paravimus nos ad recessum, Reverendissimus pater dominus Generalis dixit nobis, quod dominus Rex miserat sibi dicendo per Ministrum istius Provincie, quod deberet nos invitare et nobis significare, quod statuerat diem et locum, in quibus pax tractari deberet; videlicet, in kalendis Augusti, et loco Sacili, in quo loco dominus Karolus cum Baronis suis haberet plenum mandatum et plenam potestatem tractandi et concludendi in pace; et quod ordinatum erat, quod ibi essent etiam sindici colligatorum cum pleno mandato. Alia etiam nobis dixit dictus Generalis sibi notificata fuisse parte domini Regis, de via quam ipsum facere et tenere volebat, de quo non dubitamus, quod ipse dominus Generalis per suas litteras ad plenum informabit Dominationem Vestram. Bude XXII. Junij hora sexta noctis.

10) A velenczei dogének a követek.

Replicata fuit precedeus littera cum ista addictione die XXVII. Junij hora quarta noctis in Oresvar. Post premissa die Veneris XXVIIII. mensis presentis, quo recessimus de Buda, habuimus a persona fidedignissima, nota domino Jacobo de Priolis et michi Zacharie, informata de condicionibus Dalmatie, quam quidem personam reperimus semper dixisse verum in alijs preteritis : quod ex crudelitatibus perpetratis per gentes vestras in dictis partibus, et specialiter in Chataro et Sibinico, provocate sunt omnes gentes dictarum partium contra Dominationem Vestram. Hec equidem dixit, quia ubi primo ante novitates sibi factas invite et difficiliter moti essent ad damnum vestrum, nunc indignati et provocati, ut dicitur,

dispositi sunt ad omnem damnum vestrum, et notanter proposuerunt armare septem ex corporibus galearum vestrarum de gentibus ipsarum partium. Insuper adjecit dicta persona, quod per Paduanos et Januenses data est intentio domino Regi, et credunt istam intentionem sic deducere ad effectum, quod jam conceperunt facere in Insula Sancti Marci fortiliciam quamdam, et in Kanarregio castrum quiddam, et viam per quam de Kanarregio possit iri in terram firmam, et de terra firma rediri. Insuper habuimus a domino Generali, quod ad instantias et preces domine Regine senioris dominus Rex congregavit Consilium suum in Visegrado, in quo fuerunt Januenses et Paduani; a quibus auditis his que dicere voluerunt, exeuntibus de Consilio, dominus Rex fecit legi instrumenta et litteras lige, per quorum continentiam Prelati et Baroni concordaverunt in hoc, quod ubi pax placeret Regi, colligati omnes stare debebant dicte paci. Et tamen dominus Rex stetit in proposito primo, volendi quod pax tractetur et fiat in Sacilo per modum suprascriptum. Equidem premissa, sicut habuimus, notificamus Dominationi Vestre; declarantes quod licet domine Regine, Prelati et Baroni videantur esse dispositi ad pacem, tamen quotidie per ea que videmus et scivimus, Paduani et Januenses faciunt de Rege quicquid volunt, propter amplas et largas informationes et spes sibi datas per predictos. Et enim sumus in quodam loco nominato Oresvar, qui locus est circa confinia Regni Vngarie distans a confinibus dominorum Ducum Austrie per miliaria XV Latina, et a Vienna per miliaria LV; ubi proposuimus expectare securum conductum dominorum Ducum Austrie, pro quo misimus providum virum Desideratum Notarium vestrum ad dictos dominos, ipso autem conductu habito prosequimur viam nostram versus Viennam, et deinde versus Venetias quam celerius et cum majori securita nostra poterimus. Data in Oresvar XXVII. Junij hora quarta noctis.

11) A velenczei dogének a követek.

Replicata fuit suprascripta addictio in Vienna cum hac cauda : Die Mercurij penultimo Junij habito conductu et scorta a dominis Ducibus, recessimus de dicto loco Oresvar, et

prosequentes viam nostram, intravimus Viennam die Jovis ultimi dicti mensis. Die autem sequenti primo Julij fuimus ad conspectum dominorum Ducum, et premissis verbis amicabilibus et benevolis, referendo dignas gratias dictis dominis de scorta nobis missa, requisivimus ab eis alteram scortam et securum conductum, cum quibus secure possemus venire usque Venzonum. Ipsi autem domini Duces benigne responderunt, se daturos nobis scortam et securum conductum predictos; quibus habitis speramus die Lune IIII. mensis de Vienna recedere, et per viam rectam, observatam per nos in veniendo, redibimus Deo nobis previo. Sensimus statim, cum fuimus in Vienna, fuisse per dominum Ducem Albertum ad partes Tervisane lanceas centum, que etiam, ut intelleximus ab illis de Curia Ducum, servire debent domino Regi in partibus illis per duos menses, de quibus habuerunt pagam, et denuo tercio mense propter moram quam traxerunt in eundo et redeundo. Sentimus etiam quod hodierna die per similem modum, condictionem et tempus, recesserunt lancee centum domini Ducis Leupoldi profecture similiter ad partes illas. Significamus Dominationi Vestre, quod in eundo Budam duximus nobiscum providum virum ser Desideratum Notarium vestrum, et ipsum retinuimus usque in presentem diem, ut informatus de omnibus in his, que possent spectare pro bono pacis, secundum injuncta sibi possit informare dominum Regem Romanorum; maxime si requisitus fuerit ab eo, in quo termino remanserunt facta pacis. Vienne secundo Julij hora tercia noctis.

(A »Classis X. Latinus Codex CCXCIX. sz. a.« kézirati Codexből, a velenczei Marciana könyvtárban.)

142.

Venczel római és cseh, s I. Lajos magyar és lengyel királyok ünnepélyesen elismerik VI. Orbánt törvényesen választott pápának. 1279.

Nos Wenceslaus Dei gracia Romanorum Rex Semper Augustus et Boemie Rex, ac Lodouicus eadem gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Rex notum facimus vniuersis presentes litteras inspecturis, quod nos attendentes intimi amoris

fragranciam, et pure mentis affectum, quibus vicissim vinculo consanguineitatis et fraternali vnione coniuncti sumus, non immerito ad hoc invitamur, vt inter nos vtrobique, sicut hucusque viguit, peramplius vigeat efficax amor et vnio indissolubilis caritatis. Et quia Diuina annuente gracia Sanctissimum in Christo Patrem et Dominum, dominum Vrbanum Papam Sextum verum et legitimum Apostolicum et Sancte Romane ac Vniuersalis Ecclesie Summum Pontificem confirmatum et canonice coronatum, postergato quouis hesitecionis scrupulo cognouimus et cognoscimus esse, et presentibus confitemur : ideo animo bono et maturo, prehabito insimul consilio, et certi nostra scienia, absque fraude et dolo, spondemus in alterutrum firmiter promittentes, memoratum dominum Vrbanum, sicut hucusque fecimus, sic et in futurum, et donec nobis comes fuerit vita, cum omnibus Regnis, Principatibus, Dominiis, et quibuslibet terris, Clero et Populis nostris, pro vero et legitimo Papa, atque Vniuersalis Ecclesie vero et Summo Pontifice, sicut Christianissimi Principes cognoscere, habere et reuereri, ac in omnibus licitis affectu filiali obedire; nostrosque Clerum et Populos facere eidem et successoribus suis cononice eligendis per Collegium Cardinalium creatorum per ipsum dominum Vrbanum, obtemperare reuerenter; et illud idem nostris heredibus et successoribus, ac Regnis, Principatibus, Dominiis, et quibuslibet terris, Clero et Populis nostris commisimus, et presencium patrocinio committimus firmiter, et absque omni dubio faciendum. Immo volumus contra Gibertum Gebennensem Antipapam et schismaticum, et suum Collegium esse, et eisdem contrariari iuxta posse; eciam vniuersos Principes, et alterius status homines, cuiuscunque dignitatis seu preeminencie existant, qui de vero et legitimo charactere eiusdem Domini, domini nostri Pape Vrbani dubitarent quouis modo, omnibus viis et modis quibus melius et decencius valemus, exhortari, inducere et allicere, vt dimissis et relegatis quibuslibet erroribus de domino Vrbano et eius canonica creacione conceptis, se Sue Sanctitati humiliter inclinent, et ad ipsius domini Vrbani Pape verissimam obedienciam et communionem filialem redeant et reuertantur, presencium sub Nostre Wenceslai Romanorum et Boemie Regis

Maiestatis sigilli, et Nostre Lodouici Regis Hungarie predicti similiter Maiestatis sigilli appensione, testimonio litterarum. Datum Solii in Regno Hungarie etc.

(Közlemény egy XV. századi kézirati codexből, a milánoi Ambrogiana könyvtárban.)

143.

Békealkudozások I. Lajos magyar és lengyel király és szövetségesei, s a velenczei köztársaság közt. 1379.

1) Károly durazzoi herczegnek Morosini Miklós, Contarini Zakár és Gradonigo János velenczei követek.

Illustri domino Karolo Duci Durachij.

Illustris Princeps et Excelse Domine. Notifficamus Excellentie Vestre, nos hodie die quinto hujus hora decima diei applicuisse Sacilum propter ordinem datum per Serenissimum et Excellentissimum dominum Regem Vngarie. Vnde Excellencia Vestra dignetur de personis nostris ordinare pro libito voluntatis, semper paratis ad quecunque Excellentie Vestre beneplacita et honores. Sacili quinto Augusti hora XII. diei.

Replicata die VIIII. Augusti Sacili cum mutatione et mentione de his litteris.

2) A velenczei dogének a követek.

Dominio.

Serenissime et Excellentissime Domine noster. Prosequentes viam nostram secundum mandatum Excellentie Vestre heri quinto presentis mensis hora decima diei applicuimus Sacilum, ubi invenimus dominum Benedictum Banum, qui paulo ante nos venerat. Invenimus etiam dominum Jacobum Ispanum, Ambaxiatores Januensium qui erant Bude ante nos, et Michaelem de Rabato familiarem Domini Padue; qui huc venerunt die tertio hujus. Predictos autem dominum Benedictum Banum et Jacobum Ispanum visitavimus cum illis amicabilibus et honorabilibus verbis, que prodesse credidimus factis vestris; et breviter volentes investigare a predicto do-

mino Jacobo de domino Karolo, hoc ab eo sensimus, quod erat decimus septimus dies ab hesterno, quo ipse dominus Jacobus recesserat de Buda a domino Rege, et quod ipse dominus Karolus recesserat una die aute eum. Verum sciebat, quod dictum dominum Karolum opportuisset retardasse viam suam ad minus diebus sex in Caprontia ad expectandum Episcopum Jauriensem, qui esse debebat et conjungi secum in dicto loco; et hanc putabat fuisse causam more sue. Voluimus etiam sentire ab ipso domino Jacobo de loco ubi putabat hoc parlamentum fieri debere; qui nobis dixit, quod sciebat et hoc per litteras Regias nobis monstrare poterat, quod intentio Regis erat, quod parlamentum fieret hic, vel in partibus Tervisane; sed tamen non poterat terminate dicere, quis locus determinaretur per suprascriptum dominum Karolum, in cujus arbitrio et potestate erat. Habuimus insuper a domino Jacobo predicto, quod equitare debebat ad campum cum domino Benedicto, et cum gente, que modo nuper descendit. Que gens esse potest in totum egni VI^{C}; et quod Januenses ibant Paduam cum Michaele de Rabato, licet a certo per alios sentiamus, quod ipse etiam vadit Paduam cum predictis; causam tamen minime sentire potuimus. Et sic hodie de mane omnes suprascripti de hoc loco recesserunt, ubi soli remansimus expectantes adventum domini Karoli suprascripti; cui immediate cum hic fuimus, per litteras nostras notificavimus nos hic esse. Sicut Dominatio Vestra novit, ordinate fuerunt tres littere; una domino Karolo honorabilis, quantum decens erat; una domino Jahanni de Liethstienum Magistro Curie propter causam Dominio Vestro notam; et tertia Domino Spilimbergi; quas non habuimus. Putabamus utile fore, quod dictas litteras Dominatio Vestra nobis transmitteret quam celerius esse posset. Sensimus hic, per Ambasiatores Januensium affirmatum esse, quod galee Januensium non se presentabunt nec ad portum nostrum, neque ad Mathemaucum; sed quod ibunt directe Clugiam cum multis navigiis parvis que habent; et quod Dominus Padue etiam veniet per buchas fluminum; et quod habent artificia, cum quibus ponent inextinguibilem ignem in quolibet ligno. Que cum habuimus, Vestro Dominio facimus manifesta scriptis presentibus.

Fuit ad nos Gregorius pro parte domini Benedicti et domini Jacobi, dicens quod illi domini, ignorantes terminum adventus domini Karoli, consulebant, quod pro honore Dominationis Vestre deberemus expectare usque diem Lune, et postea redire Tarvisium, usque quo sciretur quando esset hic prope, quod nobis notum facerent; et quod volebant scire intentionem nostram. Ad quod respondimus, quod deliberaveramus expectare usque diem Lune, et quod postea notificaremus eis intentionem nostram. Sentimus etiam aliunde, quod intentio domini Regis erat, quod si pax sequetur, quod omnes iste gentes transeant in Apuliam cum domino Karolo; quando autem hoc non esset, dominus Karolus ibit cum modicis gentibus, videlicet cum comitiva sua; et quod iste alie gentes intendunt facere bastitas super Silecem, et unam ante Tarvisium ad obsidionem ejus, et stare tota ista yeme. Que Dominio Vestro nota facimus, ut provideant tam de personis nostris, quam de factis suis. Sacili VII. Augusti hora tercia diei.

3) A velenczei dogének a követek.

Excellentissime Domine noster. Litteras Vestre Serenitatis datas sexto mensis presentis, in quibus principaliter continetur vana apparentia facta per hostes Dominationis Vestre supra portum Sancti Nicolai et in partibus Mathemauci, hodie hora XXIII. recepimus, maxime gaudentes de contentis in illis. Nam cognoscimus dexteram Dei potentissimam ad reprimendam ipsorum superbiam, et ad prestandam Dominationi Vestre amplam potentiam ad resistendum proposito suo, etiam si ostentationem voluissent vel vellent in actum producere. Supplicamus humiliter Creatori nostro, ut justitiam Vestre Serenitatis foveat et conservet. Litteras alligatas nostris, quam citius et quam magis caute et secrete poterimus, transmittemus secundum mandatum Dominationis Vestre. Sensimus, quod hodie dominus Karolus debet pernoctare in Goricia, et quod cras erit in Utino, et ut ibi dicitur, debet ibi esse parlamentum; que ut sentimus, Vestro Dominio denotamus; licet ab illis duobus Baronibus habuerimus, prout Dominio Vestro scripsimus de parlamento predicto. Dominus Achus, qui erat Capitaneus Vngarorum in Istria, cum gente sua vadit ad

campum in Tervisanam. Sentimus etiam, quod gentes dominorum Ducum recedunt de partibus Istrie, et quod dum mitterent caretas suas apud Mocho, gentes dicti loci illas omnes habuerunt. Sacili VII. Augusti hora tercia noctis.

4) Lichtenstein János, Albert ausztriai herczeg udvarmesterének, a velenczei követek.

Domino Johanni Liethstani Magistro Curie domiui Ducis Alberti.

Egregie et Magnifice Domine. Coegit nos sincera dilectio, quam ad Dominationem nostrum Magnificentia Vestra gerit, in relatione actorum per nos specialem mentionem facere de honoribus nobis per Vestram Nobilitatem impensis, et operibus, que egit Vestra Nobilitas, et agere non gravatur in augmentatione honoris et status nostre Dominationis; que tanta caritate peracta sunt, ac si ex nostra patria Nobilitas Vestra traxisset originem. Vnde Dominatio nostra jam tenens memoria sibi significata per Egregios viros dominum Leonem Dandulo Militem, et Petrum Cornario Procuratorem Sancti Marci, disposuit mentibus suis, vos semper habere in amicum singularissimum, et specialem suum procuratorem intentionum suarum, salvo semper honore Illustris domini Ducis, Domini Vestri, omnibus preponendo. Mittens non in premium, nec in remunerationem, que quantumcunque magna foret, quanta non est, tamen non posset esse sufficiens, florenos V^{C} per discretum virum Matheum latorem presentium, quos in signum dilectionis placeat acceptare. Verum, Magnifice Domine, notum facimus Vestre Magnificencie, quod ante nostrum recessum a patria predicta, Dominatio nostra mandaverat scribi vobis amicabiles et fraternales litteras, que propter inopinatum et subitum nostrum recessum tradite fuerunt oblivioni per nos; sicut predictus Matheus referre Magnificencie Vestre posset vive voce. Nam statuta fuerat dies nostri recessus, sed supervenientibus aliquibus litteris de partibus Forojulij de adventu domini Karoli ad dictas partes, qui tamen verus non fuit, Domiatio nostra immediate voluit nos iter arripere; de quo placeat habere ipsam Dominationem et nos merito excusatos. Cujus Dominationis agenda dignemini cum honore Illustris

domini Ducis Alberti et vestro habere intriusicus recommissa, et nos cives suos et singulares amicos Vestre Magnificencie. Ad cujus honores semper sumus ex debito nostro prompta mente dispositi. Sacili VIII. Augusti.

5) Spilenbergi Bertoldnak a velenczei követek.

Domino Bertoldo, Domino Spilimbergi.

Magnifice Domine, amice carissime. Heri recepimus litteras Dominationis nostre nova aliqua de nostris hostibus continentes, de quibus ut Vestra Magnificencia, cui non dubitamus valde placebunt, hanc plenam noticiam informavimus providum virum Matheum latorem presentium, qui ipsa viva voce refert. Verum quia ipsa Dominatio nostra nobis misit unam litteram, que dirigitur domino Saraceno Dandulo Potestati et Capitaneo Tergesti, mandans ut illam sibi mitteremus; et nos male habeamus ad quem recurrere, nisi ad Vestram Magnificenciam, in quam habemus confidentiam singularem; disposuimus mittere eidem per dictum Matheum litteram suprascriptam cum ducatis sex, ut melius possit Vestra Nobilitas invenire nuntium confidentem. Rogantes, quod intuitu Dominationis nostre placeat tenere modum, quod dicta littera veniat ad manus dicti Potestatis et Capitanei Tergesti, quid dicte Dominationi gratissimum erit, et nobis ad queque beneplacita et honores vestros sincera mente dispositis. Sacili VIII. Augusti.

6) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Heri octavo hujus hora XX. recepimus litteras Excellentie Vestre datas septimo responsales ad nostras, quas Dominio Vestro misimus die VI.; notificantes Dominationi Vestre, quod quia non habuimus responsionem a domino Karolo, qui dicitur heri applicuisse Utinum, ad litteras quas sibi misimus, nuntias nostri adventus ad has partes; deliberavimus hodie, per proprium Nuntium eidem iterato scribere, et expectare responsionem suam. Et sic feciumus, secundum quam procedere intendimus in factis Dominationis Vestre, quam speramus habere die crastina.

Gentes, que hucusque transiverunt ad partes Tervisanas, possunt esse, computatis lanceis CXX domini Achus, equi circa MC. Affirmatur etiam novum de damno illato gentibus Ducis Leupoldi in partibus Istrie existentibus; et dicitur, quod plures notabiles mortui sunt, et quod perdiderunt valorem II mille marcharum, et rediderunt ad partes. Sacili nono Augusti.

7) Károly durazzoi herczegnek a velenczei követek.

Domino Karolo de Durachio.

Princeps Illustris et Excelse Domine. Excellentie Vestre litteras datas Utini die X. mensis instantis responsivas ad nostras super dispositione personarum nostrarum pro factis tractatus pacis, heri XI. dicti mensis recepimus. Quibus plenissime intellectis, Excellentie Vestre presentibus respondemus, quod consideratis his, que in dictis vestris litteris continentur, deliberavimus immediate reducere nos ad locum nostro Serravalis, ad quem concedente Domino ibimus die crastina summo mane, habita scorta alias requisita per nos. Nam citius ire non potuimus propter defectum scorte predicte, quam habere minime potuimus. Supplicantes Excellentie Vestre, ut cum applicuerint illi, qui debent interesse tractatui, et cum erunt disposita ea que sunt necessaria dicto tractatui, nobis notificare dignemini per litteras Excellentie Vestre; nam parati erimus omni tempore ordinationem dicte Vestre Excellentie integraliter observare. Sacili XII. Augusti de sero.

8) Benedek azelőtt bán, most magyar főparancsnoknak a velenczei követek.

Domino Benedicto quondam Bano etc.

Magnifice et potens Domine. Recepimus litteras ab Excelso domino Karolo de Durachio continentes in effectu: qnod expectabat adventum domini Magni Comitis Palatini, et domini Zudor Petri Bani Sclavonie, sine quibus, et presentia colligatorum domini Regis, vel procuratorum suorum, nullam audientiam nobis daret; et quod propterea videbatur ei, quod deberemus nos reducere ad unum locorum nostrorum vicinum his partibus, usque adventum predictorum. Quibus litteris in-

tellectis, immediate deliberavimus velle nos reducere ad locum nostrum Seravallis, et requiri fecimus Vngaros hic existentes, quatenus vigore litterarum Magnificencie Vestre nobis scortam facerent usque ad locum predictum. Qui recusarunt illam velle facere; dicentes, quod hoc non habebant in mandatis a Magnificencia Vestra. Nos vero his intellectis requiri fecimus modo simili dominum Achus, rogantes eundem nostris litteris, ut sibi placeret dare nobis de gentibus suis, nostris sumptibus, pro securo conductu nostro ad locum predictum; qui dicens ad hoc non fuisse deputatum nec aliquam auctoritatem habere, nobis scortam facere recusavit. Vnde volentes adimplere quid dictum est de reducendo nos ad locum predictum, sicut jam scripsimus Illustri domino Karolo predicto, ad Magnificentiam Vestram recurrimus, rogantes eandem, quatenus vobis placeat mittere nobis a XXV usque XXX de Vngaris vestris, qui sint hic quam celerius esse poterit. Nam eis bene providebimus, ita quod erunt bene contenti, ut possimus accedere ad locum predictum. Preterea rogamus Magnificentiam Vestram instanter, quatenus propter multos casus, qui occurrere possunt pendentibus his tractatibus, in quibus oportet nos ire et mittere Nuntios cum litteris, non possemus sine scorta hoc facere, et Nuntij nostri dubie vadunt, nisi habeant aliquem Vngarum secum, et non possumus continue mittere ad Magnificentiam Vestram et ad eam recurrere; fieri facere velitis nobis unam litteram, per quam Vngari, qui hic et alibi sint vestro nomine, nobis dare debeant, cum requisiti per nos fuerint, scortam sufficientem unum vel plures qui vadant cum Nuncijs nostris. Quibus semper providebimus, ita quod erunt bene contenti. Sacili XIII. Augusti.

9) Károly durazzoi herczegnek a velenczei követek.

Domino Karolo.

Illustris Princeps. Per litteras nostras heri hic datas scripsimus Excellentie Vestre, quod habita scorta jam requisita per nos, hodie summo mane reduceremus nos ad locum Seravallis. Nunc autem eidem Excellentie denotamus, quod isti Vngari, qui hic sunt requisiti per nos de faciendo nobis scor-

tam, illam facere recurarunt; dicentes, quod hoc non habebant in mandatis a Magnifico domino Benedicto Capitaneo suo. Similiter requiri fecimus dominum Achus, qui dicens ad hoc non fuisse deputatum, scortam noluit nunquam dare. Requiri etiam fecimus Capitaneum hujus loci, qui nobis dici fecit, quod si vellemus ire Utinum, nobis bene scortam faceret, cum hoc habeat in mandatis a domino Patriarcha; ad alia autem loca minime, quia hoc facere non posset cum honore suo. Propter quid tardavimus viam nostram, scribentes immediate predicta domino Benedicto; et rogantes, ut illam scortam nobis daret, ut possemus ire ad locum nostrum predictum; cujus responsionem expectabimus. Predicta autem Excellentie Vestre nota facimus, ut ipsa sentiat, que per nos acta sunt, et quod ordinet sicut eidem videbitur et placebit. Sacili XIII. Augusti.

10) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster : Die undecimo recepimus litteras a domino Karolo, qui applicuit Utinum die octavo hujus mensis in vesperis, responsivas ad nostras; quarum copiam Dominationi Vestre mittimus presentibus introclusam. Quibus litteris visis deliberavimus reducere nos in Seravalum, vel Coneglanum, tam quia propius essemus istis partibus, secundum formam litterarum ipsius domini Karoli; quam etiam, quod si ivissemus Tarvisium, fuisset maxima dehortatio subditis vestris, qui forte alia causa credidessent nos reversos fuisse. Et statim scripsimus litteras Collegio vestro Coneglani et Capitaneo Seravalli pro habendo declarationem ab eis, si in aliquo predictorum locorum possemus commode stare. A quibus habuimus responsionem, quod sic; et deliberavimus ire Seravallum, quia Capitaneus ipsius loci nos magis ample hortatus est ad eundum ad locum predictum. Scripsimusque litteras domino Karolo, qualiter secundum formam litterarum suarum deliberaveramus ire Seravallum; et quod dignaretur, quando esset in ordine essendi super tractatu pacis, nobis notificare, et ad quem locum volebat nos accedere; quia parati eramus ire secundum quod ordinaret. Heri vero requiri fecimus istos Vngaros, qui sunt in Sacilo pro domino Benedicto, de scorta nobis danda per eos usque Seravallum, et eis

ostendi fecimus litteram ipsius domini Benedicti securi conductus. Qui recusarunt dictam scortam nobis dare, dicentes, quod de hoc non habebant in mandatis. Similiterque requisivimus Capitaneum istius loci, qui etiam recusavit, dicens non habere libertatem, nisi super territorio Forojulij. Misimus etiam ad dominum Achus pro scorta predicta, qui est in campo longe ab hinc per duo miliaria; et dum speraremus ab ipso habere scortam predictam, hodie summo mane paravimus nos ad recessum; interim venit Nuntius noster cum uno Notario ipsius domini Achus, referens nobis pro parte ipsius, quod haberemus eum excusatum, quia non dabat nobis scortam predictam, nam sibi hoc non erat commissum. Propter quam causam remansimus, et scripsimus litteras statim domino Karolo, qualiter hinc recedere non poteramus propter defectum scorte; et quia super hoc dignaretur providere, ut sibi videretur. Feeimus etiam hoc notum Capitaneo hujus terre, qui satis curialiter de hinc nos licentiaverat. Deliberavimus mittere ad dominum Banum Benedictum pro scorta, qua habita recedemus, ut superius continetur, nisi interim a domino Karolo aliud haberemus. Fertur enim, ipsum dominum Karolum in Utino expectare Magnum Comitem Palatinum, et Sudar Petrum Banum Sclavonie, et cum ipsis gentibus ipsorum et sua velle ponere campum circa Tervisium, et impedire viam Sileris. Heri huc aplicuit ser Jacobus Spintelo Civis Civitalis, qui venit de Vienna nomine illorum de Civitali; a quo habuimus, quod obtinuit litteras amplas et largas a domino Duce alocrato (igy), quod homines de Tervisana et Ceneta cum eorum animalibus et bonis possint secure stare et remanere in Cividado pro sue libito voluntatis. A quo etiam habuimus, quod domini Ambasiatores milites dominorum Ducum Austrie die ultimo Julij applicuerant Utinum, pro essendo nomine dominorum Ducum cum mandato ad plenum huic parlamento seu tractatui pacis. Habuimus insuper, quod ipsi domini Duces diviserant, et quod in parte domini Ducis Alberti pro duobus annis cum dimidio venerant Feltrum, Cividadum, Tiralum, Charinthiam, et iste partes inferiores; dominus autem Dux Leopoldus pro dicto tempore manere debeat in Vienna, et habere ceteras partes et loca; deinde quod tempore

finito dicte partes econverso mutari debebunt. Habuimus etiam, quod Ambasiatores predicti utebantur bonis verbis in honorem et statum Dominationis Vestre. Predicta omnia sicut habuimus, Vestro Dominio denotare curavimus. Litteram, quam Dominatio Vestra mittebat Tergestum, nullo modo mittere potuimus; licet ipsam miserimus ad quendam amicum Dominationis Vestre extra locum istum, qui ipsam nobis remisit, diceus non habere modum neque viam illam mittendi, nec hoc audere facere. In instanti hora persensimus, hic captum fuisse quendam venientem de Tergesto cum una littera, quam deferebat Dominationi Vestre, et sibi ablatum esse dictam litteram per Capitaneum hujus terre, ac incarceratum fuisse. Pro posse studebimus perscrutare de continentia litterarum predictarum, et nostro Juditio multum iste Capitaneus ponit mentem ad habendum de Nuntijs Dominationis Vestre, vel Rectorum suorum, hac transeuntibus cum litteris. Litteras tres Dominationis Vestre alias requisitas per nos, bene recepimus cum responsione Dominationis Vestre nobis facta, ad litteras nostras datas hic sexto Augusti; licet litteram Magistri Curie dare non potuerimus, quia ille Matheus jam recesserat cum litteris nostris, per quas Magistro Curie distincte notificavimus negotium Vestro Dominio satis notum. Quas Ducales litteras eidem, quanto citius poterimus, curabimus per bonum Nuntium destinare. Sacili XIII. Augusti.

Replicata die XIIII. Augusti, cum ista addictione. Per ea, que vidimus et sensimus, ac que continue videmus et sentimus, non videtur nobis, quod isti procedere velint ad istum tractatum, nisi viso fine negociorum ad que summe vigilant. Deinde sentimus in hora presenti, quod dominus Patriarcha, qui erat Utini, ivit Gradum. Preterea ad confirmationem divisionis dominorum Ducum, de qua fit mentio supra, mittimus Dominationi Vestre copiam unius littere, quam recepimus a domino Valchpdoldo (igy) super materia predicta. Hodie hora XIIII. dominus Karolus expectatur hic die Mercurij, et per ea que sentimus infalibiliter cum multa gente iturus est Paduam. Sacili XV. die Augusti hora prima.

11) A velenczei dogének a követek.

Excellentissime Domine noster. Per litteras nostras datas XIII. mensis presentis et replicatas XV. Serenitati Vestre scripsimus, quod receptis litteris Illustris domini Karoli, in quibus fiebat mentio, quod videbatur, quod deberemus nos reducere in unum locorum Dominationis Vestre vicinius his partibus; et considerato, quod Capitaneus hujus loci satis curialiter nos licenciaverat; determinaveramus habita scorta requisita per nos a domino Benedicto, qnam ab alijs Vngaris non potueramus habere, reducere nos Seravallum etc. sicut in dictis litteris continetur. Nunc autem Dominationi Vestre notificamus, quod his diebus medijs Capitaneus hujus loci nos pluries licenciavit, ac nobis dari fecit licentiam per personas medias, ostendens multum gravari de mora nostra in hoc loco. Ex quo secutum est, quod hodie dominus Jacobus Ispanus venit huc de campo suo, qui est remotus ab hinc per quinque moliaria; quid sentiens dictus Capitaneus nobis dici fecit, quod deberemus requirere scortam, nunc quod ipse dominus Jacobus hic erat; et quod si illam requireremus, bene nobis daret. Vnde videntes tantum infestari ab ipso, ivimus ad ipsum dominum Jacobum, et ordinate narrando tenorem litterarum domini Karoli, et deliberationem factam per nos de eundo ad unum locorum vestrorum, et qualiter requisivimus scortam, quam habere non potueramus, et quod quia iste Capitaneus nos sepe et sepissime licentiaverat et licentiabat, rogabamus Magnificenciam Suam, quatenus nobis dare deberet scortam, que nos scortaret ad unum vestrorum locorum. Qui nobis responsionem dedit in hac forma : Nos immediate ibimus ad campum, et erimus cum domino Benedicto et istis alijs Baronibus Nobilibus, et cras de mane mittemus vobis responsionem nostram, quam expectabimus, et secundum eam procedemus. De novo hic sensimus, quod dum per Dominum Padue scriberetur domino Benedicto et alijs Baronibus Vngaris, quod sperabat conjungere se cum gentibus Januensium, et habere in brevi Clugiam; et adhuc ulterius dominus Benedictus et isti alij Notabiles requisiverunt ipsum Dominum Padue de volendo ire cum ganzarolis suis, et esse ad hoc factum; et quod Dominum Padue respondit eis, quod et su-

per galeis Januensium, et super ganzerolis suis erant multe gentes; et quod non possent stare plures; sed si volebant, poterant ire usque XX vel XXV Nobiles. Quo audito isti responderunt, quod ire nolebant. De quo isti faciunt et auferunt istam conclusionem, quod Januenses et Paduani se intelligant simul, et quod in casu, quo hec sua intentio haberet effectum de Clugia, et ulterius, ut ipsi sperare videntur, dividerent totam inter se, excluso domino Rege et Vngaris quibuscunque; de quo, ut presentire potuimus, isti Barones et Vngari omnes multum turbati videntur. Dominus Magnus Comes et dominus Petrus Sudar nondum applicuerunt Utinum, quod sciamus; sed expectantur de die in diem. Dominus Patriarcha, qui, ut scripsimus, fuerat Gradum, sicut hodie sentire potuimus, ivit, quia videbatur habere aliquam intentionem, in Pirano. Exemplari fecimus litteras, quas Dominatio Vestra mittebat ser Sarraceno Dandulo, Potestati et Capitaneo Tergesti, et poni in uno breviculo, cum copiis omnium novorum receptorum a Dominatione Vestra; et illud misimus per proprium Nuntium, qui ibit cum salute Deo previo, licet difficillimum nobis fuerit aliquem invenire. Scripsimusque in conclusione, ut nova predicta nota faceret alijs Rectoribus Istrie pro eorum consolatione. Sacili XVII. Augusti hora VI. noctis.

12) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Heri circa XXIIII. horam applicuimus Tarvisium, et statim fuimus cum Collegio Tervisino, et exposuimus eis verba, que habueramus a domino Jacobo et Benedicto Baronibus domini Regis Vngarie. Et super predictis verbis et mandato Vestre Dominationis per nos communicato Consilio, cum dicto Collegio deliberavimus omnes concorditer, quod dominus Johannes Gradonico subito ad Dominationis Vestre presentiam accedat, explicaturus verba predicta, que a predictis Baronibus habueramus; et quod nos duo de mane ad dominum Karolum reverti deberemus exequendo mandatum nobis per Dominationem Vestram novissime factum. Sed est verum, quod ego Zacharias Contareno in nocte infirmatus sum ex dolore illiorum, et aliquantulum febricito. Vnde deliberavimus diferre ad diem crastinum, spe

rantes, quod ego Zacharias ero in majori convalescencia, et quod potero equitare et prosequi mandatum vestrum. Et putamus istam inconvalescenciam mei Zacharie oportunum venisse, eo quod dictum mandatum Vestre Dominationis nobis novissime factum, ut prefertur, videtur obstare et esse diforme et valde remotum verbis nobis dictis per dictos dominos Jacobum et Benedictum; ita quod explicando eis dictum mandatum vestrum, adeo generaliter posset esse causa faciendi predictos dominos a tractatu recedere, et se magis a nostro proposito elongare; cum existentibus nobis Bude predicta fuerint eis diligenter exposita, et super ipsis verbis nullum responsum voluerunt prebere, nec audientia aliqua fuit nobis data. Et propterea predicta deliberavimus Vestre Dominationi nota facere, ut super hoc, ac eciam in casu quo ego Zacharias equitare non possem, Vestra Excellencia providere possit, ut sibi placuerit. Tarvissij XVIII. Augusti.

13) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Heri scripsimus de Tarvisio Serenitati Vestre, qualiter recesseramus de Tervisio hora VII. pro eundo Coneglanum exequendo mandata Vestre Dominationis, ubi applicuimus dicta die hora circa secundam noctis. Hodie vero in mane de Coneglano recessimus tendentes versus campum Vngarorum; et cum appropinquaremus, invenimus dominum Benedictum et dominum Jacobum Ispanò, qui salutatione debita servata nobis dixerunt, ad quid tendebamus? Quibus responsionem dedimus, quod secundum relationem factam per eos pridie nobis, prout Vestre Serenitati scripsimus, dominus Johannes Gradonico ad presentiam Vestram accesserat, et nos per litteras Vestre Dominationis receptas in Tarvisio oportebat ire ad reperiendum dominum Karolum a Pace. Recedentes namque ab illis tendentes versus Sacillum reperimus in itinere dominum Suter Petrum, qui ibat ad campum Vngarorum. Cui retulimus, quod ad presentiam domini Karoli accedebamus; rogantes enim, ut sibi adesse placeret. A quo quidem domino Suder Petro benivola responsione habuimus, quod ipse dominus Karolus applicuerat in illa hora Sacilum; et ipse ibat ad campum, et statim

cum concedisset aliquantulum, rediret Sacilum ad dominum Karolum. Nos vero prosequentes iter nostrum applicuimus Sacilum hora circa V-am, et statim misimus Nuntios ad notificandum domino Karolo de adventu nostro, et quid eidem placebat precipere. Elapsa vero hora una, quia ipse dominus Karolus dormiebat, Nuntij redierunt referentes, quod Barones predicti statim debebant esse Sacili, et cum venissent, mitteremus ad eos, et nobis responsionem preberent. Sacili XVIIII. Augusti.

14) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine Noster. Notificamus Dominationi Vestre, quod heri de mane secundum ordinem datum per Illustrem dominum Karolum fuimus secum, et cum Baronibus qui hic erant; nam dominus Jacobus Ispanus fuerat Paduam, et Magnus Comes nondum venerat. Et narratis per me Johannem Gradonico verbis habitis a domino Benedicto et domino Jacobo, propter que de voluntate meorum sociorum fueram Venecias; habui dicere, qualiter Dominatio Vestra et Consilium Vestrum illis verbis intellectis, et cognoscens clementiam et benignitatem Serenissimi domini Regis, erat parata facere, sicut in copia hic inclusa Dominatio Vestra contineri videbit, cum conditionibus in illa notatis. Ipsi autem his intellectis, et habito per magnam horam consilio ad invicem, nobis respondere fecerunt per Episcopum Jauriensem; debebamus esse certissimi, quod domino Karolo et ipsis displiceret immense destructio Civitatis Venetiarum, et quod ipsi nollent aliquo modo illam; et quod propterea ipsi acceptabant et ei placebant ea, que ego Johannes Gradonico dixeram; quia ipsi erant contenti quod remanerent nobis electio Ducatus nostri, Regimina, Consilia et Officia, et Civitates, Castra et loca, et omnia alia, sicut in copia suprascripta contineri videbitis, et secundum quod requisivimus. Nos audita ista responsione satis contenti fuimus in animis nostris, et cum omnibus illis verbis utilibus que nobis visa fuerunt, regratiati fuimus de tali responsione; dicentes, quod pro certo dominus Rex in processu temporis cognosceret, quantum illa Communites semper optavit et prompta fuit, et nunc erit magis quam unquam, in

complacendo et serviendo Serenissimo domino Regi. Sed sicut ipsi sciebant, mora erat multum periculosa istis factis; et quod propterea videbatur nobis, quod ipsi in totum pendentibus istis tractatibus scribere deberent galeis suis de Dalmacia, quod nullo modo se moverent a Clugia sine suo mandato; et similiter procurreretur cum Januensibus et Paduanis, quod non procedient ad novitatem sine presentia istorum, quia ipsi etiam pro honore Regio interesse volebant his, que fierent. Tunc vero Episcopus Jauriensis habuit dicere: »Dum ego nollem, quod propter meam grossiciem vos possetis credere aliud quam esset de intentione domini mei Karoli et istorum aliorum Dominorum; intentio istorum Dominorum est habere unam de terris vestris in perpetuum; et quod in electione Ducum, qui pro tempora erunt, teneatur aliquis modus, qui sit cum honore domini Regis; et dare aliqua capitula que vos videbitis«; dicensque, dominus Rex nil aliud querit, quam honorem, et non curat de utilitate. Et propterea his auditis, tunc magis stetimus supra nos, et dantes illis verbis responsionem que nobis honesta et justa visa fuit, dominus Karolus habuit dicere: »Domini, per nos factum est circa id, quod dicitis de periculo more, id quod potuimus honeste. Sed ego credo, quod bonum sit, ut hoc factum deducatur ad finem; nos faciemus notari aliqua capitula, secundum intentionem domini Regis et istorum dominorum Baronum; et in vesperis mittemus pro vobis, et illa audietis; et postea poterimus aliquem finem facere; donec venerit Magnus Comes, qui de hora in horam expectatur, sine cujus conscientia predicta non terminarentur in totum; et donec venerit dominus Jacobus, cujus intentionem satis bene scimus«. Et ab eis recessimus cum illis verbis. Post prandium hora vesperorum ipse dominus Karolus misit pro nobis, et nobis legifecit capitula que notari fecerant. Quibus catulis auditis multum tristatus fuit animus noster, et responsum, quod illa que petebantur erant talia et tanta, quod tres Communitates non forent sufficientes ad implendum ea. Sed rogabamus, quod darentur nobis in scriptis, ut possemus illa mittere Dominatione Vestre. Ipsi dixerunt, quod faceremus illa copiari per Notarium nostrum. Quid ordinantes recessimus ab ipsis, et venientes ad hospitium nostrum, Gulielmus,

qui remanserat pro copiando illa capitula, venit post nos; et dixit, quod dominus Karolus et illi alij volebant, si debebant nobis dare copiam illorum capitulorum, quod ostenderemus eis libertatem, quam habebamus. Nos his verbis responderi fecimus: Quod non erat de more tractantium, quod tales libertates monstenden trarentur, nisi imposito fine factis; quia foret in prejudicium ostendentium, et ad informationem partis adverse. Quibus verbis auditis, ipse dominus Karolus remisit pro nobis, et habuit dicere, dum essemus ad presentiam suam, quod bonum erat' quod essemus cum domino Episcopo Jauriensi, Suder Petro et Benedicto Bano; et quod examinarentur et discutientur capitula; et quod modificarentur, et diceretur per nos intentio nostra circa illa. Circa quid nos satis recusavimus velle aliquam responsionem dare dictis capitulis, dicentes: »quod vix totus mundus esset sufficiens ad faciendum illud, quid volebant«, cum illis verbis pertinentibus et facientibus ad rem, que nobis visa fuerunt. Et breviter, quia circa discussionem dictorum capitulorum videbantur instare, condescenderamus ad essendum cum predictis tribus, et lectis singulariter illis capitulis, fecimus responsionem ad quodlibet ipsorum, sicut in copia his inclusa Dominatio Vestra per illa, que nobis dicta fuerant, credebat: quod dominus Rex et ipsi debuissent esse contenti de recognitione Dominij Venetiarum ab ipso domino Rege, et aliquali censu annuatim; sed ista erant ita inopinata, quod non possemus aliquid terminate dicere sine licentia et conscientia Dominationis Vestre. Discussis vero dictis capitulis cum Baronibus predictis, et factis responsionibus et modificationibus nostris, sicut Dominatio Vestra videre poterit, recessimus a predictis hora noctis quasi quarta. Et volentes hodie per omnem modum, studium et curam, cum omni arte et caliditate sentire de intentione istorum, et ad quid essent dispositi, breviter ut nisi lateat Excellentiam Vestram, sentimus caute et secrete, quod ab his punctis difficillimum esset ipsos removere; primo a censu annuali ducatorum C mille in anno; secundo de facto salis, quod aut vellent dictam quantitatem pecunie, aut posse portare sal per barchas Fluminum; tertio, quid difficillimum esset, ad quantitatem unius millionis ducatorum, quid requirunt in uno capitulo, descenderent, ad mi-

norem quantitatem quam CCCCC mille florenorum, quos statim vellent; dicentes, quod si non habetur pecunia ad presens, detur biretum Ducale et jocalia Communis Venetiarum; quarto, quod omnino volebat Civitatem Tergesti; quinto, quod nos cognoscamus ipsum dominum Regem in Dominum, ac heredes et successores suos. Quibus omnibus consideratis, et quantum impossibilia sunt non solum Dominationi Vestre, sed cuilibet magno Regi et Principi mundi; et habentes considerationem, quod non videmus bene modum, quomodo isti possint suffragium prestare Dominationi Vestre iu casu, quo Januenses vellent molestare vos; et etiam considerantes, quod in uno capitulorum porrectorum dominus Rex vult, quod debeamus facere pacem cum colligatis, et quod visis et auditis juribus partium debeat terminare, quid sibi videbitur, cui determinationi stare dedeamus; et ut nobis videtur tandem illa diffinitio colligatorum esset importabilis Dominationi Vestre, sumus in totum desperati ab isto tractatu, et cum omni reverentia Dominationis Vestre loquentes, videretur nobis, quod per personas secretas, et per illum cautum et dextrum modum, qui fieri poterit, procuretur cum Januensibus vel Paduano id, quid melius fieri poterit. Quia nobis videtur, quod non posset deinde aliquid procurarj et haberi, quod non foret melius quam id, quid isti usque in diem presentem dispositi facere sunt. Nichilominus nos cum totis spiritibus nostris procurabimus in hoc, quicquid boni poterimus, dilatando hunc tractatum quantum poterimus pro bono facti. Sacili XXIIII. Augusti hora XIII.

Replicata die XXV. hora XVIII. cum additione, quod volent Tarvisium, Coneglanum, Castrum Franchum, Mestre, Anoalum, et quod de littera missa per Capitaneum Galearum Januensium etc. ut infra.

15) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Heri XXV. mensis presentis hora XVIIII. replicavimus litteras nostras datas XXIIII., ponentes istam addictionem videlicet, quod isti Barones, qui sunt hic, difficiliter removebuntur etiam ab ipso sexto puncto, seu quod si venient Venecias, volent omnino in manibus suis

Tervisium, Coneglanum, Castrum Franchum, Mestre et Anoalum, donec soluta fuerit pecunia in capitulo contenta, et date fidejussiones. Preterea addidimus hoc, quod sentiebamus a firmo, quod Capitaneus gallearum Januensium scripserat domino Karolo, quod receperat litteram suam credentie, et intellexerat relata per familiarem ejus; videlicet, quod pro honore Regio ipse dominus Karolus volebat interesse cum gentibus domini Regis his que fieri debebant; ad quod ipse respondebat, quod de hoc multum letus erat; et rogabat eum instanter, quod quamcicius esse posset, reduceret se ad partes illas pro exequendo intentionem predictam; nam paratus erat et sperabat cum gratia Dei habere intentionem suam finalis destructionis inimicorum Regiorum. Que duo puncta ad cautellam ordinavimus replicari. Ultra predicta habemus de novo : Heri applicuerunt huc lancee C Ducis Leopoldi sub tribus Capitibus, et possunt esse equi IIII^{C} ; que Capita fuerunt ad dominum Karolum, offerentes se cum gente predicta pro parte dicti domini Leopoldi ad omnem honorem domini Regis et mandatum suum. Et per ea que potuimus percipere, isti videntur omnino esse constantes in capitulo Tergesti; et arbitramur propter adventum istarum gentium Ducis Leopoldi, quod petitio Tergesti fiat ad petitionem ipsius Ducis Leopoldi. Peterea sensimus a certo in instanti hora, quod Dominus Padue notificavit domino Karolo, qualiter ipse et Ambasiatores Januensium die dominico proximo esse intendunt in campo juxta Tarvisium, et pro tractatu pacis fiendo secundum ordinem datum per dominum Regem; quare supplicavit ipsi domino Karolo, quod cum alijs Baronibus et gente sua reduceret se circa Tervisium ad terminum predictum; et cras debet moveri campus de partibus istis. Tamen non credimus, quod dominus Karolus et alij Barones hinc ita cito recedant. Dominus Magnus Comes Palatinus est hic prope, et cras hic omnino esse debet. Litteras Dominationis Vestre datas XXIII. et XXIIII. bene recepimus. Sacili XXVI. Augusti hora XXII.

Replicata die XXVIII. Augusti cum ista addictione: quod sicut per alias litteras nostras scripsimus, videtur, quod Januenses intendant ponere gentem in litore, et pugnare sta

catam cum navigiis parvis, que venire intra stechatum a parte maris versus levantem; et ibi ponere gentem in terram. Dominus Magnus Comes hodie huc applicuit. Heri hora tarda venerat dominus Cardinalis Padue, ad quem hodie fuimus, facientes sibi reverentiam debitam; et per ea que sentire potuimus, videtur habere mandatum Apostolicum de essendo in hoc tractatu, licet dicat non posse hic trahere magnam moram. Tamen quia nobis videtur bene dispositus, procurabimus, quod sit presens; quia putamus, quod prodesse poterat presentia sua. Sensimus hic, quod aliqui cives Justinopolis exiverunt de Justinopoli, et iverunt ad obedientiam domini Patriarche; et postea iverint ad Castrum Belforis, et ostendentes aliqui eorum, qui erant noti a Capitaneo dicti loci, velle sibi loqui pro parte domini Potestatis et Capitanei Justinopolis; ceperunt ipsum Capitaneum, qui venerat ad eos, et alios qui cum eo erant, et ipsis captis habuerunt dicto modo Castrum predictum; quid ut habemus, Vestro Dominio facimus manifestum. Debemus in instanti hora esse cum domino Karolo et alijs Baronibus pro factis nobis commissis. Litteras Dominationis Vestre datas XXIIII. recepimus, et alias letteras datas XXV., continentes nova de partibus Romanie, que nobis immense placuerunt, et qualiter recepistis litteras nostras super facta principali. Recepimus heri hora XVIII. Pro istis tractatibus salis, in quibus sumus, expediret, ut haberemus informationem a Dominatione Vestra, centenarium salis Clugie quot modia facit de nostris, et scrire commune pretium ipsius salis, et quantum communiter expeditur de ipso pro eundo ad partes Lombardie, et quid solvitur de datio; ac etiam scire quantitatem salis grossi, qui fertur in Lombardiam, et precium ipsius, et quantum lucratur Commune de modio ipsius salis grossi, et quantum esset commune precium de modio salis Pagi, de modio salis Clugie, et de modio salis Pirani expeditorum, et a datijs Dominationis Vestre. Sacili XXVII. Augusti hora prima diei.

16) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Significamus Dominationi Vestre, quod Perinzolus de la Mota lator presentium, quon-

dam habitator et civis factus Seravallis, cui alias facta fuit gratia per Dominationem Vestram serviendi in galeis vestris certo tempore, et quia tanquam non assuetus in mari, semper stabat turbatus ultra malum, in tantum, quod non poterat nec bibere nec commodere, et dicta de causa pluries a Capitaneo vestro et a Supracomito galee sue petierit licentiam recedendi, quam non valens obtinere, recessit de galea et ivit Cividadum per terram. Statimque scripsit litteram michi Johanni Gradonico tunc Potestati vestro Seravallis de adventu suo ad dictas partes, et causam sui recessus de galeis, et quod erat paratus morari ubi placebat Dominationi Vestre, quas litteras missi Dominationi Vestre in forma propria; et multa, que tangebant honorem vestrum michi nota fecit dum existeret in in Cividado. Postquam hic fuimus, ipse venit de Vienna cum Ambasiatoribus Communitatis Cividadi, et nunquam de die in diem cessavit omnia nobis nota facere, que cederent ad honorem Dominationis Vestre. Et nudius tercius dum haberemus nova calida a diversis personis de novitate fienda in Coneglano contra honorem Dominationis Vestre, que subito oportebat notifficari Collegio Coneglani; ipse personaliter dicta nova obtulit se portaturum, et non sine modico periculo persone sue; et sic fecit, et reversus fuit ad nos cum responsione. Et de hora in horam invenimus eum melius dispositum ad honorem Dominationis Vestre; et cum ipse personaliter venit Venecias coram Dominatione Vestra ad offerendum se cum persona sua servire Dominio Vestre, et sit probus et valens homo de persona; cum maxima instantia requisivit a nobis presentes litteras de portamento et dispositione sua. Quare consideratis predictis supplicamus Dominationi Vestre, quod dignetur habere ipsum recommendatum; denotantes eidem, quod tempore quo ego Johannes eram in Seravallo, intellecto recessu dicti Perenzoli de galeis predictis ante tempus suum, feci intromittere bona sua que reperire potui in Serevallo; que fuerunt alique conture argentee, et aliqua pecunia, que deposita fuerunt in Capsella Vestri Communis in palatio Seravallis; ac eciam poni feci quandam concubinam suam, quam diligit ut uxorem, in districtu in zirono Castri vestri Seravallis, et hoc ideo quia contra mandatum meum ei factum, inor-

dinate recedero voluit de Seravallo. Credemus enim bonum esse, quod placeret Vestro Dominio, quod scriberetur Capitaneo vestro Seravallis, in remuneratione istius sue bone dispositionis, quod ipsa concubina sua pro ista prima facie ire relaxaretur, et postea de bonis suis intromissis, ut supra, Dominatio Vestra secundum portamentum suum disponere posset, ut sibi placeret. Sacili XXVIII. Augusti.

17) A velencfiei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Sicut per litteras datas hodie hora prima diei Excellentie Vestre scripsimus, debebamus esse hodie cum domino Karolo et alijs Baronibus ad hoc deputatis, et sic fuimus hora secunda diei. Qui dominus Karolus voluit nos simul cum Generali esse cum domino Episcopo Jauriensi et domino Jacobo Spano, in loco seperato ab ipso domino Karolo et alijs Baronibus; et ibi dominus Episcopus predictus habuit exponere de facto capituli census annualis, de capitulo salis, de capitulo unius milioni ducatorum pro damnis et expensis, et de capitulo Tergesti; dicendo, quod posito fine capitulis principalibus predictis, alijs capitulis leviter finis imponi posset; tangendo de responsionibus alias per nos factis super ipso capitulo, quod dominus Rex super facto colligatorum posuit auditis rationibus partium, debent terminare ut sibi videbitur; cui terminationi stari debeat etc.; requirens a nobis, quod super ipsis capitulis principalibus responsionem dare deberemus. Nos autem istis auditis, pro bono agendorum replicavimus in presentia domini Jacobi predicti verba, que ab eo et domino Benedicto habueramus; propter que ego Johannes Gradonico de voluntate meorum sociorum veneram Venetias, dicens, quod propter illa verba dominus Dux, confidens in clementia et benignitate Serenissimi domini Regis, condescenderat ad illa puncta, ad que ipsi bene sciebant, videlicet de cognoscendo amodo in antea Dominium Civitatis Venetiarum a Serenissimo domino Rege, et de dando sibi illum censum annualem, qui foret conveniens et honestus, cum alijs conditionibus tunc expressis. Sed cognoscebamus, quod descendendo ad alia capitula, nisi sciremus intentionem aliorum colligatorum, vel qualiter ipse dominus Rex vellet

quod viveremus cum eis, hoc esset in nimium prejuditium nostrum. Quia Januenses et alij colligati, scientes ea que vellemus facere; ipsi domino Regi, peterent tot et talia, quod non solum nos, sed tres Communitates non forent sufficientes ad faciendum predicta. Et propterea videbatur nobis, quod deberemus primo scire intentionem istorum colligatorum, vel qualiter dominus Rex vellet quod nos viveremus cum eis; et postea possemus promittere et condescendere ad ea que forent nobis possibilia, et pro honore domini Regis. Quia intentio nostra erat nullo modo promittere ea que non possemus attendere; sed intendimus omnino fideliter et lete observare, quicquid per nos promissum fuerit. Istis verbis auditis, et multis alijs rationibus pertinentibus et facientibus ad hanc intentionem; non valentes a nobis aliud habere, iverunt ad dominum Karolum et ad alios Barones, et steterunt per magnum spacium ad invicem. Finaliter nos vocarunt, et Episcopus Jauriensis habuit dicere, quod de voluntate Illustris domini Karoli et aliorum Baronum ipse respondebat nobis, quod novit Deus, ipse dominus Karolus et alij Barones ibi existentes nullo modo vellent destructionem Venetiarum; imo magis essent dispositi ad pacem in statu, quo nos reperiebamus, quam si essemus in multo meliori statu; et quod non esset conveniens vel honestum, quod ipsi nobis parte Regia dicerent vel promitterent aliquid certum, quod habere deberemus cum colligatis predictis; sed ipsi deliberarunt, inter hodie et crastinum diem facere recedere campum de partibus istis, et ire circa Tervisium, ubi personaliter interesse debebant Dominus Padue, Ambasiatores Januenses, Ambasiatores domini Patriarce, et etiam ipsi ibi erunt, et nos etiam ibi esse poterimus; et ibi poterit tractari de pace. Et dictis super ipso facto hinc inde multis verbis devenimus ad istam conclusionem cum eis, et ipsi nobiscum, quod hinc hodie vel cras recedere debeamus et ire Tarvisium, circa quem locum erit campus; et nos ire poterimus ad campum predictum, et ibi tractabitur de pace. Et quod bonum erat, quod in Ambasiata nostra exponenda uteremur verbis generalibus, quibus usus fui ego Nicolaus Mauroceno pridie domino Karulo, silicet, quod Dominatio Vestra erat disposita ad pacem cum domino Rege, et omnibus colli-

gatis suis, et parata erat pro parte sua facere erga dominum Regem et colligatos suos ea, que eis essent acceptabilia et grata. Insuper etiam dictum et conclusum fuit pro bono agendorum, quod omnia promissa per nos in honorem Regie Majestatis, et omnia que ipse dominus Kaeolus et alij Barones dixerant de volendo a nobis pro parte Regia, secretissima forent, et quod nulli ullo modo aperirentur, salvo Dominio Vestro. Et hoc ipse dominus Karolus et alij Barones satis nobis promiserunt. Voluerunt etiam nos sub sacramento eis predicta promittere, et sic fecimus; et quod etiam Dominatio Vestra et ejus Consilium predicta sub debito sacramenti habebunt in secreto. Fuit etiam ibi dictum et conclusum pro bono negotiorum, quod tractatus pacis, qui fieri debebat, non fieret simul et solum in presentia omnium colligatorum; sed quid tangeret unum quemque colligatorum, tractaretur cum ipso; salvo quod ipsi dixerunt, quod hoc fieri non poterat cum Domino Padue, cum ipse principaliter ita erat procurator domini Regis in istis factis, sicut dominus Karolus et alij Barones; itaque absque ipso aliquid omnino tractari non poterat. Et cum hijs conclusionibus recessimus ab eis, habuimusque securum conductum nostrum reiteratum; quia pridius amodo expirabat; et hinc hodie recedemus et ibimus hospitatum Coneglanum. Et cras Deo dante speramus bona hora esse in Tervisio; multum enim sumus avidi, pro informatione agendorum nobis commissorum habere responsionem Dominationis Vestre super facto principali vobis per nostras litteras denotato. Heri, sicut scripsimus Vestro Dominio, applicuit huc Magnus Comes cum gente sua; quam gentem hodie vidimus occulata fide, possunt esse inter tales et quales equi MIIII^{C} (1400), et fulciti ad modum Vngarorum. Sacili die XXVIII. Augusti hora XVII.

18) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Heri hora secunda noctis recepimus duas litteras Dominationis Vestre, unam datam die XXVIII., et alterum datam XXVIIII. mensis presentis, cum introclusis; quas diligenter examinavimus cum omnibus contentis in eis. Et primo ad contenta in littera

data die XXVIII. Vestre Dominationi cum omni reverentia respondemus, quod non semel, sed pluries cum istis Baronibus usi fuimus illis verbis; scilicet quod capitula porrecta per eos erant ita alta, quod nedum possibilia forent Dominationi Vestre, que fecit tot et tantas expensas in ista guerra et alijs proxime preteritis; sed vix tres Communitates majores Italie possent adimplere contenta in eis; concludentes super isto facto omnibus Baronis semper, quod si predicta capitula vel pars ipsorum fuissent nobis exposita per eos, nullatenus fuissemus ausi mittere aliquem nostrum ad Dominationem Vestram cum verbis et capitulis predictis; sed firmiter putavimus, quod de recognitione Dominij cum aliquali censu annuali dominus Rex et ipsi debuissent esse contenti, et nil aliud querere omnino a Dominatione Vestra; ita quod considerato, quod ipsis verbis usi fuimus tot vicibus, non videtur nobis in passu quo non invenimus, ut vobis declaravimus per litteras quas portavit Perinzolus, ad dicta verba amplius redire; quia potius putaremus ipsa esse damnosa quam utilia. Quantum de ducendo factum in longam etc.; respondemus Dominio Vestro, quod modus quem tenuimus in volendo omnino scire intentiones colligatorum, et in non elargando nos capitulis, ultra modificationes alias certis capitulis factas per nos, missas Dominio Vestro, videtur de directo nobis modus ducendi tractatum in longum. Et in hoc laborabimus pro posse, et speramus per ea que elargavimus nos nota Dominio Vestro, quod dominus Karolus et alij Barones conabuntur cum Januensibus et alijs colligatis reducere eos ad omnem meliorem conditionem et modum quos poterunt in avantagium Dominationis Vestre. Ad contenta vero in alia littera, et ad capitula in ea inclusa cum omni reverentia Vestro Dominio memoramus, quod contenta in dictis capitulis non videntur nobis factibilia. Primo quia propter elargationem per nos factam de recognitione Dominij Civitatis Venetiarum, cum alijs modis vobis in nostris capitulis missis, secundum arbitrium nobis datum per Dominationem Vestram, nullo modo putamus, quod pro aliquo avantagio quid fieret ipsis Baronibus nomine domini Regis, quod ipsi recederent a proposito predicto. Imo credimus quod cum hoc scripserunt domino Regi, et arbitramur, quod si Do-

minus Padue, directe et bono animo vellet procedere ad concordium et esset de hoc informatus, quod etiam ipse nullo modo putaret posse removere ipsos Barones a proposito prelibato. Secundum, quia ille modus de dando Tervisium, Tervisanum etc. in manibus domini Marchionis, uti in dictis capitulis continetur, quod predicta debeant esse secreta, veniret ad publicandum, et per consequens ad destruendum totam intentionem predictam; ex tali enim datione locorum predictorum isti Barones domini Regis, quia omnino vellent inquirere et scire, qua de causa ipsa loca, rebus sic existentibus data essent in manibus domini Marchionis, et occultari non posset, quin hoc scirent, vel saltem arbitrarentur; pro majori parte reputarent se deceptos et delusos a Dominio Vestro et Domino Padue, si non simulate sed cum bona intentione hoc fecisset, vel a Dominio Vestro solum, si simulate ipse Dominus Padue hoc egisset, quod posset esse causa magne indignationis a parte ipsorum contra Dominium Vestrum. Insuper esset datio ipsorum locorum modo predicto facta causa removendi subditos vestros istarum partium a fidelitate ipsorum; quia in casu quo non secuta pace, et facta traditione predicta, ipse Marchio ipsa loca restitueret in manibus Dominationis Vestre, de qua tamen dubitandum est, nunquam isti de partibus istis, videntes se in alios transferri per modos supra scriptos, essent fideles Dominio Vestro, sed semper cogitarent de faciendo facta sua. Insuper etiam illud, quod tangitur in capitulis predictis de apperiendo buchas fluiminum etc.; quia cognoscimus clare, quod omnes Lombardi pro eorum utilitate de hoc essent plurimum incontenti, et hoc, sicut scit Dominatio Vestra, esset destructio introituum vestrorum pro majori parte: dubitamus, quod non ita solicite curabitur adhiberi modus in facto predicto, sicut adhiberetur, si non tangeret apertura predicta tantum commodum et utilitatem ipsorum. Ex quibus alias supradictis dubitamus, ne tractatus predictus fiat altera de duabus causis, vel pro ducendo Dominationem Vestram in longum, vel pro impediendo tractatum de hinc, si ad aliquam bonam conclusionem venire possemus, quod tamen non videmus usque modo. Et quantum, si fieret aliqua de causis predictis, esset damnosum et nocivum Dominationi Vestre, optime

ipsa Dominatio Vestra potest decernere et videre; licet predicta cum magna fide et omni reverentia Vestre Dominationi curavimus denotare. Supplicantes, ut informationem talis petitam per nos, nobis mittere dignetur, nec non copiam damnorum subditorum Vestri Dominij illatorum per Januenses in partibus Cipri et Pere; ac etiam copiam pacis ultimo facte cum domino Patriarcha pro facto Vallis, que esse debet a millesimo trecentesimo tergesimo usque ad tergesimum tertium. Insuper memoramus Dominationi Vestre, quod quia Nuncij portantes litteras Dominij Vestri ad nos, venirent cum magno periculo et maxime per terram, quia inimici sunt undecunque circa ripam Sileris; quod Dominatio Vestra, que nobis mittere vult, poni faciat in brevibus parvis, ut poni possit in aliquo loco secreto, et facere fieri unam aliam litteram apparentem de aliquibus levibus, que non ascendant, sicut nos observavimus usque modo. Has litteras mittere putabamus hodie ante nonam, sed propter defectum ganzarolorum, qui hic non erant, oportuit nos expectare usque ad horam date presentis. Notificantes Dominationi Vestre, quod in occasu solis dominus Generalis misit ad nos fratrem Katharinum socium suum, per quem scivimus pro parte ipsius domini Generalis, quod dominus Cardinalis Padue ad requisitionem Domini Padue venerat huc in campo, et locutus fuerat cum Domino Padue; et quia videtur nobis bene dispositus, sumus de hoc contenti; licet nesciamus causam, propter quam Dominus Padue pro eo miserit. Postea dixit nobis, quod ipse Dominus Padue paciebatur valde febrem continuam; quod modo intelleximus per unum vestrum comestabilem venientem de citadela, qui erat ibi captus, et transivit per campum ipsius Domini Padue. Et addidit dictus comestabilis quod vidit ipsum equitare, et dicebatur quod redibat Paduam. Misit etiam nobis dicendo dominus Generalis, quod habuerat ab uno Januense, quod Januenses intendebant ponere campum ad Mathemantum; et quod illi de Clugia, tam mares quam femine juraverunt in manibus Januensium, quorum Ambasiatores nondum sunt in campo. Per ea que nota nobis fecit dominus Generalis, habuimus etiam pro responsione ad unam litteram, quam hodie misimus domino Karolo, quod ipsi non-

dum fuerant simul; sed quod bene esse debebant, et quod cras nobis notum faceret id quod facere deberemus. Litteras Dominationis Vestre replicatas, cum informatione quam requisivimus super facto talis, bene recepimus hodie hora prima noctis; licet, sicut supra dicimus, periculosissime cognoscamus istas litteras sic deferri, et in notabilissimam destructionem et prejudicium agendorum vestrorum, si caperentur per inimicos. Verum videretur nobis, loquendo semper cum illa reverentia et fidelitate qua possumus et debemus, quod si Dominus Padue habet bonam intentionem, hic modus servari posset in facto Tarvisii et Tarvisani etc., quod ipse procuraret cum Baronibus Regis, qui hic sunt, quod ipsi in tractatu pacis peterent Tarvisium, Tarvisanum et Cenetam, aut nomine suo, pro dando ipsa loca Domino Padue, aut nomine Domini Padue. Cui petitioni nos condescenderemus, et quod imponeretur finis omnibus alijs, que tanguntur in capitulis. Quo fine posito, nos postea daremus ipsa loca in manibus domini Marchionis, qui ipsa assignaret Domino Padue, quando esset complecta pax, et positus finis illis, que continentur in dictis capitulis, vel saltem illa pars que videretur. Et iste videretur nobis modus cautus et secretus, et qui posset producere bonum finem, vel modum de dando obsides per Vestrum Dominium memeratos, vel quando alicui de predictis duobus modis consentire nollet, quod darentur domino Marchioni jocalia Sancti Marci, vel illa pars que videretur, ut in casu quo ipse Dominus Padue compleret in capitulis contenta, haberet Tervisium etc.; et quod pro ejus securitate ipsa jocalia starent in manibus domini Marchionis, donec daretur Tervisium et Tervisanum in manibus Domini Padue. Et iste modus etiam secretus esset, et redderet securum Dominum Padue, sie est bene dispositus. Tervisij die penultimo Augusti. hora dimidie noctis.

19) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Tenemur ex debito nostro, quecunque sentimus respicientia honorem Dominationis Vestre, vobis facere manifesta, et pro tanto denotamus eidem, quod dum die lune transiremus Plavim ad Guadum Vervesie, Egregius vir dominus. Hensidisius de Colalto venit ad nos

usque ad ripam ipsius Plavis, ubi nos parumper distraxit, et habuit dicere, quod omnia ea que per ipsum acta fuerant usque ad dictam diem, ipse nota semper fecerat Vestro Dominio. Verum quia nos eramus ibi, et representabamus Dominationem Vestram, volebat nobis intimare, quod die Veneris precedenti gener suus Nicolaus Claudus de Spilimbergo fuerat ad castrum suum pro parte et cum litteris domini Karoli et aliorum Baronum, sibique notificari fecerat, quod volebat ipsum alloqui; quod licet facere voluerit multis alijs vicibus, quibus ad eum fuit, nunc propter condictiones presentes fecit; et dum esset secum ille gener suus, presentavit sibi litteras predictas domini Karoli, in quibus hortabatur ad providendum factis suis, et quod non permitteret se destrui, et loca sua, et quod bene videbat conditionem Dominationis Vestre, cum multis alijs circa hoc facientibus. Ipse autem visis et intellectis dictis litteris, et intellecto genero, habuit respondere; quod volebat terminum octo dierum ad respondendum. Et cum his verbis dictus ejus gener recessit, et quod propterea nos rogabat, quod predicta deberemus nota facere Vestro Dominio, quid velle non debere destructionem suam; quia ipsum Vestrum Dominium poterat esse certissimum, quod semper in quocunque statu et conditione essent, ipsi essent Vestri Dominij, ut nunc sunt, cum multis alijs verbis circa hanc sentenciam. Et super hoc dixit misisse suos Ambasiatores Venetias pro parte sua, et domini Rambaldi. Nos ipsis verbis auditis hortati fuimus eum per omnem modum quo scivimus ad perseverandum in proposito suo, dicentes quod non dubitarent, quod pro certo Dominatio Vestra habebit ipsos et facta sua ut propria recommissa; et quod super hoc vos nobis dederatis speciale mandatum, quod de ipsis et rebus suis deberemus facere et procurare ut de rebus principalibus Vestri Dominij. Sensimus in Sacilo, et etiam postquam hic fuimus aliunde habuimus, quod Januenses voluerunt vendere Clugiam Domino Padue ducatis L^{m}; et quod dum esset quasi completum concordium, ipsi Januenses presenserunt quantum Dominatio Vestra habebat et percipiebat de introitibus ipsius Clugie, ex quo postea retraxerunt se a mercato, et dicebant postea quod volebant CC^{m} ducatos. Quod notum facimus Vestro Dominio, ut si sibi

videretur, posset procurare per viam domini Marchionis, vel aliter per alium secretum modum de habendo dictam terram; cum ipsi Januenses hoc facere possint non contrafaciendo lige, quam habent cum colligatis; et etiam ista pecunia converteretur in galleis, propter quod essent promptiores ad dictam venditionem. Tarvisij ultimo Augusti.

20) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Ultra ea que Dominio Vestro nota fecimus per litteras nostras datas Tarvisij ultimo Augusti, habuimus heri per fratrem Katharinum socium domini Generalis, quem ipse ad nos misit hora XXII., quod hora sexta dicti diei sex Ambasiatores Januensium applicuerant ad campum, et quod dominus Karolus eis parari fecerat praudium, ac dari fecit tendam sui Mareschalchi; et quod Dominus Padue, qui propter malum suum reduxerat se ad campum Sancti Petri, misit pro domino Cardinali, qui ivit ad eum, et cum eo secundum voluntatem domini Karoli ivit dominus Cardinalis predictus. Et dicit dictus frater Katharinus, quod dominus Generalis sibi dixit, quod Dominus Padue patiebatur febrem tercianam duplam cum maximo anelitu. Causam autem, propter quam miserit per dominum Cardinalem Padue, non bene scire potuimus; et dicitur quod Dominus Padue gravatur de his, que dominus Karolus et alij Barones tractaverunt nobiscum absque conscientia sua. Dixit etiam, quod dominus Karolus et alij Barones de Vngaria turbati fuerant contra Dominum Padue, quia ante recessum suum non visitavit eos, propter quid Dominus Padue immediate misit filium in campo ad visitandum Dom'nos et Barones suprascriptos. Sensimus etiam nunc per tres ex illis, qui fuerant pridie capti cum barchis in Silere, qui redempti sunt, quod habent habundantiam et bonum forum victualium in campo, et quod dum recederent de campo, ipsi viderunt multos equitare, et petentes quo ibant, intellexerunt, quod ibant versus Dominum Padue, qui redibat ad campum. Que cum habemus, Vestro Dominio facimus manifesta. Inimici heri et hodie combuxerant aliquas domos, que remanserant extra portas Tarvisij; causam autem nescimus bene pensare. Expectamus de

hora in horam, quod isti pro nobis mittant, quod nondum fecerunt. In instanti hora sensimus per unum vestrum Comestabilem de Brixia, qui fuit captus ab inimicis, et ivit ad campum pro solvendo taleam suam; quod dominus Patriarcha hodie hora quinta diei applicuit ad campum cum lanceis circa XL; et quod dicebatur in campo, quod Ambasiatores Januenses recesserant de campo; et quod dixerant ista verba, quod isti tractarent de pace suo modo; quia aut oportebat quod Veneti essent sub ipsis, aut quod ipsi essent sub Venetis. Et dum peteretur per nos, que gens potuerit esse illa que equitavit, ut illi tres nobis dixerunt; dixit quod credit, quod fuerint gentes que ibant versus filium Domini Padue. Tarvisij primo Septembris hora XXII.

21) A velenczei dogének a követek.

Excellentissime Domine noster. Hodie expectantes ordinem domini Karoli de essendo secum et cum alijs Baronibus et colligatis, ipse dominus Karolus misit pro nobis hora sexta diei; et cum Nuncijs suis venit dominus Generalis, qui ante exitum nostrum de burgis Tarvisij fecit nos descendere, et dixit: quod heri dominus Karolus et alij omnes Barones, Patriarcha, filius Domini Padue, Januenses, et omnes colligati fuerant simul; et dum proponeretur per dominum Karolum, quomodo dominus Rex miserat eos ad tractandum de pace, et quod bonum erat modo, quod omnes colligati simul erant, de illa pace tractaretur; Januenses responderunt omnino nolle attendere ad pacem. De quo dominum Karolus et alij Barones ostenderunt se turbari; et videtur, quod tractantibus ipsis de dicta materia, unus Januensis habuit dicere quod dominus Rex eos deceperat, et talia et similia verba. Quem dominus Magnus Comes intellexisse videtur, et iratus valde cum eo prorupit in gravissima verba; et dicitur, quod illi Januenses parari fecerant equos, currus et omnia sua, ostendentes velle recedere, et nullomodo attendere ad pacem. Quia dicunt, quod bene sciunt, unde et quomodo poterunt habere intentionem eorum de Civitate Venetiarum. Nam dicunt velle ponere campum ad Mathemaucum, et per vim venire ad capiendum stechatum dicentes; et quod nolunt de Vngari

nisi mille; quod bene scandaraverunt (igy) omnes aquas circum circa Venetias, et quod bene sciunt, quomodo debent facere, et quantum aque est in unoquoque loco, et cum aqua plena et non plena; addentes quod venient a tali parte, quod ymaginari nescimus; concludentes, quod bonum erat, quod non daretur nobis audentia. Hoc autem audientes dicti Barones responderunt eis, quod secundum mandatum Regium necesse erat, quod ipsi forent super tractatu pacis; et quod bonum erat, quod tractaretur; et in casu quo concluderetur cum honore Regio et colligatorum, bonum erat; quando autem hoc esse non posset, ipsi non offerre volebant mille Vngaros, imo esse volebant omnes ad factum, et quod volebant esse primi qui forent ad pugnam, primi qui forent ad predam, et primi qui forent ad damnum Civitatis. Et ultra hoc procuraverunt, quod remanserunt et determinaverunt de audiendo nos. Dixit etiam dictus dominus Generalis, quod Dominus Padue iverat Paduam, et per ea que videri poterant, ipse etiam non videretur dispositus ad pacem. Dixit insuper, quod Januenses predicti usi fuerant satis levibus verbis, et sine debita reverentia, et pro parte sue Communitatis et sua in honorem domini Karoli, et quod de hoc ipse et alij Barones turbati gravabantur. His auditis ivimus ad campum, ubi dominus Karolus castra mentatus est; et intrantes tentorium suum, fuimus ad presentiam suam; cum quo erant dominus Cardinalis Padue, dominus Patriarcha cum duobus suis Consiliarijs, filius Domini Padue cum domino Paganino et domino Antonio Vicario suo, et sex Ambasiatoribus Januensium, et omnes Barones Regij, et Episcopus Jauriensis. Et positis nobis ad sedendum, et presentata domino Karolo una littera credulitatis, quam habebamus, exposuimus illa verba generalia, de quibus fit mentio in littera quam misimus per Perinzolum data die XXVIII. hora XVIII. Quibus verbis expositis, ipsi fecerunt nos recedere de tentorio, et stantes bene per quatuor magnas horas simul, fecerunt postea nos vocari, et dixit dominus Karolus ista verba: »Nos audivimus et inteleximus Ambasiatam vestram; ipsa continet verba generalia; ad talia verba non daremus vobis responsionem. Si vos habetis alia dicere, vos potestis dicere; et istud dico de consilio

omnium istorum«. Quibus verbis auditis retraximus nos parumper, et deliberatis his verbis inter nos, sic diximus : »Quod sicut intellexerant, Dominatio Vestra volebat pacem cum Serenissimo domino Rege et colligatis suis; et quod erat parata facere erga ipsum et ejus colligatos ea, que deberent esse placibilia domino Regi, pro se et colligatis suis. Sed nesciremus vaticinari, nec pensare, que ipsi domino Regi et colligatis suis debeant esse placibilia; et propterea ipsi habebant petere, sicut est de more tractantium, et nos postea responderemus«. His auditis dominus Karolus dixit, quod hec verba erant quasi ejusdem effectus cum primis, licet forent plura verba; et propterea deliberate respondebat, si nolebamus alia dicere, iremus cum Deo. Et stantibus sic aliquantulum, requisivimus quo debebamus ire. Et dominus Karolus dixit, quod rediremus Tarvisium, et sic fecimus. His sic per nos actis, notificamus Dominationi Vestre, quod sicut ipsa scit per ultimum mandatum quod habuimus, postquam hic fuimus, nos non possumus nos elargare plusquam elargati sumus, nisi in illis duobus capitulis cum verbis tamen generalibus. Et propterea, quia videmus, quod Januenses nullo modo attendunt ad pacem, et quod similiter facit Dominus Padue, ut creditur. Imo creditur, quod simulate iverit Paduam, et quod isti videntur habere frequentiam magnam, et similiter dominus Karolus; dubitamus immense, quod non valentes nos amplius elargare, isti licentiabunt nos per talem modum, quod nollent nos expectare aliquod vestrum mandatum; et ideo Dominatio Vestra provideat huic tam arduo negotio, ut sibi placet, declarando nobis suam intentionem finalem, si sibi placet, super capitulis illi missis, et super omnibus alijs que tangere possent colligatos; cum credamus, quod incipiet tractari primo super factis colligatorum domini Regis, et in hoc faciemus posse nostrum. Redeuntes de campo intelleximus a persona fidelissima Vestro Dominio, que diliget statum Vestre Dominationis sicut nos ipsi, quod intentio firma Januensium erat de ponendo campum suum in Mathemauco, et quod firmissimam spem habebant obtinere et vincere stecatum, a parte terre cicius quam a parte maris, tam cum hedificijs quam cum igne et multitudine balistrariorum suorum. Que persona nota

fidelitate maxima, nos instantissime rogavit, quod hec nota faceremus Dominio Vestro, quod pro Deo fortificaret ita et taliter dictum stecatum Sancti Nicolai, tam a parte terre quam a parte maris, quod de ipso non posset aliqualiter dubitari; et de hoc nos Dominationi Vestre cum omni instantia et fidelitate humiliter supplicamus. Nec extimamus, quod Dominatio Vestra posset habere tot gentes armigeras et balistrarios, quin essent necesse ad substinendum fortiliciam predictam, ad maximam spem, quam isti habent in vincendo illam, et ad multitudinem gentium quam habebunt; quia ibi clare pendet conservatio status vestri. In campo sunt Ambasiatores Comitis Virtutum, Ambasiatores dominorum Ducum de Austria, Ambasiatores Bononie; et, ut dicitur, cras hic expectatur unus Dominorum Verone, et Ambasiatores Ferarie; et aliqui dicunt, quod dominus Marchio personaliter est venturus. Tarvisij tercio Septembris, hora quinta noctis.

22) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Hodie volentes procurare de sentiendo disputationes factas heri in Consilio domini Karoli cum omnibus colligatis, et de intentione Januensium, fuimus cum domino Generali; et ordinavimus, quod mitteret fratrem Katharinum ad dominum Episcopum Jauriensem cum duo bocacio malvasie, et cum his verbis: »Dominus Generalis mittit vobis de malvasia sua, et dicit quid de eo mandat Paternitas Vestra, ipse est paratus ad mandata vestra«. Ille frater Katherinus redivit, et dixit quod dominus Episcopus dixerat, quod dominus Generalis ire deberet ad ipsum; et sic habita per nos plena informatione de his que dicere, et de quibus informare et provisum reddere debebat dominum Vicarium predictum, ivit ad campum; et fuit cum Episcopo, qui sibi dixit: »Ego misi pro vobis duabus causis, primo pro informando vos de disputationibus hesternis, secundo ut provideatur de procedendo ulterius ad tractatum. Heri nos fuimus in maximis disputationibus et debatibus cum istis Januensibus; breviter, ipsi nullo modo volebant, quod tractaretur de pace, nec quod daretur vobis audientia; dicentes, quod non erat conveniens, nec cum honore nostro, quia nos

stabamus in bonis lectis et in domo nostra, et ipsi stabant in campis cum maximis incommodis et sinistris; petentes auxilium Vngarorum solum de mille personis et promittentes sub magna pena dare sibi litus Sancti Nicolai«. Cui rationi immediate responsum fuit per Renerendissimum dominum Cardinalem; nam dixit, quod nos essemus valde contenti esse in campis cum tanto exercitu ad obsidionem unius sue Civitatis, et quod ipsi starent intra civitatem in bonis lectis, et in cabia et carcere, sicut dici potest nos stare; concludendo, quod invenirent aliam rationem, quia illa non bene valebat. Postea dominus Karolus, audito filio Domini Padue, qui dixit in dicto Consilio, quod pater suus nolebat recedere a voluntate domini Regis; et dominus Patriarcha dixit, quod malum erat, quod Civitas Veneciarum destrueretur, et quod bonum esset, quod darent se in manibus domini Regis, qui faceret postea justiciam alijs colligatis; respondit ad rationes Januensium, et primo ad primam partem de non-audiendo nos etc.: quod habebat in mandatis a domino Rege de audiendo nos, et essendo super tractatu pacis; et quod volebat facere secundum mandatum Regium. Tunc Januenses dixerunt, et contentaverunt, quod audiretur Ambasiata nostra; concludentes, quod si ipsi volebant postea tractare de pace, tractarent; quia ipsi nullomodo interesse volebant. Et sic nos audiverunt, ut heri scripsimus. Ad aliam autem partem de subsidio quod petebant, videlicet solum de mille Vngaris; responsum fuit per dominum Karolum, quod non negabant sibi subsidium; sed volebant tractare primo de pace, et in casu quod procederetur ad guerram, ipsi volebant omnes esse; quia non esset honor Regius, quod vexillum Regium iret minus bene sociatum, quam vexillum alicujus Regis mundi, nedum Communitatis; et quod ipsi volebant mittere decem de suis Nobilibus expertes in factis terrestribus armorum, qui videant ad oculum id, quod ipsi dicunt, et in casu quo procedatur ad guerram, intendunt procedere, et se regere secundum consilium predictorum; quia melius cognoscent facta terrestria quam ipsi Januenses. Qui quidem decem Nobiles recesserunt cum ipsis Ambasiatoribus Januensium hodie summo mane pro eundo ad videndum locum predictum et Insulam Sancti

Nicolai. Quibus dictis per ipsum dominum Episcopum Jauriensem domino Generali predicto, ipse respondit: quod bene fecerunt ad mittendum dictos Nobiles. Et super facto litus, secundum informationem quam sibi dederamus, respondit: Volebat eos facere previsos, quod fortilicia litoris erat fortissima toti mundo; et in casu quo ipsi Barones cum gente sua permitterent se poni in terram in litore predicto, ipsi principaliter substinerent omnia pericula in personis eorum in debellando fortiliciam predictam; et si oporteret eos reducere se in galleis, non possent facere ullo modo; et in casu quo ipsi obtinerent fortilitiam predictam, non possent propter hoc aliquid facere Civitati Venetiarum, quia non possent venire Venetias; sed ipse galee essent ille, que possent ire Venetias; et in casu quo obtinerent eorum intentionem de Civitate predicta, ipsi Januenses haberent dominium Civitatis predicte, et utilitatem predarum, et ipsi Vngari, qui permansissent in litore et essent, forent carcerati, Januenses si vellent, et in manibus eorum si vellent. Quantum autem ad secundum, de procedendo ulterius ad tractatum, ordinavimus de eundo cras ad ipsum dominum Karolum et alios Barones, secundum quid videtur esse de intentione ipsorum, ut nobis retulit ipse dominus Generalis; et exponemus eis clare, quod concordium solum cum domino Rege absque aliquo colligatorum non habet nos relevare ab oneribus, in quibus sumus presentraliter impliciti per galeas Janenses; et quando Januenses pur nollent ad concordium descendere, necessarium omnino esset, quod essemus concordes saltem cum Domino Padue et domino Patriarcha, quia factis dictis concordijs et recte procedendo in ipsis, bene posset teneri modus, quo Januenses non possent multum nocere nobis. Circa que cum omnibus modis et viis, quas poterimus, instabimus, toto posse nostro. Verum Dominatio Vestra bene scit mandatum quod habemus, a quo nullo modo recedemus; sed bene considerare potestis, quid facere possumus. Unde dignetur Dominatio Vestra super hoc providere, ut sibi videbitur expedire et sine mora, cum isti non sint dispositi dimittendi se ducere in longum. Sentimus a campo per dominum Generalem redeunem a campo, quod dominus Patriarcha ostendi fecit unam

litteram domino Karolo, quam habuerat de Istria; in qua continebatur, quod gentes sue habuerant insulam, et quod nostri cum duabus galeis et una galeota iverunt illuc et recuperaverunt dictam terram, et erant infalibiliter habituri Castrum, in quod se reduxerant multe gentes sue; et quod defecerant in dicta pugna duo notabiles milites domini Patriarche, propter quam causam immediate dominus Patriarcha de campo recessit. Dixit etiam, quod filius Domini Padue facit se infirmum, et quod pater miserit pro eo, et quod propterea cras recessurus est omnino de campo. Opinamur quod ista fictitie fiant, ut tractatus pacis non habeat locum. Nostro juditio, cum omni reverentia loquendo, in casibus, in quibus sumus, duo remedia sunt procuranda; primo de habendo concordium cum Domino Padue per tractatum occultum, vel aliter, sicut melius videretur, vel cum Januensibus; secundo de fortificando ita litus gentibus armigeris et fortilicijs ac balistrarijs, ad quod isti summe vigilant, quod non sit dubitandum de eo. Habuimus securum conductum pro cabalarijs istis deferentibus litteras istas, quare dignetur Dominatio Vestra per ipsos cabalarios vestram responsionem nobis mittere super predictis litteris quam celerius esse potest. Tarvisij IIII. Septembris hora II. noctis.

23) A velenczei dogének a követek.

Excellentissime Domine noster. Hodie de mane, secundum quod per litteras nostras datas heri hora secunda noctis, et secundum ordinem, quod dominus Karolus heri sero hora tarda misit nobis dicendo; significamus Dominationi Vestre, quod ivimus ad campum ad dominum Karolum et alios Barones Regios, et cum fuimus ad presentiam ipsorum, ipse dominus Karolus dixit: »Vos potestis comprehendisse ex responsione vobis facta intentionem colligatorum nostrorum, et dispositionem eorum. Vos scitis terminos, in quibus in Sacilo remansimus; bonum est, quod simus in concordio, et quod ponamus finem factis nostris«. His verbis intellectis et parumper semotis, deliberavimus inter nos de volendo retrahere omnes terminos nostros, ad quos ultimo deveneramus in Sacilo; videlicet, quod bonum erat quod antequam ad ulteriora

procederemus, sciremus intentionem colligatorum, et quomodo debebamus vivere cum eis, ut hoc scito postea possemus facere erga dominum Regem ea que forent honesta, et cum honore suo; nam intentio nostra erat nullo modo promittere ea que non possemus attendere etc. Cum hac intentione de voluntate et beneplacito eorum veneramus huc; et sicut ipsi sciunt, fueramus simul cum colligatis, sed non poteramus scire intentionem eorum, et quomodo vivere debebamus cum eis; et quod propterea non videbamus modum, quomodo possemus procedere ad ulteriora, nisi hoc sciremus, secundum quod alias diximus, et secundum quod eis consonum visum fuit; petentes, quod si placebat eis, deberent nobis dicere de intentione eorum colligatorum, et modum et viam quos tenere debebamus, ut possemus scire, quomodo facere et vivere debebamus; allegando rationes alias tactas per nos, videlicet, quod sola pax domini Regis non relevabat nos ab oneribus Januensium, in casu quo nollent condescendere ad pacem reducerentur ad volendum; concludendo, quod erant multi modi et multe vie, per quas ipsi Januenses cogerentur ad pacem vel recedere de partibus in quibus erant. Dominus autem Karolus intellectis predictis dixit, quod paulisper eis cederemus; et stando sic per modicam horam, nos vocari fecit et dixit, quod libenter audiret a nobis modos et vias, quibus reduci possent ipsi Januenses ad pacem, vel cogi ad recedendum de partibus in quibus erant. Nos autem respondimus, quod senseramus, quod intentiones Januensium erant obtinere, si possent, dominium Civitatis Venetiarum, et predam ipsius Civitatis, cum personis Vngarorum et periculo ipsarum; in hunc modum videlicet, quod credebant reducere dominum Karolum et alios Barones domini Regis ad descendendum in litus Sancti Nicolai cum gente sua vel parte ipsarum, ad debellandam fortiliciam Sancti Nicolai, que juditio omnium expertorum in armis inexpugnabilis est. Et in casu quo non possent ipsam obtinere, quia inde non possent recedere, nisi cum galeis Januensium, arbitrantur inducere ipsos Barones ad volendum eam pacem, quam ipsi Januenses vellent; si vero obtinerent fortiliciam predictam, quia de Insula Sancti Nicolai non potest iri Venetias nisi per mare; eo casu cogitaverant ire ad experiendum

cum galeis suis de habendo dominium Civitatis Venetiarum, et predam ipsius, relictis ipsis Vngaris in insula predicta; et tamen in eorum reversione de Venetias esset in arbitrio dictorum Januensium facere et disponere de dictis Vngaris sic in insula relictis quicquid vellent. De qua intentione si desperarent in totum ipsos Januenses, ut rationabiliter facere debebant, quia clare cernere et videre poterant, quod dicta Januensium intentio erat contra honorem Regium, et bonum ac securitatem personarum suarum, et cedere posset solum ad bonum et utilitatem ipsornm Jauuensium, ipsi Januenses disponerent se ad volendum pacem. Et in casu quo ad ipsam nollent condescendere, ipse dominus Karolus et alij Barones pro parte Regia haberent rationabilem causam dicendi ipsis Januensibus, quod parati erant dare eis pacem honorabilem et condecentem. Et in casu quo ipsam nollent ex toto, ipsi credebant, dominum Regem excusatum esse Deo et toti mundo, si cum alijs faceret facta sua; quoniam sacramentum factum per dominum Regem in liga predicta, de Jure non astringeret eum ad faciendum ea que forent injusta et inrationabilia, sed potius perjurium putaretur. Et si cum his verbis reduci non possent ad pacem, alius modus erat concordandi nos cum domino Rege, Domino Padue, et domino Patriarcha; et quod Dominus Padue denegaret eis victualia et refrescamentam de partibus suis; et ipsi pro parte Regia revocarent galeas suas Dalmacie, et facerent eas ire ad custodiam terrarum suarum Dalmacie, et non darent sibi victualia de inde, et clauderent portus suos Dalmacie. Per istos enim modos opinabamur clare, vel quod ipsi Januenses reducerentur ad volendam pacem, vel cogerentur defectu victualium recedere de partibus Clugie, et se reducere ad partes remotas; maxime quia desperati de intentione predicta, magnam causam habebant condescendendi ad pacem propter mala et pessima nova que habuerunt de partibus Pere et Janue contra statum eorum; tangentibus etiam nobis pro inducendo eos contra ipsos Januenses, quod si ex forma lige Venetie, ut intellexeramus, esse debebant domini Regis; si aquirerentur, quod civitas Clugie et Gradum erant partes Venetiarum, et quod debebant esse in manibus et potestate domini Regis, si liga

stabat, ut intellexeramus, et ut superius dictum est. A quibus aliquantulum seperatis, et revertentibus nobis responderunt; quod nullo modo recedere intendebant a colligatis suis, nisi primo essemus in concordio cum eis, et quod non erat tempus amplius dilatandi factum, et quod deberemas eis exprimere intentionem nostram super concordio cum domino Rege. Quia in proximo levaturi erant campum suum, et ituri versus Sanctum Nicolaum, nil aliud expectantes nisi informationem dictorum decem Nobilium suorum, quos miserant ad videndum conditionem et situm dicti loci; et quod non poterant differre nisi usque ad diem Mercurij, vel ad longius usque diem Jovis. In casu vero quo concordium sequeretur cum eis, nos faceremus eos de inimicis amicos, et tanquam pro re propria domini Regis ipsi conarentur cum Januensibus, Domino Padue, et domino Patriarcha ponere nos in pace, et quod dominus Rex super hoc auditis juribus partium justiciam faceret. Quamquam a domino Episcopo Jauriensi audiverimus ista verba venenosa, quod dominus Rex potius vellet gravare suos de Civitate sua, quam colligatos suos, si haberet Dominium, et remanere in discordia secum. Et in casu quo colligati nollent contentari ad hoc, ipsi parati erant, specialiter contra Dominum Padue et dominum Pairiarcham, quos tamen non putabat velle recedere a voluntate Regia, extendere potenciam eorum super territorijs eorum, et eos inducere per vim ad faciendum intentionem eorum predictam; similiter etiam mitterent de gentibus suis super territorium Januensium, et per vim inducerent eos ad compositionem nobiscum. Quibus verbis respondimus, sicut alias feceramus, quod concordiom solum cum domino Rege non relevabat nos ab oneribus Januensium, quibus gravati eramus; et quod non videbamus modum procedendi ulterius, nisi tractaretur saltem simul et semel de concordio cum domino Rege, cum Domino Padue et domino Patriarcha; nam intrare territorium Januensium, et Domini Padue non erat ita leve, ut ipsi credebant; et hoc alias experti fuimus saltem de territorio Paduano. Et cum his verbis recessimus ab eis, dicente domino Karolo, quod usque diem crastinam deberemus super hoc cogitare, et ire ad presentiam suam. Credimus enim, quod stan-

tibus nobis in istis terminis, quia aliud facere non possemus, nec etiam videretur nobis faciendum, ipse licenciabit nos, et in dicto casu pro posse conabamur petere aliquem terminum ab ipso domino Karolo, ut predicta per nos vel aliquem nostrum vel aliter possimus notificare Dominio Vestro, et expectare responsionem suam; asserentes, predicta de necessitate oportere nota facere Dominationi Vestre, que nunquam pensare potuisset, hec devenisse ad terminos predictos. Bene enim pluries nobis dixit dominus Karolus predictus, quod Januenses dicebant tractari debere de pace pro honore Regio super litore et catena vestra; concludens, quod nisi hec fierent hic, ibi male fieri poterunt; quia omnes erunt sub armis, et attenti ad alia quam ad pacem. Concludimus ergo ex his omnibus, considerata magna spe, quam Januenses dederunt istis de obtinendo fortiliciam Sancti Nicolai, quod habita informatione suorum, qui iverunt ad supervidendum locum predictum, que erit, ut putamus, secundum intentionem Januensium; habito respectu etiam ad cupiditatem lucri: quod ipsi immediate, se transferrent ad locum predictum. Nec credimus, quod effectualiter ad aliquem tractatum pacis procedant ultra modum suprascriptum petitum per eos, nisi experiantur quomodo se invenient in pugnanda fortilicia predicta. Quod etiam satis expresse dominus Karolus nobis dixit, dicendo, quod non putabant decipi a Januensibus; et esto quod possent decipi, facere volebant debitum suum. Et pro tanto cum omni reverentia et fidelitate Dominio Vestro instantissime supplicamus, quatenus dignetur omnibus postpositis attendere et attendi facere circa omnem fortificationem possibilem fortilicie predicte, tam a parte maris quam a parte terre, ac etiam catene portus vestri, et quod ibi sint gentes armigere et balistrarij in quam majori numero fieri poterit, cum isti confidant multum posse obtinere intentionem suam per ea que videmus, propter multitudinem balistrariorum, quam habent Januenses, et Vngarorum, Theutonicorum, ac hominum armigerorum, quos ponere intendunt super litus predictum. Dicunt enim, quod propter multitudinem gentium, quam habebunt, dabunt omni die multa et sepissima prelia, que finaliter gentes vestre substinere non poterunt. Habuimus

etiam ab illo fidelissimo Dominationis Vestre, de quo heri vobis scripsimus, quod ab ore proprio domini Karoli habuit, quod totus Status Dominationis Vestre pendebat in substinendo viriliter fortiliciam predictam; et pro tanto ipse fidelis hortabatur nos, quod iterato scriberemus Dominationi Vestre de fortificatione fortilitie litoris predicti, et quod esset bene munita balistrarijs et gentibus armigeris, que melius se haberent quam in Clugia, ubi utilissime se habuerunt, ut dicit. Duas litteras Dominationes Vestre, et duo brevia ipsius heri hora quinta noctis recepimus cum copia pacis Vallis, et copiam responsionis facte per Januenses damnis fidelium Dominationis Vestre de Cipro, et copiam damnorum Pere; et bene et diligenter intelleximus, que in dictis litteris et brevibus continentur. Filius Domini Padue recessit de campo cum gente sua, et nullus alius remansit preter dominum Cardinalem Padue. Et scriptis his intelleximus, quod dominus Suter Petrus, qui fuit presens nobiscum verbis hodiernis, recessit de campo, et ivit versus Paduam. Unus Dominorum Verone, sicut scripsimus alias, hodie venit ad campum; causam autem nescire potuimus. Scriptis omnibus prescriptis recepimus litteras Dominationis Vestre datas Venetijs die quarto hujus mensis, continentes libertatem nobis traditam per Dominationem Vestram super aliquibus capitulis nobis datis per Barones domini Regis, ipsum dominum Regem tangentibus, ac etiam libertatem per Dominium Vestrum nobis datam in his, que tangunt quemlibet colligatorum ipsius domini Regis. Et quia ex forma dicte littere clare comprehendimus, quod ipsa libertas nobis data per Dominationem Vestram non extenditur, nisi in casu, quo tractari possit concordium cum domino Rege et omnibus colligatis suis; supplicamus Dominationi Vestre, quod dignetur nobis declarare, si concordium sequi non posset cum omnibus predictis, et possimus facere concordium cum Baronibus domini Regis, pro parte ipsius domini Regis solum, cum libertate nobis attributa in casu suo per ipsas litteras, si placet Vobis, quod nos faciamus. Insuper etiam si possemus facere cum domino Rege et aliquo colligatorum suorum vel aliquibus, sed non omnibus, secundum libertatem nobis in dictis ultimis litteris attributam, si placet vo-

bis, quod hic faciamus. Hec ideo scribimus Dominationi Vestre, quia omnes colligati hinc recesserunt, ut in his litteris continetur, et propterea nobis difficile videretur, quod simul et semel cum omnibus concludi posset. Cetera autem contenta in dicta littera plene intelleximus, et ipsa pro posse conabimur adimplere, ac factum in longum deducere, quantum poterimus; licet difficilimum nobis videatur per ea, que habuimus a domino Karolo in presenti littera contenta, illud prorogare ultra diem Jovis proxime futurum. Tarvisij quinto Septembris hora IIII. noctis.

24) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Quia in uno puncto litterarum, quas misimus per providum virum Johannem Plumacio, Excellentie Vestre scripsimus, quod Suder Petrus recesserat de campo et iverat Paduam; nunc eidem notificamus, quod intelleximus missis predictis litteris, quod cum eo etiam iverant dominus Episcopus Jauriensis, et dominus Jacobus Ispanus; et ut imaginari possumus, iverunt propter verba, que sibi tetigeramus, quando fuimus secum, contenta in dictis nostris litteris, quid dominus Generalis dicit notificasse Vestro Dominio; quia hora qua predicta scivit, erat ita tarda, quod non potuit nobis ea facere manifesta. Et sicut putamus, predicti Barones nondum redierunt ad campum; quia debebamus esse simul, sicut per ipsas litteras scripsimus, et ipsi non misserunt adhuc nobis scortam usque ad horam presentem. Sensimus hodie de mane per duos fratres venientes de Padua, quod Dominus Padue proclamari fecerat, quod omnes gentes sue et ganzaroli sui pararent se, ita quod quando mandabitur eis, possint adimplere mandata. Insuper hora tercia diei presentis recepimus unum breve Dominationis Vestre datum sexto mensis presentis, in quo pro declaratione ad illum punctum dictarum litterarum nostrarum, portatarum per Johannem Plumacio; videlicet, si cum domino Rege solo possemus facere pacem, si placet Dominationi Vestre, quod ipsam faciamus. Ipsa Dominatio Vestra nobis respondet, quod factis omnibus experientijs possibilibus, si non possemus concludere in pace cum domino Rege, Domino Padue, et domino Patri-

archa, vel cum domino Rege et Domino Padue, secundum formam libertatis, quam ipsa Dominatio Vestra nobis misit; estis contenti, apparendo nobis utile et bonum, quod cum Dei gratia habeamus libertatem concludendi cum domino Rege solo, et cum domino Rege et aliquo vel aliquibus ex colligatis, sicut nobis utilius et melius apparebit secundum libertatem nobis nuper missam. Ad quod cum omni reverentia sic dicimus, quod Dominatio Vestra bene est informata de omnibus, sicut nos per litteras nostras, quas eidem de hora in horam transmissimus. Et propterea non videretur nobis de accipiendo istud onus supra nos; sed si cum domino Rege, domino Patriarcha et Domino Padue poterimus concludere, vel cum domino Rege et Domino Padue, concludemus secundum libertatem nobis datam; de quo tamen usque diem presentem parvam spem habemus. Et si non possemus concludere per aliquem dictorum modorum, tractabimus cum domino Rege solo; et quia extimamus in dicto casu valde utile ducere tractatum pacis in longum, si hoc facere poterimus, curabimus per omnem modum sagacem, et viam trahere quantum poterimus de intentione istorum, quam per unum nostrum vel aliter, sicut nobis utilius videbitur, notam faciemus Dominationi Vestre, que disponet et faciet sicut sibi videbitur fore melius. Breve Dominationis Vestre, quid ipsa mittit domino Federico Cornario alligatum, cum alijs duobus brevibus datis die quinto, uno replicato, et altero declarativo duorum punctorum bene recepimus, et ipsum per satis bonam viam eidem transmittimus. Tarvisij VII. Septembris hora IIII. diei.

25) A velenczei dogének a követek.

Excellentissime Domine noster. Per unum breve presentibus alligatum Excellentie Vestre scribimus, quod usque ad horam date ipsius, isti Barones Regij non misserant pro nobis. Nunc autem notificamus eidem, quod hora sexta diei ipsi miserunt pro nobis, et euntibus nobis ad campum, ipsi fecerunt nos ibi stare bene tribus horis, antequam nos facerent esse ad presentiam suam. Postea ivimus ad eos, et dominus Karolus dixit: »Domini, quid cogitavistis super terminis in quibus remansimus pridie, quando fuimus simul.« Nos autem respondimus,

quod cogitaveramus et recogitaveramus, et quanto plus cogetabamus, tanto videbatur nobis clarius comprehendere, quod pax cum domino Rege solo non relevabat nos ab oneribus et oppressionibus nostris; et quod propterea libenter vellemus esse in pace cum omnibus colligatis, quia volebamus eis facere ea que forent justa et rationabilia; et quando non posset esse cum omnibus, saltem esset cum domino Rege, Domino Padue et domino Patriarcha; et quod bonum est, quod ipsi forent presentes; et quod facerent petitiones suas, quibus taliter et talibus rationibus responderemus, quod ipsi clare cognoscerent, quod poneremus nos ad justa et honesta. His dictis eis cessimus, et stando per satis bonum spacium temporis, fecerunt nos redire. Et de mandato domini Karoli Episcopus Jauriensis dixit ista verba: »Domini, nos cogitavimus super factis nostris et vestris. Certe si diceremus, quod nesciremus intentionem colligatorum nostrorum, nos mentiremur; quia bene scimus illam. Et in veritate ipsi faciunt tales et tam altas petitiones, quod nos cognoscimus, quod quatuor tales Civitates existentes in bono statu non forent sufficientes ad implendum illas. Et certe cognoscimus, quod non tantum omnes dicte petitiones, sed aliqua ex illis esset in totum destructio illius Civitatis; quam nullo modo vellemus nec volumus. Et propterea secundum quod imaginati fuimus loquendo sincere et bono corde, videretur nobis, quod melior modus, qui teneri posset per Vos in hoc facto esset, quod vos daretis libere in manibus domini Regis; resersato tamen Vobis Ducatu et Consilio; et erit necessaria aliqua quantitas pecunie pro presenti pro aliquibus causis, quas exprimemus; et etiam de facto census tenebitur aliquis bonus modus. Et nos postea teneremus modum de faciendo, quod haberetis victualia, et quod vos faceretis istis illa que forent justa et rationabilia; et si nollent contentari, nos faceremus et procederemus contra eos, tanquam contra inimicos«. His auditis dum instaremus, quod nobis exprimerent intentionem colligatorum postquam eam sciebant, et multum et multum se retraherent; tandum dato nobis sacramento de non revelando ea alicui sine sua conscientia, ipsi nobis presentaverunt unam litteram missam per Dominum Padue domino Episcopo Jauriensi, in qua continebatur,

quod mittebat capitula inclusa in illa, que videbantur ei justa peti a Dominatione Vestra, reservando sibi libertatem addendi, et rogando quod si videbatur ei aliquid addere pro utilitate et bono suo, quod adderet quia dominus Rex sic faceret. Que capitula sunt XIII, sicut in copia his inclusa Dominatio Vestra videre poterit; licet ea non habuerimus in sicriptis, sed substantiam eorum ceperimus, ipsa semel legendo. Dixerunt etiam nobis aliqua capitula de intentione Januensium, et domini Patriarche, que similiter mittimus his inclusa, habita licentia ab eis. Istis capitulis lectis et auditis respondimus, quod sicut ipsi sciebant, bene per nos dictum fuerat in Buda, quod si ista pax tractaretur in Italia, nunquam fieret, propter injustissimas et enormissimas petitiones, quas colligati facerent, quod modo clare poterant videre; et quod ista capitula non erant conformia dictis per filium Domini Padue, qui dixerat, quod pater erat paratus facere secundum voluntatem Regiam; nec dictis nobis per dominum Jacobum et dominum Benedictum, quando ego Johannes veni Venetias. Qui dixerunt, quod Dominus Padue et alij non auderent recedere a voluntate Regia; et si ipsi non poterant eum removere a petendo tam injusta et inrationabilia, multo pejus eum removerent ad desistendum a novitatibus, et ad prebendum auxilium et favorem Januensibus. Tunc dixerunt, quod si hoc non faceret, quod cum proprijs personis contra Dominum Padue et Januenses nos juvarent; et quod nnnquam hinc se absentarent, nisi facerent, quod galee Januensium hinc recederent. Tunc quesivimus, per quem modum hoc facerent. Dixerunt: quod ponerent gentes super territorium Domini Padue; et quod mitterent super Januense, et facerent quod dominus Comes Virtutum esset eis favorabilis; et si expediret, facerent quod Domini Verone diffidarent Domini Padue. Respondimus, quod territorium Padue erat valde forte propter aquas quas habet; et quod statim eramus in hieme; et quod non possent habere victualia, nec etiam possent isto tempore super territorium Januensium transire, quia non haberent victualia, et quia statim sumus in hieme; et sic per istum modum male possent nos ab oneribus Januensium et Paduani relevare; et sic essemus domino Regi obligati, et remaneremus in guerra. Videntes autem,

quod omnino tendunt ad hoc, quod primo recognoscamus dominum Regem in Dominum, et quod simus in concordio de alijs capitulis cum eis; et quod postea contra colligatos, si ad pacem rationabilem descendere noluerint, nos juvabunt: tunc diximus, quod licet ad ea que dicemus non haberemus mandatum, et vellemus cum domino Zacharia socio nostro conferre; tamen nobis pro nunc iste modus videbatur minus honestus, quod ipsi nobis exprimerent, quid eis videbatur justum, nos facere debere Januensibus, Paduano et domino Patriarche. Quibus expressis, si nobis justa et rationabilia viderentur, quod ipsi promitterent nobis facere, eos contentari ad predicta in certum terminum statuendum; quod si facere non possent, quod nos non teneremur eis ad aliquam obligationem, promissionem, vel subjectionem eis factam, et ipsi non tenerentur nobis. Quia non erat conveniens, quod nos essemus obligati et remanere in servitute, et ipsi non possent fieri facere colligatos ea que deberent pro parte eorum, et habere guerram et stimulum Januensium et Paduani, ac si nihil fecissemus. Super premissis multa fuerunt dicta per eos et nos, et tandem deliberatum, quod ipsi volebant pensare usque diem crastinam; et quod nos etiam pensaremus, et quod conferremus cum socio nostro, et postea essemus simul. Putamus, quod propter accessum illorum trium, qui iverunt Paduam de novo, sicut scripsimus, ipsi consulte et terminate fecerunt colligatos suos facere hujusmodi enormes petitiones, ut citius nos possent inducere ad subjugandum nos domino Regi ad eorum libitum voluntatis. Cras enim ituri sumus ad eos, sicut superius continetur, et in quantum poterimus, instabimus, quod inducant colligatos suos ad justas et rationabiles petitiones. Quod si obtinere non poterinus, ut credimus, stabimus firmi in verbis supra proxime dictis; scilicet, quod nobis exprimant, que viderentur eis justa nos debere facere erga colligatos etc. Ad que si contentabuntur vel ne, tamen nos dicemus cum intentione, tamen quod vel contententur de predictis vel non, predicta intendimus per unum nostrum, vel aliter Vestro Dominio facere manifesta; quia, ut dictum est, non habemus mandatum ad predicta; consideratis tamen omnibus supradictis non videmus, nec cum Rege solo, nec cum aliquo ex

colligatis posse venire ad aliquam conclusionem pacis. Hodie venit huc unus ciuis Dominationis Vestre, qui, ut dicit, recessit de Ferraria jam sunt decem dies, et dicit, quod portabat unum breve domino Frederico Cornario; et dum esset hic prope heri, videns non posse evadere manus Vngarorum, projecit dictum breve in unam aquam molendinorum, quid erat ligatum inter duos lapides, secundum quod sibi mandabat dominus Federicus predictus. Que cum scivimus, immediate misimus ad videndum, si poterat reperiri, et non fuit repertum; avisamus, quando mittemus istud aliud breve, quid Dominatio Vestra nobis misit, dicto domino Friderico, sibi notificare predicta, ut possit illud replicare. Habuimus hodie a persona fidedigna, quod inimici Dominationis Vestre avixant per forciam quantitatis caratorum facere unam caram inter Mathemaucum et Sanctum Nicolaum, per quam possint ire navigia parva et magna et galee, et habere per ipsam intentionem eorum. Item ab alia persona sensimus, quod super duobus vel tribus grossis navigijs de vestris ipsi fecerunt fieri suas artificia et fusinas et ingenia, cum quibus sperant frangere catenam. Que cum habuimus, Vestro Dominio facimus manifesta, ut sit informata de omnibus que sentimus. Intelleximus etiam, quod isti intendunt levare campum die Sabati proximo. Ego autem Zacharias predictis non interfui, propter casum qui michi nudius tertius excurrit in cruce, quem debebat Dominationi Vestre dicere Johannes Gradonico. Dicimus, quod ista sunt ponderosissima negotia, et non tractanda per unum vel duos; et ideo Vestra Dominatio provideat, ut sibi placet. Tarvisij VII. Septembris hora VIIII. noctis.

26) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Sicut Excellentie Vestre scripsimus per litteras nostras datas heri hora nona noctis, fuimus nos Nicolaus Mauroceno et Johannes Gradonico cum domino Karolo, et alijs Baronibus Regis, ubi tractavimus secundum quod in dictis nostris litteris ordinate cavetur; que omnia placuerunt michi Zacharie Contareno, et de dicta intentione fui. Et secundum quod in dictis litteris continetur, ivimus hodie ad dictos Barones bona hora; sed antequam

iremus, nos predicti Nicolaus Mauroceno et Johannes Gradonico voluimus conferre cum dicto domino Zacharia socio nosstro, super modo, quem tenere debebamus ad respondendum ad terminos, in quibus remanseramus; videlicet, quod ipsi debebunt pensare et nos usque ad diem hodiernam de mane, et presente domino Generali et Gulielmo Notario vestro, inter nos fuerunt deliberate responsiones et conclusiones infrascripte, quas Dominatio Vestra videbit in processu eorum, que isto mane tractavimus. Et sic cum fuimus ad presentiam domini Karoli, ipse nos quesivit, quid pensareramus super factis nostris ad terminos in quibus heri remansimus. Nos diximus, quod sicut Excellentia Sua sciebat, remansimus in ista conclusione, quod ipsi cogitare debebant et nos usque diem hodiernam, et quod propterea, si placeret Excellentie Sue, libenter audiremus quid cogitaverunt. Tunc dominus Episcopus Jauriensis respondit, quod pensare nesciebant alium meliorem modum pro nobis, quam modum quem ipsi heri dixerant; videlicet, quod daremus nos libere in manibus domini Regis, cum illis modificationibus, videlicet, reservato Ducato et Consilio etc.; et quod postea tenerent modum de faciendo, quod inimici nostri, et colligati sui condescenderent ad iusta et rationabilia, et in casu quo nollent contentari de his que forent justa et rationabilia, ipsi procederent contra eos tanquam contra inimicos, et ponerent personas et vitas eorum pro nobis; de quo ipsi parati erant facere omnem promissionem et omne sacramentum, et scripturas, et adhuc dare litteras Regias de obligatione predicta. Nos autem his auditis diximus, quod contuleramus domino Zacharia socio nostro de excessivis et enormibus petitionibus, quas faciebant ipsi colligati, memorantes ipsi domino Zacharie effectualiter ipsa capitula, secundum quod ex lectura ipsorum percipere potuimus, et quod ipse dominus Zacharias non minus quam nos, et merito, de ipsis enormibus et excessivis petitionibus admiratus et turbatus fuit. Nam ut ipsi Barones heri nobis dixerunt, vix tota Italia adimplere posset, que in dictis capitulis continentur; et considerata summa justicia domini Regis, et quod semper odio habuerat injustitias et petitiones enormes, videbatur nobis, quod pro conservatione honoris Regij et ejus

fame ipsi, qui in partibus Italie representabant dominum Regem, non poterant cum minori facere, quam reformare et reducere ipsas petitiones sic enormes ad res rationabiles et honestas; et non dubitabamus, quod si vellent tenere illos modos et vias, quod possent, consideratis ipsis petitionibus colligatorum, in quantum erant excessive et enormes, ipsi eos reducerent ad volendum ea, que essent rationadilia et honesta; ut sciebamus quod erat et semper fuit de intentione Regie Majestatis. Et quando Januenses hoc nollent facere, non dubitamus, quod Dominus Padue, et dominus Patriarcha hoc facerent, nec auderent ullo modo recedere a voluntate Regia, secundum quod ipse Dominus Padue semper dixit, et pridie in collegio omnium colligatorum expresse dixerat filius dicti Domini Padue pro parte ejus patris. Et etiam ipsi omnes Barones nobis hoc dixerant, et specialiter dominus Jacobus Ispanus et Banus Benedictus, quando ego Johannes Gradonico veni Venetias; et quod ipse dominus Karolus non semel sed pluries ore proprio nobis dixerat, quod Dominus Padue modicam justitiam habebat contra nos. In casu vero, quod ipsi dominus Patriarcha et Dominus Padue nollent ad predicta condescendere; nobis videbatur, quod veniendum esset ad illas duas conclusiones, ad quas die precedenti devenimus; scilicet, quod ipsi Barones viderent et examinarent, quid eis justum et conveniens videretur, quid facere deberemus unicuique colligatorum; et nobis exprimerent particulariter et distincte. Que quidem si essent rationabilia, ut sperabamus, acceptarentur per Vos, cum dispositi eramus facere erga ipsos colligatos ea, que essent rationabilia et honesta; quibus petitionibus sic modificatis per ipsos et acceptatis per nos, ipsi Barones nomine Regio nobis promitterent, quod ad certum terminum statuendum per eos, omnibus modis et vijs quibus possent, reducerent ipsos colligatos ad petitiones et modificationes predictas; et in casu quo ad dictum terminum statuendum per eos hoc facere non possent, quod nulla promissio vel obligatio seu aliqua subjectio, quam fecissemus ipsis nomine Regis, in aliquo valeret, imo nullius esset momenti, et sic omnes promissiones quas ipsi nobis nomine Regio fecissent, essent etiam nulle, casse, et inanes. Per istum enim mo-

dum colligati reducerentur ad res rationabiles et honestas: non enim erat rationabile, quod nos submitteremus nos domino Regi, et ipsi nihil certum nobis promitterent; quia per illum modum remanemus in guerra et discordio cum colligatis, et in nullo relevaremur ab oneribus quibus eramus implicati per Januenses et Paduanos, et essemus facti sub Dominio domini Regis; quid ipsi rationabiliter velle non deberent. Dictis his, tunc conferendo per modicum tempus, fecerunt nobis responderi per dominum Jacobum Ispanum in hac forma: »Domini, nos cogitavimus multum super his factis, sicut diximus, et breviter non videtur nobis aliquis alius modus bonus pro vobis, et quem servare possimus in bona conscientia loquendo, nisi modus dictus per istos Dominos. Finaliter nos omnes sic dicimus vobis, quod si vobis placet, potestis facere, sicut tangitur in modo predicto, et nos faciemus vobis illas prommissiones quas diximus, et cum juramento, cartis et litteris Regijs; et habeatis pro certo, quod dominus Rex nollet infringere sacramentum et promissiones nostras; siu autem isti Domini omnes concorditer dicunt, quod pensetis de factis Vestris, et ipsi pensabunt de suis«. Huic responsioni replicavimus et respondimus cum illis utilibus verbis, que nobis visa fuerant, dicentes, quod cogitarent quantum vellent, quia nullum modum meliorem elligere possent, et cum majori honore domini Regis, quam esse nobiscum in concordio per modum suprascriptum, propter rationes alias dictas per nos. Quod ipsi omnes dixerunt verum esse; et separatis nobis paulisper dixerunt: »Nos volumus, quod dominus Generalis hic remaneat, nos dicemus et mittemus vobis hoc sero pro eo ea, que viderentur nobis juste per vos fienda Domino Padue; et vos superinde pensabitis, et postea eritis nobiscum, semper presupposito juramento nostro hesterno de non revellando predicta alicui nisi Dominationi Vestre, et domino Zacharie«. Nos autem diximus, quod similiter modificarent petitiones aliorum colligatorum, vel saltem domini Patriarche. Responderunt, quod pro modo volebant incipere a Paduano, et habita ista sua deliberatione, et informatione ab ipso domino Generali de modo quem habebant tenere super modificationibus cujuslibet dictorum capitulorum, et quantum essent nociva ipsa capitula

Statui Vestro, cum eorum licentia redivimus Tarvisium. Expectabimus modificationes quas portabit dominus Generalis, et ipsas cum omnibus alijs, que habuerit de presenti, nota faciemus Vestre Dominationi, et super ipsis pensabimus reducere eas, et adhuc procurabimus modificare cum omni avantagio Vestre Dominationis, notificantes eidem de die in diem, et de hora in horam, quicquid sequetur in factis predictis. Tarvisij VIII. Septembris hora II. noctis.

27) A velenczei dogénck a követek.

Excellentissime Domine noster. In fine litterarum nostrarum, quas heri hora secunda noctis per Zaninum scribam Camere Armamenti Dominio Vestro transmissimus, scripsimus, quod dominus Generalis remanserat in campo de voluntate domini Karoli et aliorum Baronum pro portando nobis modificationes, quas facere intendebant super petitionibus Domini Padue etc.; et quod usque ad horam date predictarum litterarum non venerat. Nunc vero notificamus Eidem, quod immediate post assignationem ipsarum nostrarum litterarum ipse venit, et portavit nobis capitula ipsius Domini Padue, que in campo videramus, et modificationem per illos factam; dicens, quod Barones mittebant ea nobis, ut ipsa capitula et modificationes examinaremus nocte preterita, et postea iremus hodie de mane ad campum. Quorum capitulorum et modificationum copiam Dominationi Vestre mittimus presentibus interclusam. Verum super ipsis omnibus contulimus cum domino Zacharia, et discusso bene negotio inter nos, deliberavimus concorditer de eundo hodie ad campum, et de faciendo infrascriptam responsionem ad ipsa capitula et modificationes singulariter, ut hic inferius ascribetur. Et requisiti primo per dominum Karolum, quid cogitaveramus super ipsis capitulis et modificationibus; narravimus, quod dominus Generalis predictas scripturas nobis presentaverat hora tarda, requirens secretum secundum formam sacramenti facti per nos, et quod non copiarentur, et sic promisimus; et procedendo diximus, quod contuleramus cum domino Zacharia socio nostro, et examinavimus modificationes factas per eos, quarum alique nobis satis videbantur honeste, alique vero

non Et primo venimus ad capitulum Tarvisij et Tarvisane etc., quid petit Dominus Padue, et ad ejus modificationem, que est, quod stetur juditio domini Regis. Diximus enim, quod de tali reformatione et modificatione non modicum admirabamur, et merito; cum ipse Dominus Padue, nec ejus progenitores nunquam aliquid facere habuerunt in Tarvisio et Tarvisana etc.; nec de dictis locis inter ipsum et nos unquam fuit lis vel contentio aliqua, sed ipsa loca Tarvisane et Cenete possedimus tanto tempore absque litigio et contradictione aliqua ipsius Domini Padue vel progenitorum suorum, et ideo non erat rationabile, neque justum, quod de ipsis locis Tervisane et Cenete possessis per nos tanto tempore, et que nullo modo pertinuerunt nec pertinebant ipsi Domino Padue, nec progenitoribus suis, nec in ipsis locis jus aliquid pretendere poterat ipse Dominus Padue, nobis moveretur questio, et quod deberemus nos ponere in judicio domini Regis de re tam clara et aperta; imo ipsi nomine domini Regis sui justissimi, pro honore Regio et ejus fama, cum reverentia loquendo, deberent hujusmodi petitionem nullomodo tanquam injustam et reprehensibilem admittere. Circa autem omnia alia capitula: quia sunt in ultima pace quasi omnia inclusa et contenta, diximus: quod obstante pace predicta, que voluntarie et consensu partium fuerat firmata ac sacramento roborata, cum omnibus clausulis et solemnitatibus oportunis, ipse Dominus Padue nichil de contentis in capitulis predictis petere poterat de jure. Nec dici poterat cum uero, quod ipse Dominus Padue tanquam strictus et necessitate coactus ad ipsam pacem devenit; nam tempore pacis predicte fortior erat in campis quam Dominium Vestrum, habebat enim favorem et auxilium domini Regis, et habebat in campo ultra Vngarorum IIII mille equites, quorum erant Capitanei domini Benedictus Banus et Suder Petrus Banus Sclavonie, istis verbis presentes et ea audientes. Insuper etiam diximus, quod si talis exceptio deberet admitti, nulla esset pax in mundo facta, vel que in futurum fieri posset, que per hujusmodi exceptionem non infringeretur; cum, ut plurimum in omnibus pacibus, una pars amat (?) aliam, propter quam seperationem altera pars ad pacem deducitur. Licet enim verum esset, quod propter pacem predic-

tam nichil de contentis in quasi omnibus alijs capitulis petere poterat ipse Dominus Padue; tamen, ut viderent bonam dispositionem, quam habebamus ad pacem propter honorem et reverentiam Regiam, parati eramus condescendere ad aliquas modificationes per eos factas, et aliquas cum reverentia reprobare cum causis rationabilibus et honestis, et que per eos rationabiliter approbari deberent, cum protestatione tamen, quod absque mandato Dominationis Vestre super predictis nichil approbare seu confirmare poteramus. Et primo ad reformationem eorum super primo capitulo de pactis et conventionibus; que reformatio in effectu dicit, quod omnia in dicto primo capitulo contenta sint ut prius erant usque captionem Voyvode; respondimus, quod licet obstante pace ultima hoc petere non posset Dominus Padue, tamen ipsa modificatio propter reverentiam Regiam, et ut viderent bonam dispositionem nostram, satis nobis placebat; si tamen approbarent alias nostras modificationes, quas faceremus modificationibus suis in alijs capitulis factis. Circa autem reformationem et modificationem suam secundi capituli que incipit. »Ad secundum capitulum sint termini etc.«, respondimus: quod ante captionem Voyvode, dum esset questio confinium inter nos et Dominum Padue, devenimus ad concordium, quod a parte Saucti Ylarij, et a parte Clugie, deberent esse certi confines in dicto concordio nominati; et quod usque ad centum annos per neutram partium super dictis confinibus questio moveri posset, ita quod secundum modificationem eorum in dicto capitulo factam videretur, quod stari deberet concordio predicto. Et termini concordij dictorum confinium erant ita clari, quod non erat necesse, quod per homines Regis poneretur; sed quia in dicto concordio de confinibus Tarvisane cum Paduano Districtu nichil erat dictum, propter reverentiam Regiam satis nobis honestum videbatur condescendere, si placeret Dominationi Vestre, quod elligerentur duo pro parte nostra, et duo pro parte Domini Padue, qui haberent super ipsis confinibus judicare. Super modificatione tercij capituli vero, que incipit: »Super tercio capitulo observetur sicut observabatur ante captionem prefatam« etc.; respondimus premissis supradictis, quod propter reverentiam Regiam etc. satis nobis honestum

videbatur. Super modificatione vero quarti capituli; quartum capitulum remaneat (?) sicut jacet; respondimus quod salva eorum reverentia talis modificatio non erat juridica nec honesta; nec etiam equalitatem habebat, cum redditus multorum Monasterioram, Hospitalium, orfanorum, viduarum, pupillorum et specialium personarum, quos ex forma pactorum Venetias conduci poterant Domini redituum predictorum, propter presentem guerram erant accepti per Dominum Padue, vel ejus Officiales, seu deputatos ab eo; nec erat conveniens atque justum, quod ipsos redditus ipse Dominus Padue, vel alij qui eos accepissent, deberent lucrarj; sed de jure et secundum Deum et justiciam debebant restitui quorum erant: eo maxime, quia ipse Dominus Padue in dicto capitulo petit et vult, quod omnes denarij, quos cives Padue haberent in Venetijs ad mutua vel ad frumentum, vel ad aliqua alia loca publica Civitatis Venetiarum, restituantur et debeantur eisdem. Nam ipsa pecunia seu denarij ipsorum de Padua, que et qui essent ad loca predicta, respondent annuatim dominis quorum sunt, certam pecuniam pro prode ipsorum. Ita quod ad equalitatem observandam ita esset justum et honestum, quod supradicta Monasteria, hospitales et speciales persone Venetiarum haberent eorum redditus de Padua et Paduano Districtu, sicut ipse Dominus Padue vult, quod sui cives habeant eorum denarios, quos habent ad certos redditus in Venetijs in locis supradictis, quid nobis apparuit satis rationabile, et consonare domino Karolo et alijs Baronibus. Ad modificationem vero quinti capituli que incipit: »Ad quintum capitulum etc.«; respondimus, quod illa turris Corami antiquitus fuit sub dominio Venetiarum, ac etiam per pacem voluntarie Dominus Padue fuit contentus, quod pro conservatione pacis, et ad errores et scandala evitanda, ipsa turris remaneat, et esset domini Ducis et Comunis Venetiarum; et quod erat ipsa turris circa confinia partium, et quod consideratis predictis ipsi etiam velle debebant, quod ipsa turris remaneret Vestro Dominio. Circa restitutionem pecunie pro constructione et destructione Castrorum respondimus, quod salva reverentia ipsorum, qui talem modificationem fecerant, non debebat fieri aliqua restitutio pecunie pro constructione et destructione

ipsorum Castrorum, cum ipsa Castra ipse Dominus Padue voluntarie pro conservatione pacis et ad omnes errores et scandala evitanda fuerit contentus ipsa Castra destruere seu destrui facere, et sic ipse fieri fecit. Insuper ipsa Castra fuerunt hedificata contra jus; cum facta fuerint circa fines confinium in damnum et detrimentum vestrum, et fuerunt cum magna discordia inter nos et Dominum Padue; imo subtiliter inquirendo invenientur facta esse super territorio nostro. Preterea etiam ipse Dominus Padue dedit nobis causam guerram sibi faciendi, cum ipse occupaverit territoria nostra, et pluries requisitus noluit se removere ab occupatione predicta. Insuper etiam voluit et procuravit per assassinos suos mortem Nobilium nostrorum, qui Rempublicam in Consilio substinebant. Quibus omnibus consideratis diximus, quod ad restitutionem alicujus pecunie pro constructione et destructione ipsorum Castrorum nullatenus salva eorum pace ipsi Domino Padue tenebamur. Ad id quod dicebant in dicta modificatione quinti capituli, quod pecuniam acceptam a Domino Padue vigore pacis restitueremus eidem, et quod absolveremus ipsum a solutione futura; respondimus, quod pecuniam ipsam solvit vigore pacis predicte, et quod non erat juridicum, quod eam restitueremus eidem; sed de solutione fienda per eum propter reverentiam Regiam eramus contenti, quod defalcarent illam partem, que eis videretur. Et quia etiam dicebant, quod ipse Dominus Padue ad ipsam pacem condescenderat timore quorundam tractatuum proditionis, qui per fratres suos et attinentes, ac aliquos cives Padue fiebant intra Civitatem contra eum; respondimus, quod tractatus fratrum suorum, si qui fuerint contra eum, ipse multo tempore ante pacem discoperuit. et justiciam de eis fecit, ut sibi apparuit; alium autem tractatum post pacem ipse discoperuit ita, quod ipsi tractatus non potuerunt esse causa faciendi eum condiscendere ad pacem predictam. Ad reliquum vero modificationis dicti quinti capituli continens, quod de pecunia soluta mercatoribus de fratre suo de Feltro et Cividado stetur terminationi Regis; respondimus, quod in pace continetur, quod mobilia, arnexia, equi, massaricie, jocalia et alia mobilia domini Marsilij fratris ipsius Domini Padue restituantur et

dentur eidem; ac etiam, quod habere debeat omni anno omnes redditus et proventus patrimoniales, quos habet et habere debet in Padua et Paduano districtu; sicque ipse dominus Marsilius habuit et percepit, nec est rationabile vel honestum, quod de hoc dominus Dux et Commune Venetiaram stare debeat terminationi domini Regis, cum in bursa seu utilitate ipsius domini Ducis Venetiarum nichil venerit de predictis. Similiter non est juridicum, nec conveniens, quod super facto Feltri et Cividadi dominus Rex faciat terminationem aliquam; cum ipsa loca ipse Dominus Padue sponte et voluntarie et motu proprio dederit dominis Ducibus Austrie, cum quibus eramus in bona pace et perpetua; et fecit, quod propter dationem locorum predictorum ipsi Duces diffidarunt nos, et provocavit eos contra nos ad damnum et destructionem nostram; ita quod ex hoc a nobis nichil de jure petere posset etiam quando pax secuta non esset, que predicta omnia remittit, et omnibus damnis et injuriis silentium imponit; imo de jure nos ab ipso, si non obstaret pax predicta, petere possemus damna, interesse, injurias et jacturas, quas passi fuimus ex provocatione ipsorum dominorum Ducum per ipsum taliter facta contra nos. Ad modificationem sexti capituli de bastita Romani, sufficit responsio, quam fecimus de Tarvisio et Tarvisana, ut supra continetur. Ad septimum autem capitulum respondimus, quod de dicta pecunia domine Fine nunquam aliquid audivimus, nec est verisimile nec rationi consonum, quod ipsa domina Fina tantam pecuniam reliquerit in domo sua predicta, cum omnes res suas etiam vilissime conditionis ipsa de dicta domo fecerit admoveri; nichilominus modificatio super ipso capitulo facta satis erat rationabilis et honesta. Super modificatione octavi capituli, quid incipit: »Octavum capitulum fiat«; respondimus, quod illi duo cives erant Nobiles de Venetijs, et ille Lodovicus de Molino erat de Secretis Consiliarijs tempore guerre Padue, et probatum fuit per testes, ac etiam ipsi confessi fuerunt, quod ille Ludovicus ipsa secreta dicebat illi fratri Benedicto, et ille frater omnia predicta, que ab ipso habebat modo predicto, nota faciebat Domino Padue; ex quo ipsi duo tanquam proditores condemnati fuerunt ad perpetuum carcerem per Consilia Venetiarum, et

ille frater Benedictus ad eandem penam per Judicem et Superiorem suum; et ideo salva reverentia ipsorum, non debebant illi capitulo facere talem modificationem, nec dare aures talibus delictis et sic enormibus. Nam ex petitione ipsi Domino Padue facta de predictis clarissime apparebat delictum ipsorum; quia aut serviverunt sibi tunc temporis, et hoc facere non potuerunt absque proditione Communis, et sic merentur multo majorem penam; si vero non serviverunt ei, ipse non habet causam petendi eos, cum ipsi sint Cives Venetiarum ac Nobiles, et de ipsis nichil omnino facere habet. Super modificatione noni capituli Andree Zaparolo respondimus, quod illud quid factnm fuit contra eum, fuit factum secundum ordines terre; et si tenet se gravatum, habet remedium appellationis, nec est necesse in dicto casu adire judicium Baronum, cum in Venetijs semper omnibus equaliter et indifferenter factum fuit, et cottidere fit omnibus juris et justicie complementum. Super reformatione decimi capituli de Cavarcere (igy) respondimus, quod eorum reformatio erat juridica, et placebut nobis. Super reformatione undecimi capituli dicente, undecimum capitulum rationabile est, et observetur; respondimus, quod salva eorum reverentia, eorum reformatio non bene stabat, nec erat juridica, nec videbantur habuisse bonam informationem de facto predicto. Nam factum ita se habebat: quia dum ipse dominus Franciscus Docto citasset coram Judicibus Venetiarum alium forensem vocatum Spinellum condam Loti de la Maza; ipse dominus Franciscus a dictis Judicibus obtinuit sententiam contra ipsum Spinellum, qui Spinellus appellavit ad Judices Appellationum, et per ipsos Judices Appellationum, auditis Judicibus, qui dederunt dictam sententiam, et juribus partium in Consilio ordinato secundum mores Venetiarum, ipsa sententia revocata fuit tanquam injuste et indebite lata per primos Judices Ordinarios, et non quia ipse dominus Franciscus fuerit familiaris Domini Padue; nec etiam quia se fecit fieri militem in conflictu nostro, ut in ipso capitulo continetur. Et quod hoc sit verum, patet evidenter, quia primi Judices Ordinarij, si habuissent respectum predictum, non dedissent sententiam in favorem ipsius domini Francisci, ut fecerunt; sed moti conscientia sua hoc fecerunt; sic

in Juditio Appellationis ipsa sententia non ex causis predictis, sed ex pura et vera conscientia revocata fuit. Et ideo ipsi domino Francisco restitui non debet pecunia predicta. ut in reformatione super ipso capitulo facta continetur; sed licet facta fuerit ipsa revocatio, tamen partes predicte iterato uti possunt juribus suis coram Ordinarijs Judicibus. Super duodecimo capitulo de Tarvisio et Tarvisana, responsum est supra. Super reformatione ultimi capituli que incipit : »Pro expensis prime et secunde guerre dentur sibi centum milia florenorum« etc.; respondimus, quod salva pace eorum talis reformatio non erat juridica, nec honesta; cum in prima guerra ipse Dominus Padue fuerit in manifesto obliquo nobiscum, et dederit nobis causam dicte guerre ex occupatione territorij nostri, quam propria autoritate fecit, a qua occupatione, licet a nobis pluries et pluries amicabiliter requisitus, se noluerit removere in ista presenti guerra; nunquam ei post pacem factam cum ipso aliquam fecimus causam, propter quam deberet nos diffidare, ut fecit, ita quod a commotionibus supradictis nec pro expensis prime guerre, obstante etiam pace, per quam omnia damna, injurie etc. remisse fuerunt, nec etiam pro expensis istius guerre tanquam injuste et indebite nobis mote per eum, aliquid pro expensis a nobis habere debebat; concludentes, quod si pro talibus expensis dicto Domino Padue aliquid daretur, quod omnino fieri non debebat, de Jure daretur causa et materia alijs colligatis suis petere etiam pro expensis magnas pecunie quantitates, quod leviter esse posset causa impediendi pacem et concordium fiendum. Quibus responsionibus auditis super reformationibus suis dixerunt, quod super ipsis deliberare volebant; et licet inter ipsos Barones et nos post predicta dicta fuerunt multa verba, et narrati fuerunt multi modi super tractatu pacis, et per nos facte fuerunt ad predicta multe responsiones et replicationes, que omnia longissimum esset enarrare; finaliter ipsi consulte venerunt ad hujusmodi conclusionem, quod si volebamus cognoscere dominum Regem et heredes et successores suos in perpetuum in Dominos Civitatis Venetiarum cum centum milibus florenorum in anno de censu, et dare sibi duos miliones florenorum partim statim, et partim ad

certos terminos statuendos; et dare ipsi domino Regi Tarvisium, Tarvisanam et Cenetense, et Mestre et Mestrinam, et quod de differencijs domini Patriarche dominus Papa cognosceret; ipsi erant parati ponere nos in pace cum Januensibus et Paduano et Patriarcha; et super se hoc volebant assumere, dantibus nobis in manibus eorum Cenedum, et quod non possemus navigare ultra majus, nisi ad loca Januensium; et si hoc non facerent infra certum terminum statuendum per eos, quod erant contenti, quod promissa eis per nos nichil valerent, et versa vice nobis promissa per eos etiam non valerent; et quod de facto salis transibimus, et de alijs capitulis alias nobis datis teneretur modus bonus per eos. Dixerunt etiam quod super facto Domini Padue super modificationibus suis et responsionibus nostris, tenerent bonum modum, et quod etiam facerent nobis restituti omnes terras, loca, fortilicias nostras occupatas per colligatos suos in presenti guerra. Quibus diximus multa et multa verba, et specialiter super facto heredum et successorum domini Regis, dicentes: quod talis obligatio venerit esse perpetua, et quod nunquam dictum fuit Dominationi Vestre nisi de persona domini Regis, et quod Dominatio Vestra hoc gravissimum putaret. Qui dixerunt, quod nunquam intellexerunt de persona sola domini Regis, nec per eorum vota auderent facere concordium aliquod, nisi diceretur etiam de heredibus et successoribus suis; et si hoc facere nolebamus, non amplius diceremus verbum aliquod de concordio aliquo fiendo. Quibus diximus, quod hoc Vestro Dominio notificaremus, quia mandatum super hoc non habebamus. Nullo modo putamus, quod recedant ab isto proposito. Diximus etiam super facto pecunie census et duorum milionum florenorum, quod omnino talis summa ne dum Dominio Vestro, sed tribus majoribus Communitatibus Italie esset importabilis ad solvendum. Super hoc credimus, quod bene defalcabunt de quantitatibus predictis; licet nobis dixerunt, quod cum pecunia, quam petunt ultra censum, oportet eos reducere omnes colligatos suos ad pacem et concordium predictum. Super facto vero non navigandi intra mare majus, nisi ad loca Januensium; diximus eis multas et multas rationes, propter quas conclusimus, quod si hoc fieret, in totum esset

destructio Venetiarum; et quod hoc nunquam consentiret Dominatio Vestra; imo fuimus in maxima guerra cum ipsis Januensibus solum occasione predicta, et quod ipsi, nec dominus Rex deberent velle destructionem et tantum damnum illius Civitatis, quantum sequeretur ex prohibitione predicta navigandi intra mare majus etc. Finaliter dixerunt, quod etiam de hoc inveniri poterit bonum remedium; concludentes, quod super predictis conferre deberemus cum socio nostro domino Zacharia, et cogitare, et cras summo mane eis responsionem dare, quod non amplius in campo isto morari poterant ullo modo. Gravavimus enim nos erga Barones predictos de petitione, quam faciebant de Tarvisio et Tarvisana etc.; et quod putabamus, quod hoc facerent pro dando dicta loca Domino Padue. Statim responderunt, quod pro domino Rege solum volebant loca predicta; et ut videremus hoc verum esse, erant contenti ponere in pace, quod nunquam possent dare Tarvisanam et cetera loca Domino Padue, nec Ducibus Austrie. Deliberavimus cras summo mane ire ad predictos, et defalchare de supradictis summis in quantum plus poterimus; ac etiam extrahemus ab ipsis pro posse quam longiores terminos poterimus ad solutionem faciendam. Tamen putamus, quod bona summa de dicta pecunia solvenda pro presenti erit eis necessaria tam pro Vngaris suis, quam pro domino Karolo et factis suis, quia ut clare scimus, sunt ad maximam necessitatem pecunie; quam etiam pro dando Januensibus, qui magna pecunia statim indigent, et alijs colligatis eorum. Procurabimus etiam ab eis scire in quantam poterimus, infra quem terminum volunt istos suos colligatos ad pacem et concordium cum Vestra Dominatione per modos supradictos reducere, et quid interim infra terminum dicti concordij fieri debebit de victualibus, et alijs Venetias deferendis. Ac etiam procurabimus in supradictis et in omnibus alijs que poterimus, eos reducere ad melius avantagium quam poterimus pro Dominatione Vestra; et omnia, que habebimus, sine mora nota faciemus Dominio Vestro particulariter et distincte per aliquem nostrum vel aliter, ut nobis melius videbitur pro bono nobis commissorum. Unum tamen ellicimus ex verbis hodiernis; quod ubi putabamus Januenses duros esse ad pacem, postquam modo isti

Barones accipiunt supra se ad concordandum nobiscum eos, quod usque modo facere noluerunt; quid signum est, quod ipsi Januenses molaverunt se eis. Et de hoc habemus evidentiam manifestam, quia heri hora jam tarda dominus Generalis Fratrum Minorum vidit Cancellarium Ambasiatorum Januensium, in campo, quod loquebatur domino Episcopo Jauriensi, domino Zanotto de Neapoli, qui est valde magnus penes dominum Karolum, et alijs quam pluribus; et ibi prope erat dominus Generalis, quem ipse Cancellarius non cognoscebat; qui Generalis dicit audivisse a dicto Cancellario loquente cum predictis, quod ad Sancta Dei Evangelia Januenses nullo modo vellent destructionem Venetiarum; et postea cum data sibi esset noticia de dicto Generali, fecit ad eum omni magna reverentia, et eidem verba predicta dixit. Predicta notificamus Dominationi Vestre, ut si modo videretur vobis tastari facere in secreto Januenses seu Ambasiatores Januensium, qui sunt circa Clugiam, per illos modos qui vobis viderentur, possitis hoc facere propter instantiam predictam. Data Tarvisij die VIIII. Septembris hora V. noctis. Per Caballarium.

28) A velenczei dogénak a követek.

Serenissime Domine noster. Noverit Excelsa Ducalis Dominatio Vestra per presentes, quod Ego Zacharias Contareno applicui Tarvisium heri hora decima diei cum domino Generali Fratrum Minorum. Et de presenti per quendam Johannem Vngarum, qui venerat ad faciendum nobiscum scortam, misi ad notificandum Illustrissimo Principi domino Karolo, qualiter redieram et applicueram Tarvisium; et quandocunque placeret Excellencie Sue, nos essemus ad presentiam suam, secundum quid ipse mandaret; et hoc facto statim fui cum socijs meis, exponendo eis omnia que feceram et habueram a Dominatione Vestra. Unde hodie de mane circa primam horam diei ille idem Johannes redijt, et venit ad nos dicendo, qualiter Dominus suus dominus Karolus mittebat nobis, ad dicendum, quod si habebamus deliberationem super hijs, de quibus alias datus fuerat ordo, ipse erat contentus, quod iremus ad presentiam suam; et quod ipse faceret facta sua et nos faceremus nostra. Et audita relatione dicti Johannis

Nuntij respondimus eidem, quod habebamus deliberationem, per quam Dominus suus dominus Karolus et Barones poterant merito contentari, et quod propterea volebamus esse ad presentiam suam, et jam feceramus parari equos pro equitando cum eo. Sed ipse dixit nobis, quod omnino oportebat redire ad campum ad faciendum responsionem Domino suo de eo, quid respondebamus ante quam iremus, et quod expectaremus, quia ipse rediret pro nobis vel hodie vel cras in mane, secundum quod Dominus suus mandaret. Et ita hodie ante sextam et septimam horam diei supradictus Johannes redijt pro nobis dicendo, quod iremus ad campum. Et statim ipsa hora nos, qui continue stabamus parati, et faciebamus stare equos paratos expectando, nulla mora protracta ascendimus equos, et equitavimus ad campum. Et dum essemus ad campum, et duceremur ad presentiam domini Karoli, invenimus cum eo dominum Comitem Magnum Palatinum, et quemdam alium militem Magnum Baronem attinentem dicti domini Comitis. Et jam inceptis verbis supervenit dominus Banus Benedictus. Et dum essemus coram eo, tenendo modum ordinis nobis dati, primo obtulimus predicto domino Karolo, quod Dominatio Vestra erat contenta recognoscere Illustrissimum Dominum dominum Regem Vngarie in Dominum. Et facta sibi oblatione predicta, ipse dominus Karolus respondit statim nobis, quod si non habebamus alia dicere, de hoc non loqueretur amplius, quia hoc nunquam fieret. Et factis pluribus verbis super hoc, ut ipse de dicta oblatione remaneret contentus; videntes quod non erat modus, et dubitantes non recedere a tractatu, condescendimus ad dictam partem; dicendo quod, ut ipse bene videret, Dominatio Vestra erat bene disposita, unde Dominatio Vestra erat contenta recognoscere predictum dominum Regem in Dominum, et omnes filios suos masculos. Et factis etiam super hoc multis verbis, et ipso adhuc non remanente contento dicendo, quod hoc nunquam fieret; condescendimus ad faciendum oblationem et promissionem usque ad filios masculos, et feminas, et suos descendentes; ostendendo, quod ultima et finalis intentio Dominationis Vestre erat ista, et quod Dominatio Vestra erat contenta facere hanc largam promissionem et oblationem domino Regi; sperantes quod in alijs capitu-

lis et istis ipsi deberent sic leviter facere et pertransire, quod Dominatio Vestra merito maneret contenta. Et factis aliquibus verbis superinde per dictum dominum Karolum, responsum fuit nobis: »Postquam non vultis aliud dicere, vos ibitis et cogitabitis; et nos etiam super hoc et alijs que sunt fienda cogitabimus; et postea erimus insimul«. Et cum hijs verbis, accepto decenti commeatu, et dicente nobis predicto domino Karolo: »Quando nos erimus in ordine, nos mittamus pro Vobis«; recessimus et redivimus Tarvisium circa horam primam noctis, et statim hic omnia Vestre Dominationi deliberavimus presentibus denotare. Ad informationem Dominationis Vestre notifficamus, quod sentivimus ad campum, qualiter Ambasiatores Januensium, sicut per alias Dominationi Vestre scripsimuus, fuerunt ad campum die Lune XII. hujus mensis; et prout sentivimus, requirebant dominum Karolum, quod cum Vngaris vellet ire ad galeas pro veniendo ad litus, dantes ei spem de obtinendo intentionem suam; sed isti Barones duxerunt factum in longum occasione istius tractatus. Et sentivimus, qualiter dominus Episcopus Jauriensis, dominus Jacobus Ispanus, dominus Banus Petrus, et dominus Achus iverunt Paduam ad colloquium cum Domino Padue; et ibi erant Ambasiatores Januenses; causam autem non potuimus firmiter persentire, sed per aliquos dictum fuit, quod ipsi iverunt pro modificando Dominum Padue a petitionibus suis; et per aliquos dictum fuit, quod iverunt pro dilatando factum requisitionis facte per Januenses. Sentivimus etiam per ea que dicta fuerunt, qualiter hodie fuerunt ad campum Ambasiatores domini Marchionis Farrarie, et domini Mantue; et dictum etiam fuit nobis, quod nobis existentibus ad campum dominus Jacobus a Vermo venerat ad campum; sed neminem potuimus videre, et causam adventus sui non potuimus presentire. Alia non sunt digna relatu. Recommendamus autem nos Gratie Vestre. Data Tarvisij die XIIII. Septembris hora VI. noctis.

29) A velenczei dogének a követek.

Serenisime Domine noster. Noveritis, qualiter heri hora XI. diei ego Nicolaus Mauroceno applicui Tarvisium; et sta-

statim fui cum socijs meis, quibus ostendi partem captam per Dominium Vestrum; nec non dedi plenariam informationem de omnibus, que habui a Dominatione Vestra ac de omnibus dictis et gestis per me in Venetijs circa negotia nobis commissa. Et licet, ut scit Dominatio Vestra, per me Nicolaum exposite fueriut ordinate rationes et cause mei adventus in Venetias; tamen propter aliqua verba contenta in fine litterarum Vestri Dominij apportatarum per me Nicolaum, Nobis omnibus videtur ad cautellam Dominationi Vestre ipsas causas et rationes dicti adventus iterato replicare. Nam, ut scripsimus Dominio Vestro, ac etiam per me Zachariam notificatum fuit eidem pridie quando veni Venetias; dum essemus ad presentiam domini Karoli et aliorum Baronum, non semel sed pluries habuerunt nobis dicere, quod nobis aperierant eorum intentionem in facto domini Regis, ac etiam nobis aperierant intentiones colligatorum suorum, et a nobis nunquam aliquid extrahere potuerant, excepto in facto recognitionis Dominij; et quod amodo sue intentionis omnino erat, non se in aliquo amplius nobis aperire; et quod si volebamus eis dicere intentionem nostram super expositis nobis per eos, audirent nos; aliter autem, quod faceremus facta nostra, et ipsi facerent sua; et quod nullo modo intendebant amplius in longum protrahi. Insuper etiam die Jovis proxime preterita dixerunt nobis de adventu Domini Padue, Ambasiatorum Januensium et aliorum colligatorum ad campum; et quod omnino eorum intentio erat, quod a modo cito finis imponeretur istis factis, quia amplius in campo morari non poterant ullo modo, et quod pluries et pluries molestati et requisiti fuerunt a Januensibus et Domino Padue de veniendo ad Sanctum Nicolaum ad experiendum circa fortiliciam predictam, secundum eorum intentionem. Et licet ad verba predicta dederimus illas responsiones, que pro honore vestro vise fuerunt nobis; tamen predictis consideratis, apparuit nobis pro bono agendorum nobis commissorum, quod unus nostrum veniret ad Dominationem Vestram ad habendam intentionem vestram finalem super tangentibus dominum Regem, et quemlibet suorum colligatorum. Que quidem intentio vestra finalis in predictis propter multa, que accidere potuissent, nullatenus fuisset per

litteras requirenda et notificanda, nec etiam per litteras potuissemus ita bene expressisse causas et rationes, que nos movebant ad habendam vestram intentionem finalem super predictis, sicut per unum nostrum oretnus et viva voce exprimerentur. Preterea cum alias per nostras litteras, ac etiam per me Zachariam hortati fuimus Dominium Vestrum super tractatibus secretis fiendis maxime cum Januensibus, auditis nobis expositis die Jovis proxime preterita per dominum Episcopum Jauriensem de mandato domini Karoli et aliorum Baronum super facto tractatus Januensium eisdem aperti et notificati per eos; apparuit nobis utile et bonum forte, per unum nostrum notificari debere Dominationi Vestre rationes et causas, quibus non videbatur nobis amplius circa ipsos tractatus secretos insistere. Que cum non ita sufficienter et bene potuissent per litteras explicari; ultimo apparuit nobis bonum esse, unum ex nobis venire Venetias, ad procurandum de alijs saltem duobus adjungendis nobis in tam arduis et ponderosis negotijs, et ad exponendum causas et rationes, que nos ad hoc movebant, quid non ita per litteras bene et apte fiere potuisset. Quibus omnibus moti fuimus ad mittendum unum ex nobis ad presentiam vestram, nec apparruit nobis pro meliori executione premissorum posse habiliter aliter pertransire. Contenta vero in mandato Vestre Dominationis nobis in scriptis apportato per me Nicolaum Mauroceno, per posse curabimus adimplere; sed notificamus Dominio Vestro, difficillimum nobis videtur, ab eis aliquid amplius extrahere posse; imo omnino volent a nobis super expositis per eos nostram intentionem habere, et hoc nobis pluries dixerunt. Nec est mirandum, quia vident se ad talem partitum nobiscum, quod habent causam inquirendi a nobis, quid eis facere volumus et intendimus. De more enim est eorum, qui in guerris avantagati sunt, requirere a parte sua adversa, quid erga eos facere volunt et intendunt; maxime quia ipsi elargaverunt se nobis, et nos nisi in facto recognitionis Dominij, que quidem elargatio cognitionis predicte in terminis quibus eramus, et per modum, quo a principio facta fuit, nedum fuit utilis, sed necessaria ad conservationem vestram; per ipsam enim elargationem cessarunt experiri eorum intentionem circa stecatum Sancti Nico-

laj, et ducti sunt in longum usque modo. Nam firmiter teneat Vestra Dominatio, quod quando ego Johannes redivi de Venetijs in Sacilum, nisi eis data fuisset intentio recognitionis Dominij predicta, ipsi tunc temporis absque dilatione venissent ad expugnandam fortiliciam predictam, quam bene novit Dominatio Vestra qualiter de omnibus tunc temporis erat in ordine respectu illius, quid est ad presens. Predicta non absque rationabili causa Dominio Vestro denotamus; quia novimus in Consilio Vestro aliquos fuisse, qui viva voce dixerunt, quod utinam ego Johannes Gradonico nunquam venissem Venetias. Veni enim de voluntate et conscientia vestra; et ejus adventum tunc temporis, et etiam nunc omnino necessarium fuisse putamus causis et rationibus prelibatis. Unum enim silencio non postponimus, quod per mandatum in scriptis nobis apportatum per me Zachariam non possumus cocludere in aliquo cum domino Rege et aliquo colligatorum suorum, absque Vestre Dominationis licentia vel mandato; tenemus enim pro constanti, quod in isto adventu Dominus Padue et Januenses ad campum nollent omnino in longum protrahi, sed cito nos expedient ab eis, et pro tanto ad exonerationem nostram facimus Dominationem Vestram pervisam, quod provideat super factis suis. Quia nobis videtur, quod necessario opus est. Insuper Dominio Vestro instantissime supplicamus, quatenus dignetur providere de dando nobis aliquam zontam nobilium nostrorum, ut vobis videbitur. Nam reputamus nos solos omnino insufficientes tantis et tam arduis factis, et in quibus tractatur de tanta novitate fienda statui Venetiarum. Et eo maxime etiam nos insufficientes reputamus, quia a parte altera adversariorum vestrorum sunt in numero prope viginti in quibus sunt multi excellentes Doctores et Jurisperiti, nec non et alij multi sapientissimi viri, et experti in magnis et arduis factis mundi, ut hec omnia ego Nicolaus Vestro Dominio seriose oretenus explicavi. Dominus Generalis heri mane de voluntate et conscientia nostra fuit ad campum; nam die precedenti per quendam fratrem Minorem, quem miseramus ad campum predictum ad presentiendum de novis, et pro nostro securo conductu, quia noster quem habebamus expiraverat, dominus Episcopus Jauriensis misit sibi dicendo, quod iret ad

eum. Qui dominus Generalis heri hora vesperorum de campo reversus nobis retulit, qualiter dictus dominus Episcopus ostendit sibi unam litteram credentie, quam miserant Ambasiatores Januensium domino Karolo, continentem in effectu, quod placeret eidem dare fidem credulitatis hijs, que parte eorum sibi exponeret, talis Cancellarius suus sive Notarius. Et dixit ipse dominus Episcopus ipsi domino Generali, quod ipse Cancellarius oretenus in Ambasiata sua exposuerat, qualiter quidam dominus Symon Sturion Januensis captivus in Venetijs venerat pro parte Dominationis Vestre Clugiam, et exposuerat Ambasiatoribus Januensinm predictis, qualiter Dominatio Vestra volebat pacem cum eis, et erat parata dare eis tam bonam et largam pacem, quod haberent merito contentari; et quod pro ipsa pace tractanda placeret ipsis Ambasiatoribus affidare seu dare securum conductum uni vel pluribus Nuntijs seu Ambasiatoribus ipsius domini Ducis et Communis Venetiarum, ut ipsi in certo loco statuendo secure possent venire ad tractandum de ipsa pace cum eis; concludens ipse Cancellarius Ambasiatorum predictorum, in dicta sua Ambasiata per eum exposita ipsi domino Karolo, quod hec notificabat ei parte ipsorum Dominorum suorum Ambasiatorum, et quod super hoc non intendebant facere, nisi secundum quid ipse dominus Karolus ordinaret; et quod per ipsum dominum Karolum fuit ei responsum, quod hic erant Ambasiatores domini Ducis et Communis Venetiarum, et cum eis jam incoactus erat tractatus pacis; et quod ei nullo modo videbatur, quod daretur per eos audientia aliqua ibi, sed tractatus predictus fieri deberet nisi in presentia ipsorum, qui representabant personam Regiam; et quod hic convenire deberent ipsi et alij colligati juxta ordinem datum, et hic fieret tractatus predictus et non alibi ullo modo. Et cum istis verbis recessit Notarius seu Cancellarius Ambasiatorum Januensium predictus. Licet verba predicta videantur discordare a verbis nobis per ipsos Barones die Jovis proxime preterita, de quibus dicta die Jovis in horis IIII. noctis per nostras litteras plene scripsimus Dominio Vestro. Insuper retulit ipse Generalis, quod ipso existente in mensa ad prandium cum ipso Episcopo Jauriensi, supervenerunt duo, qui dicebant esse de Compagna

Stelle; et inter alia habuerunt dicere, qualiter ipsa Compagna erat ad stipendium Venetorum; et quod pro tempore quo debebunt servire, servirent fideliter et viriliter Dominio Vestro contra omnes; et quod usque ad paucos dies esset ipsa Compagna super portis Janue ad damnum et destructionem ipsorum. Data Tarvisij die XVIII. Septembris hora IIII. diei, et missa per Caballarium per viam Mestre.

30) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Noverit Vestra Ducalis Dominatio per presentes, quod heri hora quinta diei scorta venit pro nobis, quod iremus ad campum; et nulla mora protracta statim equitavimus ad campum. Et expectantibus nobis in campo per tres horas vel circha postquam applicuimus ibidem; tandem missum fuit pro nobis. Et ivimus ad temptorium domini Karoli, in quo invenimus fore predictum dominum Karolum cum Baronibus alias nominatis Vestre Dominationi, omnes sex Ambasiatores Januensium, Dominum Padue, cum quo erant Vicarius suus Dominus Paganinus et dominus Jacobus Turchetus; et erant ibi quatuor Ambasiatores domini Patriache Aquilegie, videlicet dominus Georgius de Portis de Papia, et alij. Et dum ibi applicuissemus, presentavimus litteras credulitatis cuilibet prenominatorum. Quibus presentatis per nos expositum fuit eisdem, quod secundum quid Dominatio Vestra nobis expresse mandaverat, nos pro parte ejusdem Dominationis Vestre significabamus eisdem, qualiter Dominatio Vestra disposita erat habere pacem cum qualibet persona, et maxime cum Illustrissima Majestate domini Regis Vngarie, et cum ceteris colligatis suis; et quod propterea Illustrissimus Dominus noster dominus Dux et Commune Venetiarum offerebat Illustrissime Excellentie ipsius domini Karoli representantis Regiam Majestatem, et ceteris colligatis suis ibi presentibus, ea velle facere, que essent justa, rationabilia et honesta, et que Serenissime Regie Majestati et ceteris colligatis suis verisimiliter deberent esse placibilia atque grata. Quibus sic expositis predictus dominus Karolus nos trahere fecit in partem, et stantibus ipsis colligatis insimul per longam horam, tandem vocati fuimus. Et per dominum

Episcopum Jauriensem nobis in conspectu predicti domini Karoli et omnium aliorum colligatorum, et de eorum consensu responsum fuit, qualiter ipsi intellexerant exposita sibi per nos, per que demonstrabatur, quod Dominatio Vestra offerebat eis multa generalia, dicendo facere que essent eis placibilia; et quod deberemus satis considerare ea, que forent eis placibilia; et quod propterea, si condescendere volebamus ad particularitates, ipsi audirent nos; aliter autem dicebat nobis deliberasse, quod iremus pro factis nostris. Quibus auditis nos traximus in partem, et parva mora protracta, fuimus ad conspectum eorum, exponendo eisdem, qualiter ipsi intellexerant ea que sibi per nos exposita fuerant, exprimendo qualiter Dominatio Vestra disposita erat habere et velle pacem tam cum Illustrissima Regia Majestate, quam cum ceteris colligatis, nominando quemlibet colligatorum in specie, et ea facere que verisimiliter deberent esse grata et accepta pro Serenissimo domino Rege et colligatis suis. Sed ad dicendum, quod descendere deberemus ad particularia; hoc non possimus facere, quia nesciremus vaticinari ea que forent eis placibilia sive grata, pro eo, quod talia possent nobis videri placibilia sive grata, que non viderentur eisdem; et quod etiam hoc non erat de mora tractantium pacem, imo ipsi debebant petere que volebant; adducendo eisdem circha hoc multa exempla tractatuum pacis, in quibus fuerat observatus modus per nos dictus, cum alijs multis verbis ad inducendum eos ad intentionem predictam. Quibus sic expositis, ipsi nos trahere fecerunt in partem; et expectando stetimus usque bene ad duas horas noctis; et tandem nulla responsione nobis facta recesserunt a domino Karolo; primo Ambasiatores Januensium et Ambasiatores domini Patriarche. Et remanserunt Dominus Padue solus cum domino Karolo et Baronibus domini Regis; qui steterant insimul per bonum spacium, et finaliter Dominus Padue recessit cum aliquibus ex Baronibus, qui sociaverunt eum. Et postea dominus Karolus misit nobis dicendo, quod cras summo mane essemus ad presentiam suam, quia intendebat omnino finem ponere factis istis. Et hec eadem verba dixit nobis ipse dominus Karolus et dominus Episcopus Jauriensis, acceptando commeatum ab eis; et ita cras summo mane equitabimus

ad eos; et quicquid habebimus, Vestre Dominationi curabimus velociter denotare. Verum nobis videtur, quod omnes ipsi colligati sunt avidi venire ad finem negotiorum istorum, nec amplius in longum ire. Recomendamus autem nos Dominationi Vestre. Data Tarvisij die XX. Septembris indictione II.

Ambasiatores vestri etc.

31) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine. Hodie in horis VIII. diei applicuit hûc Nicolaus de la Camera vestra Armamenti; qui nobis apportavit unam litteram Dominationis Vestre, unum Sindicatum, et novam commissionem vestram. Qua examinata per nos Vestre Celsitudini respondemus; et primo, quia in multis partibus illius commissionis continetur de certis promissionibus factis per nos, ac responsionibus capitulis domini Regis; quod cum omni reverentia humili et debita, sicut in litteris nostris datis Sacili die XXIIII. Augusti et XXV. ejusdem, missis Dominationi Vestre plenius et distintius continetur; statim, sicut audivimus legi capitula predicta, petivimus eorum copiam pro destinando ea Dominio Vestre; sed ita videbantur nobis enormia, quod nullo modo videbatur nobis ipsa capitula examinare, nec super ipsis disputationes aliquas facere, allegantes semper domino Karulo et alijs Baronibus enormitatem eorum; sed finaliter tanquam constricti per ipsum dominum Karolum et alios Barones fuimus super disputatione et modificatione ipsorum capitulorum, protestantes tamen semper, quod quicquid diceremus super ipsis capitulis, nullam haberet firmitatem, nisi a Dominatione Vestra de hoc mandatum speciale haberemus; asserentes quod in premissis nullum omnino mandatum habebamus. Et ita debet effectualiter contineri in dictis duabus litteris supranominatis missis Dominationi Vestre; nec de ipsis responsionibus et modificationibus nostris factis super unoquoque dictorum capitulorum, semper tamen cum protestatione predicta, ipsi Barones domini Regis habent, nec fecerunt scripturam aliquam; nec recordarentur pro majori parte predictorum, sed pro memoria nostra recollegimus ipsa capitula et modificationes nostras, ut eas, et ea Vestro Dominio mittere possemus. Itaque de dictis ratiocinatis et mo-

dificatis per nos in dictis capitulis seu aliquo predictorum Dominatio Vestra non est astricta, nisi in quantum sibi videbitur facere pro bono suo. Per predictam ultimam commissionem diligenter examinatam per nos non videmus, quod habeamus arbitrium concludendi in pace, nisi concludamus cum domino Rege et omnibus colligatis suis cum illis modis, stricturis et condicionibus in dicta commissione seriose denotatis. Sed quia contingere posset, quod possemus concludere cum domino Rege et aliquo vel aliquibus ex colligatis suis, et in dictis casibus nullam habemus libertatem, quia libertates alias nobis date in dictis casibus et quolibet predictorum sunt revocate ex toto per istam ultimam commissionem: dignetur Dominatio Vestra nobis mandare, quid nos facere vult in quolibet casuum predictorum; et in dictis casibus, qualiter summam pecunie nobis concessam dare, concludendo in pace cum omnibus, vultis nos dividere et partire cum domino Rege pro se solo, et cum aliquo vel aliquibus ex colligatis, cum quo vel quibus cum ipso domino Rege insimul ad pacem pervenire possemus; ita ut clare sciamus, quantum de dicta summa pecunie Dominatio Vestra vult tangere unumquemque predictorum per se in casu, quo cum omnibus in pace concludere non possemus, juxta continentiam istius ultime commissionis nobis misse. Insuper ubi tangitur in dicta commissione, quod teneamus modum, quod dominus Karolus nec alij Barones non veniant Venetias; denotamus vobis, quod in casu quo sequatur concordium, nobis videtur, quod omnino volent aliquem vel aliquos venire Venetias representantem dominum Regem ad accipiendum a Dominio Vestro sacramentum fidelitatis, et a certis Civibus Vestris; de quo tamen sacramento fidelitatis prestando in casu concordij nulla fit mentio in dicta vestra commissione nova nobis missa. Preterea super facto Tenedi, in casu quo daretur in manibus tercie persone, non credimus quod unquam isti contententur solvere res, munitiones et alia vestra mobilia ibi existentia; nec per consequens, quod valor ipsarum rerum, munitionum et aliorum mobilium defalcetur vel detrahetur de summa pecunie eis persolvenda. Ac etiam nulla fit mentio in dicta commissione, in dicto casu quo dictus locus Tenedi dare-

tur in manibus tercie persone, quis interim facere debet expensas dicti loci, seu cujus expensis ipse locus teneri et custodiri debet; super quibus dignetur Vestra Dominatio nobis suam intentionem declarare; nichilominus faciemus totum posse nostrum de adimplendo intentionem Vestri Dominij secundum formam nove commissionis predicte. In horis VIIII. istius diei applicuit Bon Johannes Notarius Dominationis Vestre cum sindicatu alio in forma per nos requisita; quo applicato statim scripsimus domino Karulo, notificantes eidem adventum dicti nostri Notarij cum dicto sindicatu ad plenum; et quod de personis' nostris mandaret quicquid sibi placeret. Que autem in predictis sequentur, Dominationi Vestre de die in diem seriose curabimus denotare. Ceterum noscat Dominatio Vestra, qualiter dominus Generalis hodie in occasu solis reversus fuit de campo, ad quem hodie ivit de nostra licentia in horis duabus diei, quia Magnus Comes miserat pro eo; et retulit nobis, qualiter primo a domino Episcopo Jauriensi per se solum seperatum a domino Karolo, et postea a domino Karolo ibidem existente ipso domino Episcopo habuit in effectu: Primo quod Januenses, Dominus Padue et procuratores domini Patriarce omnes de campo recesserant hodie mane; et quod Januenses et Dominus Padue omnino dispositi erant ad destructionem Civitatis Venetiarum; et quod ita clarum et certum tenebant habere eorum intentionem, sicut si eam haberent in manibus; et dicebant, quod non multum curabant de litore, quia bene habebant aliam viam et modum per manus, qnibus credebant clare habere intentionem eorum predictam; et quod petebant ab ipso domino Karolo homines mille de suis bene armatos et non plures; et nullo modo videbantur dispositi ad pacem, dicendo, quod quando aliter facere non possent, cogitaverant armari facere bene de ragacijs et sacomanis et alijs vilibus personis sui exercitus usque ad dictum numerum, et dare predictis, et eis ostendere quod essent de bonis heminibus suis: quid tamen nobis videtur extraneum, cum ipse Dominus Padue satis bene, et sui cognoscant istas suas gentes. Dixit etiam, quod Domini Mantue et Domini Verone miserant Ambasiatores suos solempnes ipsi domino Karolo pro ista pace nostra; concludentes, quod eis et statui

ipsorum cedebat ad maximum dampnum, et cederet ultra modum destructio Venetiarum; et quod si non crederent displicere domino Regi, ipsi interponerent eorum auxilium ad oviandum hoc; et quod fortius, misit dicendo per suos Ambasiatores solempnes dominus Bernabos, scilicet quod habebat aliqua sua jura consequi contra Januenses, et quod non per viam alicujus lige quam habuisset nobiscum; sed quia intendebat habere jura sua a predictis Januensibus, ipse deliberaverat invadere loca et territoria ipsorum; et quod hoc non displiceret domino Regi vel ipsi domino Karulo, quia hoc non intendebat facere, nisi pro suis juribus consequendis. Quibus Ambasiatoribus domini Bernabonis per ipsum dominum Karolum et Barones data fuit responsio: quod dominus Rex erat in liga cum Januersibus, et quicunque offenderent ipsos, offenderent dominum Regem, et eos dominus Rex haberet et tractaret pro inimicis. Et cum supradictis verbis expositis domino Generali ipse dominus Karolus habuit concludere, quod in casu, quo Januenses et dominus Padue nolent concordari nobiscum, et nos essemus concordes cum domino Rege, ipse non dubitabat, quod omnes predicti essent contra Dominum Padue, et contra Januenses, et in favorem nostrum; et per istum modum predicti reducentur seu reduci possent ad concordium. Dixit insuper, quod die Veneris proximo recedere intendebant cum suo exercitu, et ire ad ponendum campum circa Mestre; et quod deliberaverat nos amplius non audire, sed in campo Mestre; et quod si mandatum vestrum seu sindicatum venisset, mitteremus illud sibi cras cum domino Generali; et quod etiam mitteremus insimul cum ipso sindicatu copiam extractam ab eo, ita quod ipsam copiam ascultare posset cum autentico; quam copiam volebat habere penes se, pro ostendendo eam Januensibus et Domino Padue, ad inducendum eos pro posse ad veniendum ad campum Mestre, et ad essendum nobiscum super tractatibus. Quibus auditis deliberavimus copiari facere dictum sindicatum, scilicet nobis apportatum per Bon Johannem, et ipsam copiam cum ipso originali cras mittere ipsi domino Karolo, ut eam possit cum ipso originali ascultare; et quia dominus Generalis non bene est sanus de persona, et heri et hodie in eundo ad cam-

pum quamplurimum fatigatus; deliberavimus quendam fratrem Minorem socium ipsius domini Generalis, qui scit Vngaricum, mittere cras ad ipsum dominum Karolum. In casu vero quo ipse dominus Karolus recedat de campo cum exercitu suo, quia nimis longe essemus ab ipso campo stando hic; et in Mestre quia habemus multos equos et magnam familiam, et locus est male fulcitus victualibus pro tanta gente, nec etiam locus Mestre predictus est bene sanus; nichilominus sequemur ipsum campum usque ad locum predictum cum scorta domini Karoli, quam procurabimus habere; et tanto de nobis, famulis et equis nostris Dominatio Vestra precipiat sicut placet. Insuper recordamur cum omni reverentia Dominationi Vestre, quod dignetur tenere modum, quod locus Mestre, et turris Sancti Julianni, et bastita Mergare et rivi Vitalis, et alie, si que essent circa partes illas, sint bene fulcite victualibus, armis, gente et alijs oportunis; ita quod possint se conservare ad honorem Vestri Dominij. Preterea sunt aliqui qui dicunt, quod Dominus Padue videtur habere intentionem faciendi unam cavam circa turris Sancti Julianni seu infra versus Venetias, et ducere ganzarolos super currus, et eos ponere in cavam predictam, et cum culmo aque credunt cum gentibus eorum armigeris venire Venetias. Que, sicut intelleximus, Dominio Vestro pro ejus informatione denotare curavimus. Data Tarvisij XX. Septembris.

32) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine. Excelse Ducali Dominationi Vestre tenore presentium, denotamus, quod sicut scripsimus Dominationi Vestre, misimus Notarium vestrum Bon Johannem ad dominum Karolum et Barones, quia dominus Generalis erat quodammodo gravatus de persona, et non potuit ire ad ostendendum mandatum nobis apportatum per eum, et ad dandum copiam ejus domino Karolo; et propter verba pridie nobis dicta per dominum Generalem, scilicet quod dominus Karolus eidem dixerat, quod Dominus Padue, nec Janunenses, ullo modo erant dispositi ad pacem; imo totaliter dispositi erant ad destructionem Venetiarum; et quod etiam Dominus Padue dixerat eidem domino Karolo, quod dominus

Rex posset habere per talem modum Dominium Venetiarum, quod ipse Dominus Padue nollet quod Deus haberet illud: ordinavimus eidem Bon Johanni, quod parte nostra exponeret domino Karolo, quod eidem libenter loqueremur pro aliquibus summe tangentibus honorem domini Regis, et quando hoc non posset obtinere, quod procuraret pro posse, quod ipse dominus Karolus mitteret aliquam personam sufficientem et confidentem de suis, cui parati eramus notificare predicta de die et de nocte, et in quo loco ipse vellet. Ad que ipse dominus Karolus habuit respondere, quod non habebat personam aliquam sufficientem et confidentem, quam mittere posset; et quod erat contentus, quod mitteremus dominum Generalem ad eum, ad notificandum per eum ea, que sibi dicere volebamus. Quod notum fecimus statim domino Generali; et ipse se disposuit, non obstante gravitate sue persone, ad eundum; sicque heri summo mane fuimus ad ipsum, exponentes eidem verba, que per ipsum domino Karolo predicto dici volebamus. Que in effectu fuerunt ista; scilicet quod narraret eidem, qualiter firmiter senseramus per plures manus et diversas, quod Dominus Padue et Januenses omnino non erant dispositi ad pacem, et quod conabantur toto eorum posse ad destruendum tractatum pacis hic initum et inchoatum; et ad hoc multis rationibus movebantur, primo propter odium capitale, quid habent erga Civitatem Venetiarum, ex quo omnino vellent pro eorum posse ultimum exterminium ejus; secundo quia de ista guerra ipsi et unusquisque eorum consequebantur maximam utilitatem; et eidem Generali exposuimus ordinate omnes utilitates et commoda, que ipsi consequebantur ex guerra presenti, que longum essent describere; tercio quia Januenses et Dominus Padue nullo modo vellent, quod dominus Rex haberet honorem Dominij in Civitatem Venetiarum, et quod hoc ipsi reputarent ad destructionem eorum propter multas rationes et causas, quas ordinate diximus ipsi domino Generali; et licet de predictis propter summam sapientiam vigentem in eis crederemus et teneremus, quod essent plene avisati et informati, tamen propter reverentiam Regie Majestatis videbatur nobis ad cautellam predicta eis nota facere, dicentibus nobis ipsi domino Generali multos modos, per quos

iuducere possent ipsos Januenses et Dominum Padue ad concordium nobiscum, quos ipse dominus Karolus et Barones domini Regis haberent tenere cum ipsis duobus in simul coniunctis et unoquoque ipsorum seperatim, quos modos longum esset ac prolixum enarrare. Qui dominus Generalis cum predictis verbis et alijs quam plurimis in effectu circa predicta fuit hodie ad presentiam domini Karoli, ibi existentibus domino Karolo predicto, domino Episcopo Jauriensi, et domino Zanotto de Neapoli, et non alijs. Quibus verbis auditis per dominum Karolum, habuit dicere, quod ipse et omnes Barones bene perpendebant, quod vera erant ea, que sibi exposuerat ipse dominus Generalis, et quod videbatur clare, quod ille Sachus de Feza, loquendo de Domino Padue, nullo modo erat dispositus ad pacem, nec ad honorem domini Regis; et imo turbat in quantum poterat tractatum pacis predicte; et quod Dominus Padue credebat ducere factum istum ad modum suum, et quod nunquam veniret ad factum; et quod in casu quo essemus concordes cum domino Rege, ipse et omnes Barones domini Regis usque ad mortem essent dispositi esse contre ipsum Sachum a Fecis; et quod cum vellet vel nollet, reducerent ad eorum libitum et voluntatem; et quod omnes erant dispositi, et modo de novo juraverant ipsi omnes in manibus domini Karoli, et ipse dominus Karolus ipsis omnibus juraverat, quod in casu quo sumus in concordio cum domino Rege, et Dominus Padue nollet concordari, ipsi omnes cum tota potentia Regali erunt usque ad mortem contra ipsum Dominum Padue; imo Magnus comes Palatinus, quia unus ex Baronibus non videbatur esse suprascripte opinionis, habuit dicere domino Karolo, quod ipse percuteret cum ense Dominum Padue, ipse statim et audacter faceret et valenter. Quibus auditis omnes Baronos unanimiter fecerunt sacramentum, ut superius continetur. Dixit etiam dominus Karolus ipsi Generali, qualiter Januenses eidem miserant dicendo per dominum Zanotum, quod ipsi volebant ire ad capiendum campum, et ipso capto ipse dominus Karolus et alij Barones cum eorum gente venire possent; ac etiam eidem miserunt dicendo, quod in casu quo nollent venire, nec dare de eorum gente, ipsi invenirent usque ad V^c lanceas, que libenter et pro bono

foro venirent ad istud servicium eorum; et quod ordinaverant fieri aliqua navigia et hedificia, super quibus possent apponi multe gentès armigere, que secure starent in eis, et secure ire possent per aquam magnam et parvam seu bassam. Quibus ipse dominus Karolus respondit, quod non esset honor domini Regis nec eorum, quod ipsi irent ad campum jam acceptam et paratum per alios; imo pro honore Regio et suo, in casu quo deberent ire, ipsi vellent esse primi, qui caperent campum; et ultra hoc non intendebant ire, nisi primo viderent manifeste, quod in dicto campo essent ad suffientiam omnia necessaria ad victum pro tota gente eorum saltem per dies octo; ultra hoc etiam volebat ipse dominus Karolus, quod ante adventum eorum ipsi ordinarent et fieri facerent illa navigia et hedificia, de quibus superius continetur, quibus completis ipsi se vellent informare de esse et conditione navigiorum et hedificiorum predictorum. Predicta enim dixit dominus Karolos ipsi domino Generali, misisse dicendo predictis Januensibus pro ducendo factum in longum, et ut hic teneremus modum essendi in concordio cum domino Rege, quo facto, postea se disponerent, ut supra continetur; et quod cum modis supradictis credebat ducere recessum eorum de hinc in longum, et hinc non recedere usque ad aliquos dies adhuc. Dixit insuper domino Generali, quod dominus Episcopus Quinque-Ecclesiarum veniebat de mandato domini Regis ad campum, et quod senserat, quod hodie erat in Sacilo; et quod misit sibi obviam Magnum Comitem ad informandum eum de dispositione domini Padue, et qualiter nos eramus bene dispositi erga honorem Regium; quod fecerat, ut si forte propter malam informationem datam per Dominum Padue domino Regi ipse dominus Episcopus veniret cum alia intentione, quod ante adventum ejus ad campum, ipse sit pervisus de predictis; dicens tamen, quod ipse Episcopus non erat amicus Domini Padue, imo habebat eum exosum. Dixit etiam ipse dominus Karolus, qualiter illa verba que dixerat Dominus Padue, scilicet quod dominus Rex posset habere vel velle habere Venetias per talem modum, quod ipse nollet, quod Deus eam haberet; statim per Nuntium proprium misit, dicendo domino Regi, et de mala dispositione Domini Padue erga honorem

Regium, et quod Vos optime inveniebat dispositos ad honorem domini Regis. Nostro posse quam citius poterimus procurabimus esse ad presentiam ipsius domini Karoli et aliorum Baronum, et cum eis tractare quicquid boni poterimus pro honore vestro, et omnia statim que habebimus Vestro Dominio curabimus denotare. Dixit etiam dominus Karolus, quod heri mane miserat copiam vestri sindicatus Januensibus et Domino Padue. Data Tarvisij die XXIIII. Septembris hora prima diei.

33) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine. Excelse Ducali Dominationi Vestre notum facimus per presentes, quod propter verba nobis relata per Reverendum Patrem dominum Generalem pro parte Illustrissimi domini Karoli, sicut scripsimus Dominationi Vestre per litteras datas die XXIIII hujus mensis, volentes solicite procurare esse ad presentiam predicti domini Karoli, heri per nostras litteras scripsimus eidem, qualiter parati eramus ire ad presentiam suam, quandocunque Excellentie Sue placeret: ex quo hodie summo mane misit pro nobis scortam. Unde statim equitavimus ad campum, simul com domino Generali. Et dum essemus ad campum, et fecissemus notificare de adventu nostro predicto domino Karolo, ipse ante prandium misit pro nobis; et euntes ad temptorium suum, invenimus ipsum dominum Karolum, Magnum Comitem Palatinum, dominum Benedictum Banum, dominum Episcopum Jauriensem, dominum Achus, et dominum Zanotum de Neapoli; et ibi erant quidam Prepositus Vngarus, qui nuper venerat de partibus Vngarie cum domino Episcopo Quinque-Ecclesiarum, et non alius; quia, prout sentivimus, et sicut inferius videbitis, dictus dominus Episcopus, dominus Jacobus Ispanus, et dominus Zuder Petrus iverant Paduam. Et dum essemus ad presentiam predictorum domini Karoli et aliorum Baronum, per dominum Episcopum Jauriensem nobis dictum fuit de mandato domini Karoli, qualiter dominus Pater Generalis fuerat ad presentiam Domini sui domini Karoli, et audiverat omnia, que ipse dixerat eidem ordinate; et predicto domino Generali multa fuerant dicta, que ipse debebat nobis dicere, propter que

nos scripseramus eidem domino Karolo, quod auditis his, que dominus Pater Generalis dixerat nobis, nos volebamus esse ad presentiam ejusdem domini Karoli, quandocunque placeret eidem; et propterea ipse hodie miserat scortam pro nobis; concludendo quod diceremus quicquid nobis placeret. Quibus auditis, nos cum debita reverentia diximus eidem, qualiter plene intelleximus omnia nobis relata per dominum Patrem Generalem, referentem nobis inter cetera, qualiter dum dominus Karolus dixerat ei, quod Januenses et Dominus Padue nullo modo attendebant ad pacem, sed solum ad destructionem Civitatis Venetiarum; et propterea, si eramus dispositi ad habendam pacem cum domino Rege, ipsi volebant eam nobiscum; et quod essent parati esse contra inimicos nostros, si ipsi nollent condescendere ad pacem justam. Propter que verba clare comprehendebamus intentionem suam, intendere ad duo; unum erat ad honorem Serenissimi domini Regis Vngarie; aliud erat ad conservationem et commodum Civitatis Venetiarum, ad que omnia etiam Dominatio Vestra vigilabat. Et ob hoc nos notificabamus eidem, quod Dominatio Vestra affectabat habere pacem cum Serenissimo domino Rege, et cum omnibus colligatis suis; et ratio erat, quia remanente Vestra Dominatione in pace cum omnibus colligatis, vos melius possetis condescendere ad faciendum de hijs que spectarent ad commoda domini Regis, quam non habendo pacem cum omnibus; pro eo, quod non habendo pacem, Vestra Dominatio coacta esset ad faciendum multas expensas, quas facere non oporteret pacem habendo cum omnibus; recordando sibi curialiter, quod Civitas Venetiarum pro habendo pacem cum solo domino Rege, et remanendo in guerra cum alijs colligatis, non sublevabant ab expensis, nec propterea habebat mare liberum, nec copiam victualium; et quod nos multos modos videbamus, quos putabamus, quod si dicerent Januensibus et Domino Padue, ipsi verisimiliter reducerentur ad condescendendum ad pacem, quos quidem modos sibi diceremus quandocunque placeret Excellentie Sue; concludendo, quod observatis dictis modis, et omni experientia facta, quandocunque dicti Januenses et Dominus Padue nollent condescendere ad pacem; nichilominus volentibus eis pro domino Rege facere in

favorem Dominationis Vestre omnia que possent, ut eorum colligati condescenderent ad pacem cum eis : erat parata habere et facere pacem cum domino Rege solo sub modis condecentibus et honestis; cum alijs verbis pluribus circha hoc. Quibus expositis, predictus dominus Karolus statim petijt nos, si observatis per eos omnibus modis, et facta omni experientia, ut et Januenses et Dominus Padue condescenderent ad pacem, in casu quo ipsi essent ita obstinati et male dispositi, quod ad pacem nollent condescendere, nos eramus contenti stare firmi in primo proposito et recognoscere dominum Regem in Dominum, sicut alias dictum fuerat. Ad que respondimus, quod sic, nobis existentibus in concordio cum Regia Majestate in alijs capitulis, et faciente domino Rege contra illos, qui nollent pacem, tanquam contra inimicos; et prestante favorem et auxilium Dominationi Vestre. Qua responsione facta, predictus dominus Karolus nos trahere fecit in partem. Et tandem ipse et Barones fecerunt nos vocari ad presentiam suam, et fecerunt nobis responderi per dominum Episcopum Jauriensem: qualiter ipsi plene intellexerunt omnia dicta per nos, et quod de illis duobus ad que dixeramus, quod videbatur nobis, quod eorum intentio intenderet; videlicet primo ad honorem Regium, secundo ad commodum et conservationem Civitatis Venetiarum; et quod ad eadem Dominatio Vestra intendebat: ipsi respondebant nobis, quod de uno credebant, videlicet quod attenderemus ad honorem Regium, de altero vero, videlicet quod attendebamus ad commodum et conservationem Civitatis Venetiarum, reddebant se certos; et quod ipsi in hac opinione concurrebant nobiscum. Et propterea ipsi dicebant nobis, quod erant contenti, quod recordaremur eis modos observandos per ipsos contra Januenses et Dominum Padue; quia in casu quo non fuissent observati per eos, pro eo quod multos modos tenuerant, et multa dixerant et fecerant, que nollebant nobis dicere; si modi ipsi utiles et honesti videbantur eis, erant parati tenere illos; si vero observati fuissent per eos, non esset necesse amplius observare. Ultimo dicebant nobis, quod ipsi domino Karolo et Baronibus videbatur, quod recognoscentibus nobis dominum Regem in Dominum, cum illis pactis, modis et formis, cum quibus erimus in concordio; esset

bonum quod Dominatio Vestra libere daret Dominium in manibus domini Regis, et ipse daret postea nobis Dominium, observando tamen omnes modos et omnia pacta inter nos et ipsos habita et firmata. Et hoc quod dicebant pro bono Dominationis Vestre et Civitatis Venetiarum, ad hoc ut ipsi in tractanda pace cum alijs colligatis possent melius substinere jura Dominationis Vestre, quid ipsi semper possent dicere colligatis predictis, quod quicquid peterent, esset ad damnum domini Regis, cum alijs verbis circa hoc. Quibus auditis, per nos responsum fuit eisdem. Et primo volentes sibi declarare modos, qui nobis videbantur observandi ad dicendum colligatis, ut et inducerentur ad condescendendum ad pacem; diximus eisdem, quod erant modi aliqui, quos videbatur nobis quod dicere possent Januensibus et Domino Padue; aliqui erant, quos videbatur nobis quod dicere possent Domino Padue soli. Modi vero dicendi et Januensibus et Domino Padue simul erant, quod ipsi poterant eis dicere, qualiter ipsi manifeste cognoscebant, quod ipsi Januenses et Dominus Padue non attendebant ad pacem, nec ad aliquid, quod esset justum vel rationabile, sed solum ad destructionem Veneciarum; et quod nesciebant videre, quod ipsi Januenses et Dominus Padue facerent hoc, nisi propter duo; unum erat propter capitale odium, aliud vero propter avaritiam propriam, videlicet, propter magnas ut litates, quas ipsi et unusquisque eorum consequebantur ex guerra, specificando eidem domino Karolo et Baronibus ordinate multa commoda et utilitates, quas Januenses et Dominus Padue, et uterque ipsorum, ex guerra consequuntur, ut ipsas eis dicere possent; concludendo et dicendo eisdem Januensibus, quod ex istis causis clare videbant, quod nolebant condescendere ad aliquid, quod esset justum vel rationabile, nec ad pacem; unde ipsi notificabant eis, quod hec non erat intentio domini Regis, quia dominus Rex nunquam voluerat, nisi id quod foret justum et rationabile; et quod propterea volentibus Venetis facere ea, que forent justa et rationabilia, ipse dominus Rex non poterat eis denegare pacem; et ipsi Januenses et Dominus Padue etiam ex reverentia domini Regis condescendere debebant ad pacem; reducendo ad memoriam Januensibus magnos favores sibi im-

pensos a domino Rege, ex quibus obtinuerant victorias quas habuerant; unde ipsi ob reverentiam domini Regis debebant condescendere ad pacem, et ad ea que forent rationabilia et honesta, cum alijs pluribus verbis, que nimis longum esset enarrare. Modi vero dicendi Domino Padue soli videbantur nobis isti; videlicet, quod ipsi poterant dicere Domino Padue, qualiter ipse sciebat magnum amorem et confidentiam quam dominus Rex multis annis elapsis ostenderat habere erga ipsum Dominum Padue, propter quam ipse multos favores habuit a dicto domino Rege, ex quibus ipse se conservavit in honore et statu suo, et ab alijs portata sibi fuit et portatur magna reverentia contemplacione et timore ipsius domini Regis predicti; et quod nolendo condescendere ad voluntatem domini Regis, et ad ea que respiciant statum et honorem suum, nichil aliud esset dicere, nisi quod quicquid ipse dixisset et fecisset, ipse fecisset pro faciendo vindictas suas, et ad suam propriam utilitatem, et non pro bono et honore domini Regis; et qualiter hoc deberet esse gratum et placibile domino Regi, ipsi bene comprehendere poterat; et propterea ipsi etiam poterant dicere Domino Padue, qualiter ipse debebat considerare, quod dominus Rex erat homo et erat moriturus, et quod nolendo facere voluntatem, et id quod esset honor domini Regis, ipse bene poterat videre, cum quanta discordia ipse etiam remaneret cum Baronibus videntibus, quod facere noluisset honorem domini Regis; cum multis alijs verbis, que propter prolixitatem obmittimus. Vltimo diximus eidem domino Karolo, quod in specialitate sua ipse poterat dicere et Januensibus et Domino Padue, quod ipsi bene manifesta sciebant, quantum ipse dominus Karolus tenebatur et obligatus erat ad honorem domini Regis; ex quo ipse dispositus erat nunquam derelinquere istud factum, donec videret finem, tam propter reverentiam domini Regis, quam propter honorem suum proprium; et quod remanendo sicut erat dispositus remanere, donec ista facta haberent finem, erat magnum incommodum et sinistrum factis suis, que habebat facere, et que non erant parva; et ipsis non condescendentibus ad pacem, et ad ea que forent justa et rationabilia, ipse poterat dicere, quod ipsi erant causa dampni sui; unde ipse rogabat eos, quatenus tam ex reverentia domini Regis, quam ex

amore suo condescendere vellent ad pacem, ut ipse ex hoc per tempora futura redderetur obligatus ad quoslibet suos honores et eommoda, cum alijs multis verbis circha hoc facientibus ad facta; concludendo finaliter, quod si hec ipse dominus Karolus diceret et Januensibus et Domino Padue, et alia, prout Excellencia Sua melius et sapientius dicere sciret, non dubitamus quod verisimiliter ipsi condescenderent ad pacem. Ad secundum autem, quid ipsi dixerant de Dominio libere dando domino Regi, diximus eidem: quod cum reverentia semper loquendo, hoc nunquam fieri posset; quia ubi ipsi dicebant, quod hoc quod petebant erat pro bono et utilitate Civitatis Venetiarum, erat totum oppositum; quia ex hoc possent leviter in Civitate Venetiarum maxima scandala, dampna et pericula suboriri multis causis et rationibus; quia omnes, et majores et minores, consueti sunt esse et sunt in majori libertate quam in Civitate alia mundi; inter cetera allegando, quod ubi omnes Domini Lombardi, et Romandioli, et Marchie, et Communitates Tuscie, nunc essent dispositi ad juvandum nos, in casu, quodaremus nos libere domino Regi, omnino se disponerent ad contrarium; dubitantes, quod ex hoc posset sequi periculum terris et subditis suis, et statui suo, cum aliijs pluribus rationibus propter prolixitatem obmissis; concludentes, quod de hoc omnino nichil Dominatio Vestra faceret ex rationibus per nos dictis; et de hoc ipsi debebant remanere contenti in non mutare primum propositum, de quo fuerant in concordia, quia poterat dici, quod idem erat effectus. Tandem his expositis, faciendo nos idem removere, et stando per parvum spacium, ipsi vocaverunt nos; dicentes nobis, qualiter ipsi plene intellexerant modos eis per nos dictos, et quod omnia hec ipsi dixerant predictis, et multo majora, et quod tamen non potuerant eos removere. Et quod quando ipsi omnes colligati fuerant ad campum, et quod nos fueramus, ipse Dominus Padue et Januenses nullo modo audire volebant nos; et quod cum magno labore ipse dominus Karolus fecerat, quod fuerant contenti audire nos; et quod tamen postea invenerant exceptionem illius mandati, sicut sciebamus; et quod pro istis factis, et inducendo illos ad pacem, ipse miserat pluries Paduam ad loquendum eis in diversis diebus, et diversis vicibus de Ba-

ronibus suis, et quod nichil potuerant facere. Et adhuc pro accipiendo omne jus a latere suo, ipsi miserant dominum Episcopum Quinque-Ecclesiarum, qui nuper venerat de Vngaria, dominum Zuder Petrum, dominum Jacobum Ispanum usque Paduam, ad notificandum eis, quod si volunt condescendere ad pacem, et ad ea que sunt rationabilia et honesta, ipsi pro domino Rege sunt dispositi nichil concludere et nullum concordium facere sine ipsis, dicente ipso domino Karulo versus nos; si vero nollent, »nos sumus dispositi esse vobiscum ad mortem et ad vitam, si erimus in concordio«. Replicando bis hec verba, et concludendo: »Isti Domini deberent esse hoc sero rationabiliter hic, unde vos potestis redire domum; cum autem venerint, nos mittemus pro vobis, et erimus super factis que erunt fienda«. Super facto vero liberi Dominij quod petebant, audita responsione nostra, removerunt se, et remanserunt contenti. Nos autem auditis verbis, obtulimus nos paratos semper venire ad ejus presentiam, quandocunque mittet pro nobis. Hec namque omnia dicta et supracripta Vestre Dominationi distincte nota facere curavimus. Heri XI. diei recepimus litteras Dominationis Vestre mentionem facientes de receptione duarum litterarum missarum Dominationi Vestre, et de retentione unius ex caballarijs, quos missimus; recommendantes nos gratie vestre. Data Tarvisij die XXVI. Septembris hora tercia aute diem.

34) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Hodie in mane dominus Karolus et alij Barones miserunt scortam pro nobis. Ego autem Zacharias ire non potui, quia per appositionem cujusdam pulveris michi factam heri in thibie, in tantum ipsa thibia erat indignata (így), ac etiam nervi, quod magnos dolores patiebar. Ivimus ergo nos duo cum domino Generali, et fuimus ad presentiam domini Karoli et aliorum Baronum. Qui dominus Karolus habuit dicere, qualiter dominus Jacobus Ispanus et Suder Petrus Banus, qui iverunt Paduam, reversi erant, et ibi remanserat pro aliquibus negotijs dominus Episcopus Quinque-Ecclesiarum; et quod ipsi tres Barones omnibus vijs et modis dictis per nos, et etiam majoribus et altio-

ribus experti fuerant inducere dominos Januenses et Dominum Padue ad condescendendum ad pacem, et quod nullo modo hoc potuerunt obtinere, sed omnino dispositi erant ad destructionem Civitatis Venetiarum; et pro tanto nobis pro finali conclusione dicebant, quia amplius cum verbis non intendebant duci in longum; et quod ipsi volebant, quod nos essemus super capitulis domini Regis, et quod essemus in concordio cum domino Rege; et quod ipsi se offerebant, dare nobis justam, honestam et rationabilem pacem; et in casu quo colligati nollent ad eam condescendere, parati erant esse nobiscum contra eos usqua ad mortem, donec eos reducerent ad ipsam pacem rationabilem, honestam et justam. Et quia dominus Zacharias non erat nobiscum, ipsi volebant scire, antequam ulterius procederemus, si nos duo poteramus concludere in dictis capitulis domini Regis, absque ipso domino Zacharia; quia in casu quo hoc non possemus vel nollemus facere, ipsi non intendebant, quod haberemus intentiones eorum, et ipsi a nobis nichil haberent. Super quibus aliquantulum ab eis seperati, et postea reversi respondimus, quod postquam dicebant fecisse cum reliquis omnem experientiam de inducendo eos ad pacem, credebamus eis; et quod etiam placebat nobis de essendo super capitulis domini Regis; verum sicut alias eisdem diximus, et etiam ipsi fuerant hujus opinionis, nobis necessarium videbatur, quod nos sciremus modos, quos ipsi volebant tenere cum colligatis ad inducendum eos ad pacem; ac etiam nobis necessarium videbatur, quod nobis exprimerent, quam pacem nobis dare volebant cum colligatis predictis, et eo maxime necessarium erat propter excessivas et enormes petitiones quas fecerunt, ut ipsi sciebant. Ad id autem quod dicebant, in casu quo colligati nollent condescendere ad justam et rationabilem pacem, quod erant parati esse contra eos cum eorum potentia, donec reducerentur ad dictam pacem; placebat nobis, dummodo nobis declararetur, quam pacem nobis dare volebant cum colligatis predictis, vel dicerent nobis certos terminos ultra quos promitterent nos gravari non debere in pace tractanda et fienda inter colligatos et nos. Insuper etiam respondimus, quod nunquam nos fuimus causa ducendi factum in longum; imo semper fuimus parati,

quandocunque voluerunt, ire coram eis, ac etiam fecimus venire litteras de credentia omnibus colligatis, a quibus, ut ipsi nobis dixerant, pacem petivimus singulatim; ac etiam venire fecimus mandatum vestrum ad plenum statim, cum ipsi petiverunt; et conclusimus super capitulo graviori, scilicet de Dominio, dummodo de alijs capitulis essemus concordes. Ad illum de domino Zacharia diximus, qualiter non potuerat interesse propter tibiam ejus, que ultra modum indignata erat, et cum magnis doloribus nervorum; et quod verum erat quod ad invicem debebamus omnia conferre; verum conclusio postea fieri poterat per majorem partem nostrum. Quibus auditis habuerunt nobis respondere, quod erant parati tenere omnes vias et modos, quos eis diceremus pro inducendo ad pacem rationabilem, justam et honestam nobiscum. Quantum ad aliud, quod nobis exprimerent, quam pacem nobis dare se offerebant cum colligatis suis; respondebant, quod nullo modo hoc facere possent, quia non sciebant intentiones et petitiones eorum pro majori parte, sed offerebant se nobis daturos cum eis pacem justam, rationabilem et honestam. Et quia super hoc dicta fuerunt multa verba, quod hoc erat nichil dicere, imo ubi pax debet esse clara et lucida, ita qued nullum ex ea dubium valeat resultare; talis pax esset totum oppositum. Quia ad cognoscendum postea, que pax esset rationabilis, justa et honesta, esset magna contentio inter partes; et talis pax nobis videtur justa, honesta et rationabilis, que non videretur colligatis, et sic e converso. Et quia facta nobis declaratione predicta melius sciremus postea super factis domini Regis procedere, et pro tanto bonum erat, quod declaretur nobis, quam pacem nobis dare intendebant cum predictis, vel saltem declarare certos terminos ultra quos terminos non possemus gravari in pace fienda cum colligatis, ut ex hoc tollentur omnia scandala et errores, que oriri possent occasione predicta, ut superius dictum erat. Ad ultimum domini Zacharie dixerunt, quod postquam oportebat nos cum ipso conferre, non intendebant habere istud disavantagium in aperiendo se nobis eorum intentionem; et nos non ipsis aliquid certum possemus aperire, nisi habita conlocutione cum domino Zacharia, ut diximus; et pro tanto nos poteramus ire pro factis nostris, et

conferre cum ipso domino Zacharia, sicut volebamus, quia reperiremus eos ubi essent. Et cum super facto declarande nobis pacis, quam nobis dare volebant cum colligatis, multa verba et replicationes facte fuerunt hinc inde; finaliter ipsi devenerunt ad istam conclusionem, quod nullo modo volebant, nec poterant nobis promittere certam pacem cum colligatis suis; sed offerebant eam se daturam justam, honestam et rationabilem; et quod dominus Rex deberet esse judex, que pax inter nos et colligatos esset justa, rationabilis et honesta; et quod bene volebamus credere, quod postquam essemus facti subditi domini Regis, ipse potius faveret juribus nostris quam colligatorum. Ad quo respondimus, quod periculosum esset nobis ultra modum, quod dominus Rex esset judex de tali pace; quia ex hoc alterum de duobus sequeretur. Vel quod dominus Rex pronuntiaret secundum petitiones colligatorum, qui allegarent et dicerent fuisse et esse colligatos domini Regis, et quod fuerunt et sunt in justo bello, quemadmodum fuit dominus Rex, et quod ex hoc non possent eis denegari expense, et sic peterent expensas quas fecissent in presenti guerra, ac dampna et interesse, et facerent talem summam, quod ne dum nobis, sed etiam tribus Communitatibus esset difficile ad solvendum. Vel si dominus Rex non admitteret petitiones eorum, se ipsum judicaret, ostendendo tacite, quod non fuisset nobiscum in justo bello; quod non erat credendum, quod dominus Rex pro honore suo faceret ullo modo. Preterea ipsi Januenses maxime allegare possent, quod ipsi in totum fecerunt in presenti guerra, tam in dando conflictum galeis nostris, quam in capiendo Clugiam, et alia loca nostra; et etiam tenent nos strictos, et occupant nobis mare, et habent tot captivos nostros et tot loca nostra; ita quod in casu, quo dominus Rex deberet esse judex de pace inter nos et ipsos, ipsi alegarent domino Regi, quod nisi ipse dominus Rex est factus Dominus Venetiarum, et habuit tantam pecuniam, tam pro expensis et dampnis quam pro censu; ipsi qui quasi totum fecerunt, et habent tot captivos de nostris, et tot Civitates et loca nostra, et tenent nos sic strictos, ad restituendum omnia predicta, et ad elargandum nobis mare, deberent habere a nobis in quaduplum (quadruplum), quam habuerit dominus

Rex; et dominus Rex male posset se defendere a talibus allegationibus cum honore suo. Et sic videbamus per istum modum nos esse in totum destructos, et oporteret nos solvere tantam pecuniam, vel talia facere que omnino nobis importabilia forent. Ex quibus nullo modo nobis videbatur, quod dominus Rex de tali pace deberet esse judex, et nec etiam per Deum ipse de hoc velle debere propter rationes predictas. Finaliter ipsi concluserunt, quod nullo modo aliter facere intendebant, nisi quod dominus Rex cognosceret de pace, ut supra continetur; et quod deberemus redire Tarvisium et esse cum domino Zacharia, et cras deliberare et eis respondere super capitulis et concordio fiendo cum domino Rege, et super juditio pacis predicte; quia omnino eorum intentio erat hinc cito recedere et facere facta sua. Et non valentes ab eis aliud habere, inde recessimus, et venimus Tarvisium. Nobis autem consideratis predictis videtur, quod ipsi omnes intelligant se ad invicem ad dampnum nostrum, et quod nil aliud querunt, nisi quod subiciamus nos domino Regi; et postea credimus, quod de pace fienda cum colligatis intelligant se ad invicem, et intendant nos rodere (rágni) et destruere usque ad ossa. Vel quia isti Barones multum insteterunt, quod libere et simpliciter daremus dominium Venetiarum domino Regi, ostendentes, hoc velle pro bono nostro; putamus, quod ad istam eorum intentionem venire credunt in casu, quo subiciamus nos domino Regi, et quod ipse debeat esse judex de pace fienda inter nos et colligatos per istum modum. Nam favebit intentionibus colligatorum, dicendo eas justas esse; tam pro honore suo conservando, ad ostendendum quod ipse et illi fuerint in justo bello nobiscum; quam etiam in dicendo nobis, quod non potest tanquam judex recusare petitiones eorum tanquam justas; sed si daremus nos sibi simpliciter et cum pleno dominio, tunc posset nos defendere a petitionibus et intentionibus predictorum, dicendo eis, quod Civitas Venetiarum simpliciter et mere est sua, et illud quod ipsi colligati peterent exiret de bursa sua tunc, et esset ad dampnum potius Regis quam nostrum. Et ad hoc imaginandum nos inducunt multa verba dicta per eos, et maxime certa verba hodie nobis prolata per dominum Karolum; qui dum peteremus ab eo,

cunie videretur vobis justum quod hoc fieret?« Et tunc dominus Karolus respondit eidem domino Generali, quod ipse fuerat cum Baronibus, et quod ipsi dicebant velle unum millionem florenorum auri pro concordia domini Regis et Januensium. Et dicit ipse dominus Generalis, quod ipse respondit, quomodo unum milionem vos dicitis quantitatem nimis importabilem, dicendo : »Vos dicitis de Tenedo, et creditis dicere quid parvum; sed ego recordor Vobis, quod ad dandum Tenedum ipsi recipiunt dampnum primo LXXX mille florenorum, quia jam Dominatio Venetiarum voluit dare dictam quantitatem pecunie pro habendo illum locum; et postea recipiunt dampnum de florenis XL millium, quos expendidit Dominatio pro fortificando et reperando illum locum; et insuper Vos datis honorem Januensibus pugne sue, qui nunquam petierunt aliud, nisi quod Tenedum darent in manibus tercie persone; et adhuc vultis tantam summam pecunie ;« concludendo, quod hoc eidem domino Generali non videbatur conveniens. Et dicit ipse Generalis, quod insuper ipse dixit eidem domino Karolo : »Ego recordor Vobis, quod Januenses ex ista concordia cum Venetis veniunt ad consequendum dominium insule Cipri; quia habentibus eis concordiam cum Dominatione Venetiarum, ipsi in Cipro poterunt melius facere facta sua, et dominus Rex Cipri videns se derelictum a spe quam habet ex liga Venetorum, amiserit ita omnem spem, quod ex toto ipsi Januenses finaliter venient ad essendum Domini totius dicte Insule, sicut sunt Famagoste« ; cum alijs verbis circa hoc, taliter quod tandem ipse dominus Karolus dixit eidem domino Generali : »Videte, domine Magister, ego fui cum omnibus istis Baronibus, et stringendo eos quantum plus potui, ipsi dicunt, quod ad minus pro concordia domini Regis et Januensium ipsi volunt octingenta milia florenorum, restituendo sibi omnes terras et loca, quas et que tenebunt eis accepta, et dimittendo sibi omnia que tenent, excepto Tenedo, quod voluut, quod debent dare in manibus domini Regis, qui faciat justiciam, et excepto Tarvisio et Tarvisana, quam volunt pro Rege«. Et dicit ipse dominus Generalis, quod tunc ipse dixit, quomodo Tarvisium et Tarvisanam : »Ergo vos vultis tot denarios, et vultis Tarvisium et Tarvisanam, et non sufficit Vo-

bis, quod recognoscant Dominium sicut est dictum« ; subjungendo, hoc non poterit ullo modo fieri. Et cum his verbis dictus dominus Karolus conclusit dicendo : »Ego volo, quod vos eatis, et dicatis secrete ista illis Dominis; et quod pouant se in tali ordine, quod veniant ad ultimam conclusionem, et non ducatur factum in longum; quia nos dedimus ordinem, quod die Martis de sero, vel die Marcurij de mane, omnes colligati debent esse hic ad deliberandum ultimam intentionem, ejus, quid est fiendum, et ad videndum quid facere poterimus cum eis« ; dicendo : »Isti domini Ambasiatores nunquam veniunt ad nos, quod non sint hic exploratores colligatorum, qui notant quando veniunt, quot horis stant, quando recedunt, quot vicibus exeunt de temptorio, et redeunt ad nos; ita quod ex hoc esset melius tenere modum, quod facta nostra fierent magis secreta, et quod daretur expedictio«. Et cum his verbis in effectu ipse dominus Generalis recessit ab eodem domino Karolo, et redijt Mestre. Que omnia, prout habuimus a domino Generali, Vestre Dominationi curavimus facere fore nota. Serenissime Domine, significamus Dominationi Vestre quod sentivimus, quod Capitanens Castri Mestre est infirmus; unde credimus fore bonum, quod Vestra Dominatio per illum modum, per quem sibi melius videtur, prevideat super inde. Hodie missimus ad campum pro littera salvi conductis, scribendo quod sumus parati esse ad presentiam suam, quandocunque sibi placuerit mittere nobis scortam. Data apud Mestre die III Octobris hora V. indictione III.

Nicolaus Mauroceno Decretorum Doctor
Zacharias Contareno
Jacobus de Priolis
Johannes Gradonico
Michael Mauroceno, Procuratores Sancti Marci
Ambasiatores Vestri.

39) Károly durazzoi herczegnek a velenczei követek.

Domino Karolo.

Illustrissime Princeps. Sicut Reverendus Pater dominus Generalis heri retulit Excellentie Vestre, Nos Nicolaus Mau

roceno, Zacharias Contareno et Johannes Gradonico, significavimus Dominationi nostre conditionem personarum nostrum Zacharie et Johannis, propter quid dominatio nostra non intendens, quod ista facta pro parte sua ducantur in longum, statim providit huc mittere nobiles viros dominos Jacobum de Priolis et Michaelem Mauroceno Procuratorem Sancti Marci. Quapropter Vestram Celsitudinem duximus tenore presentium exorandam, quatenus dignetur nobis per presentem cabalarium mittere litteram salvi conductus in personis omnium nostrum quinque, quia pro dando finem factis sumus parati venire ad presentiam Sublimitatis Vestre etiam omnes quinque, si nos Zacharias et Johannes erimus in tali convalescentia, quid ullo modo venire possumus, quandocunque Excellentie Vestre placuit mittere nobis scortam. Data Mestre die III. Octobris, indictione III.

40) A velenczei dogének a követek.

Serenisime Domine noster. Heri in mane scorta venit pro nobis, quod iremus ad campum. Et statim Nos Nicolaus Manroceno, Jacobus de Priolis, Michael Mauroceno, simul cum domino Generali ivimus ad campum, non possentibus nobis Zacharia Contareno et Johanne Gradonico propter infirmitatem personarum nostrarum ire cum eis; habita tamen prius inter omnes in simul collatione et deliberatione de modis observandis per nos euntes ad campum, et de pecunia proferenda. Et antequam iremus ad presentiam domini Karoli et aliorum Baronum, deliberavimus, quod dominus Generalis teneret modum lonquendi cum eodem domino Karolo, et sciret ab eo, si ipse volebat, quod de illo modo, quem die Domenico secundo Octobris dixerat dicto domino Generali, videlicet quod ipse et Barones acciperent onus super se de concordio Dominationum Vestrarum et cum domino Rege et cum Januensibus; et quod Dominatio Vestra daret sibi certam quantitatem pecunie, secundum quod Vestre Dominationi scripsimus per litteras nostras datas die III. ejusdem, nos deberemus in conspectu Baronum dicere illa verba dicta per ipsum dominum Karolum eidem domino Generali, aut si volebat, quod ipse dominus Generalis diceret ea, vel quem alium modum vellet

quod teneremus. Et secundum dictam deliberationem dictus dominus Generalis ivit ad loquendum dicte domino Karolo, et redijt ad nos dicendo, quod ipse dominus Karolus nolebat, quod nec nos, nec ipse dominus Generalis diceremus aliquid in conspectu Baronum de verbis predictis que ipse dixerat eidem domino Generali; sed modus, quem debebamus tenere erat, quod quando essemus ad presentiam suam, deberemus ostendere invenisse dictum modum a nobis, et rogare dominum Karolum et alios Barones, quod placeret eis assumere onus super se, concordandi Dominationem Vestram cum domino Rege et alijs colligatis suis, offerentes dicto domino Karolo, nos paratos dare eis illam quantitatem pecunie, que esset conveniens, dicente ipso domino Generali: »Isti Barones sunt indurati ab heri citra, quia hic fuerunt duo ex Ambasiatoribus Januensium, videlicet dominus Gaspar et dominus Damianus; et non videntur isti Barones velle condescendere ad minorem quantitatem unius milioni florenorum«. Et hijs auditis, cum essemus ad presentiam dicti domini Karoli et aliorum Baronum, qui erant dominus Episcopus Quinque-Ecclesiarum, dominus Comes Palatinus, Subter Petrus Banus, dominus Jacobus Ispanus, dominus Benedictus Banus, quidam Prepositus de Vngaria, et dominus Zanotus de Neapoli. Exposito primo eisdem, qualiter Dominatio Vestra, scito de infirmitate personarum dominorum Zacharie et Johannis, nolens quod defectu aliquo tractatus pacis inceptus cum Excellentia Sua duceretur in longum, sed posset habere bonam et expedictam conclusionem, statim elegerat nos Jacobum et Michaelem, ut essemus ad ducendum predictum tractatum ad debitum finem, ismul cum nobis Nicolas, Zacharia et Johanne; et in casu quo nos Zacharias et Johannes propter gravitatem personarum nostrarum interesse non possemus, nos Jacobus et Michael essemus cum me Nicolao ad ducendum tractatum predictum ad effectum. Tandem nos tenuimus illum modum, quem ipse dominus Karolus dixerat domino Generali, quod teneremus; ostendentes, quod illum putabamus esse modum, per quem melior et velocior expeditio dari poterat factis istis, cum pluribus verbis ad facta facientibus. Unde predicti dominus Karolus et alij Barones facientes nos seperare ab eis, tandem

vocaverunt nos, et responderunt nobis, quod modus quem dicebanus eis, videbatur bene eis magis expedictus quam alius modus. Sed quia istud erat magnum onus ad sumendum, ipsi antequam sumerent illud, volebant primo scire, quid volebamus facere colligatis suis, et postea melius scirent deliberare, si istud onus ipsi possent accipere super se. Quibus auditis habita insimul collatione respondimus eisdem, quod quia ipsi fecerant mentionem solum, quod volebant scire, quid intendebamus facere colligatis suis, et quod intentio Dominationis Vestre erat habere pacem primo et principaliter cum domino Rege, et postea cum colligatis suis; videbatur nobis conveniens, quod ipsi deberent specificare nobis, si sue intentionis erat nos ponere in pace cum domino Rege, et cum omnibus alijs colligatis; quia si hoc facere vellent accipientes totum onus super se, nos specificaremus illam quantitatem pecunie, quam vellemus sibi dare, que quidem nobis videbatur honesta et conveniens, et talis quod ipsi merito deberent contentari. Et ipsi responderunt nobis, quod ipsi erant parati ponere nos in pace et cum domino Rege, et cum alijs colligatis, et accipere onus super se, dummodo faceremus illud quod esset conveniens. Et hijs intellectis respondimus eidem, quod alias raciocinatum fuerat de factis Domini Padue et domini Patriarce, et quod illa facta remanserant in bono puncto; et quod propterea non videbatur nobis, quod esset de eis nunc facienda mentio, sed solum restabat nos facere mentionem de domino Rege et de Januensibus. Et dictis pluribus verbis de expensis maximis et importabilibus nedum uni Civitati, sed uni provintie, quas supportata est jam diu Dominatio Vestra, cum pluribus alijs rationibus, ut inducerentur ad condescendendum ad illam quantitatem, quam exprimere volebamus; tandem conclusimus, quod remanentibus nobis omnibus terris quas tenemus ad presens, excepto Tenedo, de quo alias dictum fuerat, quod veniret in manibus domini Regis, qui de ipso faciat quod esset justum; et facta nobis restitutione omnium terrarum nobis acceptarum, et que acciperentur usque ad conclusionem pacis quomodocunque; eramus parati dare per terminos competentes in manibus domini Regis usque ad summam quingentorum milium florenorum, ut ipsam pecuniam inter se et Januenses

participaret, sicut sibi videretur convenieus; obligantibus eis se pro domino Rege, ponere Dominationem Vestram in pace cum Januensibus; et existentibus Vobis in concordia cum eis super factis domini Regis in alijs capitulis; dicendo eis, quod hoc erat illud quod poteramus facere, et quod habebamus in in mandatis a Vestra Dominatione, et quod aliud facere non poteramus, cum multis alijs verbis inductivis ut contentarentur. Et adhuc dominus Karolus fecit nos seperare ab ipsis, et finaliter respondit nobis : quod pro illa quantitate nullo modo ipsi possent assumere tale onus, allegando multa dampna recepta, et multas expensas factas tam per dominum Regem, quam per Januenses; dicendo, quod erant in justo bello, propter que Januenses vellent multo majorem quantitatem ista; quod nedum dominus Rex, antequam haberet spem aliquam ad habendum Dominium Venetiarum, fecerat eis unum mandatum, quod non condescenderent ad minorem quantitatem duorum milionum et quingentorum milium florenorum; sed propter recognitionem Dominij, (quam) facere volebamus, ipse magis leviter pertransiret: concludentes, quod istud onus non poterant assumere pro minore quantitate unius milioni et ducentorum milium florenorum. Ad que omnia respondimus justificando jura Dominationis Vestre cum multis verbis obmissis propter brevitatem, et concludendo recipere magnam admirationem de petitione quam faciebant, et factis pluribus verbis ipsi condescenderunt ad unum milionem et centum milia, dicendo; »hora est tarda, nos volumus ire ad prandium, et Vos eatis ad comedendum, et post prandium nos erimus insimul«. Ad que omnia respondimus justifiendo jura Dominationis Vestre cum multis verbis obmissis propter brevitatem, et concludendo etc.; et in recessu nostro dictus dominus Karolus habuit nobis dicere : »Ego consulerem vobis, quod mitteretis domine Regine juniori valorem florenorum XXV mile in zojelis; quia hoc faciendo vos haberetis de presenti vestram intentionem«. Que verba consideravimus magis fore ad prolongitatem quam ad expedictionem ipsorum factorum. Et post prandium dominus Karolus misit nobis ad dicendum per dominum Zanotum, quod nullus erat modus, quod pro illa quantitate, quam dixeramus, posset fieri aliquid; et quod ponere-

mus mentem, quod si recederemus a tractatu, quod de isto facto non essemus in concordio, non speraremus amplius mittere pro nobis; concludendo, quod si nolebamus aliud dicere, dominus Karolus non mitteret pro Baronibus, ita quod ad eum nos ire non oporteret. Unde his auditis deliberavimus, pro non discedendo a tractatu, facere responderi dicto domino Karolo, quod nos habebamus in mandatis non excedere dictam summam florenorum quingentorum milium; sed ut tractatus ex nostro defectu non deficeret, nos offerebamus nostro posse in casu, quo ipse dominus Karolus et Barones essent contenti facere et procurare, nos et socij nostri, qui erant Mestre, cum Dominatione Vestra, quod ipsa assentiret usque ad summam florenrum sexcentorum milium; et quod hoc onus acciperemus super nos, licet exponeremus nos maximo periculo recipiendi exinde magnas redargutiones a Vestra Dominatione. Et ita respondimus domino Zanoto quod diceret domino Karolo; qui dominus Zanotus voluit, quod dominus Generalis iret cum eo ad dicendum hec verba predicto domino Karolo. Unde ipsi ambo iverunt, et redierunt dicentes, qualiter dominus Karolus mitteret pro Baronibus; et cum essemus ad eorum presentias, per nos exposita fuerunt eis verba que miseramus ad dicendum domino Karolo per dominum Zanotum de florenis sexcentis millibus, ut est dictum. Et facta multa disputatione super inde, tandem ipse dominus Karolus fecit nobis responderi per dominum Episcopum Quinque-Ecclesiarum, quod dominus Karolus de consilio suorum Baronum respondebat nobis, quod ipsi nullo modo videbant posse accipere istud onus super se pro minori quantitate unius milioni florenorum. Et respondentibus nobis, quod istud erat dicere, quod nollent pacem; quia ista summa erat inrationabilis et importabilis nobis; et quod si haberemus causam non attendendi, nos essemus statim contenti de omni eo quid peterent; sed quia nostre intentionis erat attendere que promittebamus, nollebamus ullo modo promittere rem, quam non possemus attendere; cum alijs multis verbis. Tandem dictus dominus Episcopus Quinque-Ecclesiarum dixit, quod dicebat nobis pro parte dictorum Dominorum, quod de duobus eligeremus unum, aut dare libere sine ulla conditione Dominium

Venetiarum in manibus domini Regis, et ipsi essent contenti de quantitate quam dicebamus; aut dare eis unum milionem florenorum, sicut ipsi petebant, recognoscentibus tantum nobis Dominium Venetiarum a domino Regi, sicut fuerat ratiocinatum. Et ista erat ultima eorum conclusio. Et super hoc multa fuerunt dicta, respondendo semper, quod non poteramus facere aliud eo, quod dixeramus. Tandem non possentibus nobis habere aliud ab eis, et dicentibus pur ipsis Baronibus nobis, quod si nolebamus aliud dicere, nos poteramus ire; et ipsis Baronibus et domino Karolo surgentibus de loco in quo sedebant; existente jam sero scuro recessimus ab eis, et venimus Mestre, ubi applicuimus elapsis duabus horis noctis. Que omnia Vestre Dominationi significare curavimus, ut eadem Dominatio Vestra mandare et ordinare possit, quicquid super inde voluerit nos facturos. Dominationi autem Vestre notum facimus per presentes, quod applicantibus nobis ad campum, invenimus ibi venisse tres Ambasiatores Communis Florentinorum, videlicet dominum Thomasium condam Marci de Strocijs Militem, dominum Donatum Barbadore Doctorem Legum, et Benedictum Marci; qui ea hora, qua applicuimus ad campum, erant cum domino Karolo et alijs Baronibus. Et per ea que habuimus, ipsi in Ambassiata sua exposuerunt quatuor: primum fuit, quod Communitas sua miserat eos ad presentiam ejusdem domini Karoli ad honorandum Excellentiam Suam et explicandis de omni prosperitate status sui, et honore suo; secundum ad recommendandum Celsitudini Sue Civitatem Florentie et universam Communitatem ejusdem; tercium ad offerendum eidem domino Karolo Communitatem suam Florentie in omnibus sibi possibilibus et honestis, que concernant augmentum status Sublimitatis Sue, commoda et honores; quartum et ultimum, ad interponendum se et procurandum penes Excellentiam Suam pacem inter Serenisimam Regiam Majestatem Vngarie et colligatos suos ex una parte, et Civitatem Venetiarum ex altera; concludentes, quod hoc ultimum ipse dominus Karolus summe et pre ceteris Principibus mundi habere debebat acceptum, ut nomen Sublimitatis Sue, qui per universum vocabatur Karolus a Pace, per effectum operis rei consequens monstraretur. Et de hoc ipsi pro parte sue

Communitatis Excellentie Sue instantissime supplicabant, quatenus pro bono Christianitatis dignaretur pacem ipsam ducere ad effectum, cum ipsi essent parati interponere vires suas; postulantes finaliter ab eodem, quatenus cum ipsi ob dictam causam vellent venire Venetias ad conspectum Dominationis Vestre, ipse vellet dare eis litteras salvi conductus, et licentiam, quod venire et redire possent. Quam licentiam et litteras ipse dominus Karolus et Barones nullo modo eis concedere voluerunt, imo inhibuerunt eis expresse, quod ipsi Ambasiatores volentes nobis loqui, nullo modo loquerentur nobis. Et ita recesserunt a campo, et iverunt versus Paduam, sperantes per illam viam habere salvum conductum. Tantum dictus dominus Thomasius de Strocijs Miles in eo, quod ascendere volebant equos, venit ad nos sub una fraschata, sub qua eramus, dicendo: »Parcatis nobis quod non possimus vobis loqui; et tangendo nobis manum. Ultimo notificamus vobis, quod pro non lontanando nos adhuc a tractatu predicto tenuimus modum, quod dominus Generalis hodie misit caballarium unum ad campum, et petendum litteram salvi conductus; fingendo illam mittere acceptum pro aliquibus factis suis. Data Mestre die V. Octobris indictione III. hora IIII. diei.

Ambasiatores.

41) A velenczei dogénak a követek.

Serenissime Domine noster. Propter deliberationem heri per nos factam de tenendo modum, quod dominus Generalis mitteret postulando a domino Karolo litteram salvi conductus, ostendendo illam velle pro aliquibus factis suis, secundum quod heri per nostras litteras scripsimus Dominationi Vestre; hodie in mane venerunt duo Vngari pro ipso domino Generali, qui presenti hora recedit de Mestre, et vadit versus campum, informatus plene a nobis de omnibus oportunis. Data Mestre die VI. Octobris hora II. diei indictione III.

Ambasiatores.

42) A velenczei dogénak a követek.

Serenissime Domine noster. Hodie elapsa hora VIII. diei recepimus litteras Dominationis Vestre nobis missas per

famulum Camere; et hora VIIII. ejusdem dominus Generalis, qui secundum quod hodie scripsimus per litteras nostras hoc ipso die datas hora II. diei predicte Dominationi Vestre, iverat ad campum, redijt Mestre. A quo habuimus, qualiter ipse fuerat ad presentiam domini Karoli, ostendendo secundum modum et ordinem sibi datum per nos, ivisse ad ejus presentiam pro petendo licentiam et commeatum ab Excellencia Sua, quia ipre ire volebat Romam, ubi eum esse oportebat pro factis Ordinis sui; ita quod videns a modo nichil hic facere, recedere volebat. Et dominus Karolus his auditis habuit sibi dicere: »Ergo non venistis Vos huc alia causa?« Et ipse dominus Generalis respondit sibi: »Domine, ego non veni huc alia causa, nisi pro accipiendo licentiam ab Excellentia Vestra«. Et tunc dictus dominus Karolus habuit dicere: »Videte, domine Generalis, ego nullo modo volo quod Vos recedatis, quia ego volo quod sitis de his factis michi in testem coram Deo et hominibus mundi«. Et ipse dominus Generalis statim habuit sibi respondere: »Excelse Domine, Domine mi. Cum reverentia Vestre Excellentia loquendo, ego nescio, quam testificationem ego possum facere de vobis; quia vos fecistis me videri esse sachum unum mendaciorum, pro eo, quod vos scitis quid vos dixistis michi, quando ego fui ad presentiam Excellentie Vestre, quod vos fueratis cum omnibus Baronibus; et pro faciendo totum illud, quid poteratis, vos non potueratis reducere eos Barones ad minorem quantitatem florenorum octingentorum milium; et quod de illa quantitate omnes Barones essent contenti. Et postea, quando isti domini Ambasiatores fuerunt hic, petita fuerunt milionum unum et ducenta milia; ita quod isti domini Ambasiatores possunt semper dicere de duobus unum, videlicet aut quod ego eis dixerim mendacia, et quod vos non dixeritis michi illa verba; aut quod vos feceritis de me, sicut fit de puerulis et de mulieribus. Et in omni casu ego reputavi et reputo michi ad magnam verecundiam; et vere iste modus ostendivit, quod vos non velitis pacem, sed attendatis ad destructionem illius Civitatis, et accipere eis totum illud quod habent. Unde nollo me invenire ad illa, ita quod nollo amplius stare hic, sed volo ire ad faciendum facta Ordinis«. Et his dictis dominus

Karolus respondit sibi jurando cum multis sacramentis et dicendo : »Videte, domine Generalis, Deus novit, quod ego omnia que potui et possem facere pro statu et conservatione Civitatis Venetiarum; ego feci et facerem, sicut pro Civitate mea propria; et illud quid ego dixi vobis, fuit verum; sed sicut dixi vobis, quando illi domini Ambasiatores fuerunt hic, aliqui istorum Baronum fuerunt ita revoluti, quod ipsi condescendere noluerunt ad minorem quantitatem ea, que audivistis«; interrogando eum dominum Generalem, et dicendo: »Scitis vos, si illi domini Ambasiatores habuerunt responsionem aliquam a Dominatione Sua de illa summa florenorum sexcentorum milium?« Dictus dominus Generalis respondit, quod ipse non credebat; subjungendo : »Imo ipsi expectant cum magno timore magnas reprehensiones de eo, quid se largaverunt ad tantam quantitatem que eis est importabilis«. Et dictus dominus Karolus tunc dixit : »Ego volo ire personaliter ad inveniendum istos Barones, et dicendum eis de isto vestro recessu quem vultis facere, et adhuc de causa propter quam movetis vos ad recedendum; et ad faciendum totum id quod potero, si possem illos removere a dicta quantitate, et detrahere de illa.« Et ita dictus dominus Karolus ascendidit equum, dimisso ipso domino Generali, et ivit ad inveniendum Barones, et loquendum cum eis. Et stando per magnam horam ipse dominus Karolus redijt, et fecit dictum dominum Generalem ire ad eum. Et habuit sibi dicere; primo, quod illi Barones nullo modo volebant, quod ipse permitteret recedere eum dominum Generalem, quia sciebant quod dominus Rex voluerat, quod ipse foret in istis factis; et quod si ipse volebat stare in campo, sibi parerentur omnia necessaria. Ad aliud vero factum ipse dominus Karolus dixit sibi cum multis sacramentis : »Vere sicut dixi vobis, et Deus novit; ego vellem facere pro illa Civitate omnia que possem, sicut pro mea propria. Et si ego possem facere, et arbitrium esset in me solo, pro certo ego complerem cito, et facerem omnia que isti Domini vellent. Sed ego fui cum istis Baronibus, et feci omnia que potui, ut removerent se; et ipsi respondent michi : Nos sumus reversuri in Vngaria statim, et vos estis remansuri ad istas partes; et scimus verba, que dominus Rex dixit nobis

de magnis dampnis que receperat, et qualiter marsupium suum erat vacuatum pro istis factis. Et quod propterea condescendendo ad minorem quantitatem, ipsi non vident, qualiter ire deberent coram eo; ita quod nullo modo volunt condescendere ad minorem quantitatem unius milioni; »dicente ipso domino Karolo eidem domino Generali, quod illi qui erant duri in hac opinione, erant dominus Jacobus Ispanus, dominus Achus, dominus Umbricus Miles, et ad illam opinionem adherebat dominus Benedictus Banus. Sed dominus Episcopus Quinque-Ecclesiarum, dominus Magnus Comes, Suter Petrus Banus bene condescederent ad opinionem domini Karoli; sed videntes illos stare constantes in opinione sua, non audent sumere onus predictum super se. Et dicit ipse dominus Generalis, quod dictus dominus Karolus sibi dixit, videns non posse facere id quod volebat: »Unus modus videretur michi, quando isti Domini nolunt condescendere ad voluntatem istorum; quod pro non derelinquendo istud factum ipsi ponerent se in manibus domini Regis ab illa quantitate sexcentorum milium florenorum usque ad illam quantitatem unius milioni florenorum, de eo quid vellet gravare eos; et quod adhuc volentibus eis facere hoc, non videretur michi, quod ipsi deberent aperire se, et dicere statim istud, sed cum aliquibus cautis modis ipsi dimittebant istud capitulum ita in suspenso, et dicerent de eundo ad alia capitula domini Regis. Et causam, que movet eum ad consulendum, quod teneatur iste modus est; quia Dominus Padue, qui facit totum id quid potest, quod ista pax nunquam fiet, nisi quando volet, faceret, quod isti qui tenent cum eo, si istud capitulum esset terminatum, in alijs capitulis invenirent et pouerent semper aliquam exceptionem, ut pax destrueretur, et quod concordia non sequeretur, sicut dictus Dominus Padue temptat. Et si dictum capitulum non erit concordatum, et remanet ita in suspenso, melius terminabuntur alia capitula. »Et propterea dabitur vobis scorta, que veniet vobiscum; et si ibi Domini volunt observare istos modos, dicens illi qui veniet vobiscum, quod ipse dicat michi, quod cras mittatur scorta pro illis Dominis; quia volunt venire ad me, et ego mittam pro eis«. Et in casu quo vellent stare firmi in proposito suo, non oportet mittere ad dicendum aliquid,

dicente ipso domino Generali, quod cum his verbis recesserat a domino Karolo. Que omnia Vestre Dominationi curavimus denotare; significantes Vobis, quod pro possendo facere illud boni quod poterimus; misimus, quod scorta cras nobis mittatur; quia vellemus esse ad presentiam suam. Cum venerit, ibimus ad campum, et quicquid fecerimus, Vestre Dominationi curabimus velociter denotare. Unam litteram receptam a Collegio Tarvisij Vestre Domininationi pro informatione Vestra mittimus presentibus introclusam. Data Mestre die VI. Octobris hora III. noctis indictione III. Ambassiatores etc.

43) A velenczei dogénak a követek.

Serenissime Domine noster. Heri hora IIII. diei scorta venit pro nobis, et statim nos Nicolaus Mauroceno, Jacobus de Priolis et Michael Mauroceno ascendimus equos, et equitavimus ad campum una cum domino Generali. Et dum essemus ad campum, stetimus usque XXII. horam, antequam esse possemus ad presentiam domini Karoli. Et hoc processit, prout sentivimus, quia dominus Magnus Comes equitaverat, et ipse expectabat eum; tamen ipso domino Comite non veniente, idem dominus Karolus misit pro nobis. Cum quo invenimus omnes ceteros Barones preter dictum Comitem Magnum. Et dum essemus ad eorum presentiam factis et dictis multis verbis et rationibus per nos eisdem ad ostendendum, quod summa florenorum quingentorum milium eisdem clare promissa ultimo quando fuimus ad eorum presentiam, erat illa summa, quam Dominatio Vestra adhuc cum magna gravitate attendere posset et solvere; et quod si Dominatio Vestra ultra illam summam gravaretur, esset sibi importabile; allegando multas causas et ostendendo multis rationibus, quod dominus Rex, et pro honore domini Regis, non debebunt Dominationem Vestram velle gravare ad aliquam pecuniam solvendam, que Vestre Dominationi importabilis esset; quas rationes et causas propter brevitatem obmittemus. Tandem elargavimus nos ad offerendum firmiter usque ad summam florenorum sexcentorum milium, de qua promiseramus eis procurare penes Dominationem Vestram, sicut scripsimus Dominationi Vestre, quod esset contenta; exprimendo eisdem, quod

Vestra Dominatio scripserat nobis cum multis reprehensionibus, dicendo quod mirabatur, qualiter nos elargaveramus ad faciendum promissionem predictam, considerato quod nos bene debebamus scire et cognoscere, quod ista summa erat sibi importabilis ad solvendum, cum alijs multis verbis; sed tamen habito respectu ad promissionem quam fecerimus, Vos datis nobis arbitrium quod condescendere possemus usque ad summam predictam ducatorum sexcentorum milium. Et facta inter ipsos multa disputatione superinde, quia jam erat nox; ipsi dixerunt nobis: »Videte Domini, nos videmus horam tardissimam; et propterea nos volumus quod eatis domum; et dabimus vobis unum qui veniet vobiscum, et tenetis illum, et cras in mane bona hora veniatis. Quia nos stabimus tota die super istis factis, et erimus super hoc capitulo et alijs, et interim nos cogitabimus et vos cogitabitis super inde«. Et summo mane vadimus nos tres ad campum, facturi id quod poterimus pro honore Dominationis Vestre, ut portatur finis debitus factis istis. Sentivimus, quod Vestra Dominatio facit maximos apparatus pro substinendo honore ejusdem Dominationis Vestre; et propterea, si persone nostre vel alique earum essent utiles ad aliquid, offeremus nos paratos usque ad mortem pro honore ejusdem Dominationis Vestre totis viribus laborare. Data Mestre die VIII. Octobris in mane, indictione III. Ambasiatores etc.

44) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Sicut srcipsimus Dominationi Vestre hodie, nos Nicolaus Mauroceno, Jacobus de Priulis et Michael Mauroceno fuimus ad campum. Et statim fuimus ad presentium domini Karoli et aliorum Baronum; et facta magna disputatione super summa pecunie solvenda, de qua stetimus firmi ad summam promissam ducatorum sexcentorum milium, allegando pluribus ratinonibus ipsam summam fore adhuc importabilem Dominationi Vestre; tandem dictus dominus Karolus habuit dicere: »Bene, eamus ad capitulum census, et permittatis istud sic« dicendo: »Vos recognoscetis dominum Regem in Vestrum Dominum, sicut est dictum; sed quem censum vultis vos dare?« Et nos respondimus,

quod dicerent, quem censum volebant. Et ipse dominus Karolus respondit, quod volebant annuatim C^{m} (100 ezer) ducatorum pro censu; facta mentione semper, quod quicquid solveretur, foret pro censu, et pro facto salis, remanentibus buchis fluminum semper clausis, sicut ante guerram stare consueverunt. Et adhuc nos respondimus, quod ista petitio erat ita injusta, inhonesta et inaudita, quod ad ipsam nullo modo sciremus respondere; allegando multas rationes, et allegando census, qui reddebantur de alijs terris Italie et Imperatori et Ecclesie de terris suis proprijs, qui erat quid minimum. Et de Civitate Venetiarum, in qua Rex nullum pretendebat, nec unquam dixit jus habere, de qua Dominatio dat sibi honorem Dominij, ipsi petebant tam excessivum censum, cum alijs multis verbis. Et factis nobis multis interrogationibus, quod diceremus, quid volebamus dare, quia dicebamus quod nesciremus respondere ad tales interrogationes; nos finaliter respondimus velle sibi dare decem milia ducatorum annuatim pro sensu, intelligendo pro censu et facto salis, remanentibus buchis fluminum clausis, ut est dictum. Et facta magna disputatione hincinde super predictis, tandem ipsi condescenderunt ad quinquaginta milia ducatorum. Nos vero nunquam ascendimus ad majorem quantitatem decem milium ducatorum; et dum propter multas disputationes factas inter nos res esset in tali actu, quod credebamus posse reducere ad aliquem finem tam capitulum pecunie solvende; quia dominus Generalis nobis dixerat, quod dominus Karolus sibi dixerat, quod credebat reducere Barones ad contentandum ad summam ducatorum sexcentorum milium, et quod a dicta summa usque ad summam octingentorum milium Dominatio Vestra staret judicium Regis; et etiam capitulum census, de quo idem dominus Generalis dixit nobis, quod dixerat sibi de ducatis quinquaginta milia annuatim, quid etiam credebamus reducere ad minorem quantitatem; ipse dominus Karolus et Barones dixerunt nobis : »Si vos vultis esse in concordio nobiscum de istis duobus capitulis; intelligendo semper, quod Tarvisium et Tarvisana, et totum illud quid tenetis in istis partibus a montibus usque ad mare sit domini Regis, nos sumus parati ponere nos in ordine; aliter utraque pars remaneat in suo sta-

tu«. Et hijs auditis diximus sibi, quod multum mirabamur de tali petitione, quia nulla facta fuit unquam mentio de hoc, imo semper quicquid diximus et promissimus eis, promissum fuerat per nos semper remanentibus Dominationi Vestre omnibus Civitatibus, Terris, Castris et locis, que et quas tenet ad presens, et restitutis Dominationi Vestre omnibus Civitatibus, terris, castris et locis occupatis Dominationi Vestre, et que occupari possent usque ad conclusionem pacis, cum multis allegationibus et rationibus per nos dictis. Quibus dictis et allegatis retrahentibus nobis in partem, finaliter per dominum Generalem ipsi responderunt nobis, quod nos firmiter teneremus, quod hoc de facto Tarvisij et Tarvisane oportebat esse necessario, et quod nisi hoc fieret et promitteretur, non oportebat amplius loqui de hijs factis. Et tandem pro non derelinquendo factum, diximus domino Generali, quod diceret eis, quod nullum de hoc arbitrium habebamus a Dominatione Vestra; imo expresse inhibitum erat nobis, sed de hoc nos scriberemus Dominationi Vestre. Et tunc ipse dominus Karolus etiam nobis dici fecit, quod si volebamus scribere, ipse erat contentus; sed quia Ambasiatores Januensium debebant esse cras ad eum, videbatur esse bonum, quod cras iremus ad campum, et essemus ad presentiam suam, quando erunt Ambasiatores Januensium; et quod diceremus sibi, quod sicut Excellencia Sua sciebat, nos fuerimus pluries ad presentiam suam, aliquando cum scorta, aliquando sine csorta solum cum littera salvi conductus; et quod requisiveramus eum de pace tractanda et fienda cum domino Rege et cum alijs colligatis; et quod ipse dixerat nobis, non posse facere sine colligatis; et quod nunc, quod Januenses erant ibi, nos adhuc petebamus, quod placeret eis se disponere ad pacem et dicere quicquid volebant a nobis, quia nos eramus parati facere totum illud, quid esset justum. Et quia nobis non videbatur utile, non habendo aliud esse ad presentiam suam, nisi haberemus responsionem Vestre Dominationis, fecimus sibi respondere per dominum Generalem, quod eramus parati in hoc tenere modum quem volebat; sed nobis non videbatur esse necessarium fore ad presentiam suam, videndo intentiones eorum, nisi primo haberemus responsionem a Dominatione Vestra. Et ipse fecit

responderi nobis, quod iste modus, quem dicebat, erat necessarius pro tenendo Januenses in suspenso; quia cras debebant esse insimul pro deliberando modum, quem debebant tenere super factis suis de faciendo guerram suam, et ad alium finem non faciebat hoc. Et interim nos haberemus responsionem a Dominatione Vestra, et postea die lune possemus esse cum eo; unde videntes intentionem suam diximus, quod faceremus quicquid mandabat. Et accepto ab eo et Baronibus comeatu venimus Mestre; et cras ibimus ad campum cum scorta venerit, secundum ordinem datum. Unde super hijs factis Tarvisij et Tarvisane respondeat et mandet Vestra Dominatio, quicquid voluerit nos facturos. Recordamur tamen Vestre Dominationi, quod non possemus comprehendere, ad quem finem venire possimus cum istis, pro eo quod nullam constantiam invenimus in eis; quia semper faciunt novas petitiones, et nonquam stant firmi ad aliquid; ita quod nullum sazium ex causa predicta de eorum opinionibus colligere possumus ullo modo. Data Mestre die VIII. Octobris hora VI. noctis, indictione III.

Ambasiatores.

45) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine Noster. Dum scorta heri hora IIII. diei venisset pro nobis, conferentibus nobis omnibus in simul, Nos Nicolaus Mauroceno, Jacobus de Priolis et Michael Mauroceno ivimus ad campum; intrantibus nobis intra loca, in quibus est campus, Ambasiatores Januenses invenerunt se esse post nos, qui veniebant de Oriago ad campum; unde ipsi traversaverunt viam, et iverunt ante nos ad temptorium domini Karoli. Et dum applicaremus penes locum, in quo dictus dominus Karolus moratur, nos obviavimus eidem domino Karolo, qui cum Januensibus veniebat eques versus viam per quam ibamus. Et ut scivimus postea et vidimus oculate, ipsi ibant ad quendum locum in uno campo, in quo ipse dominus Karolus et ejus Barones convenerunt cum omnibus colligatis, videlicet cum predictis Ambasiatoribus Januensium, cum Ambasiatoribus Domini Padue, inter quos erat, ut sentivimus, dominus Jacobus Turchetus, et cum Ambasiatoribus domini Patriarche. Nos vero positi fuimus ad certum locum penes

temptorium domini Karoli, in quo expectavimus bene per horas quatuor vel civca, per quid spacium temporis dictus dominus Karolus et Barones et alij colligati sui steterunt omnes insimul; et tandem dicti colligati omnes recesserunt, remanentibus ipso domino Karolo et Baronibus. Et dum recessissent ipse dominus Karolus et Barones miserunt pro nobis; et statim fuimus ad presentiam suam. Et per dictum dominum Karolum tunc dictum fuit nobis; quando ipsi fuerant cum colligatis suis, et quod habuerant intentiones eorum, et dederant eis capitula in scriptis eorum que petent; et quod ipsi facerent copiari ea illo sero, et quod hodie nos possemus esse ad presentiam suam, et ipsi darent nobis copiam capitulorum, et postea possemus respondere et deliberare super ipsis ad illum terminum, qui videretur conveniens. Verum ipsi volebant scire, si nos habebamus mandatum in personas nostrum Nicolai, Jacobi et Michaelis. Et nos statim respondimus, quod habebamus sindacatum in personas nostras et domini Zacharie, et modo etiam domini Johannis Gradonico, et cujuslibet nostrum in solidum, illius ejusdem forme, continentie et tenoris cujus erat illa copia, que alias data fuerat Excellentie Sue; ostendendo sibi sindicatum predictum, quem nobiscum portaveramus. Et ipsi dixerunt, quod faceremus copiari illum, et copiam deberemus eis dare. Et nos respondimus, quod faceremus copiari illum; scilicet postquam non volebant aliud, nisi dare nobis copiam capitulorum eorum, que petunt colligati, non videbatur nobis necesse, quod persone nostre irent ad campum, sed mitteremus Notarium nostrum, cum copia sindicatus, et ad accipiendum copiam capitulorum colligatorum; et quod ad illum terminum, quem Sua Excellentia ordinaret, nos postea essemus ad presentiam suam cum deliberationibus et responsionibus superinde. Et ipsi fuerunt contenti, statuentes terminum ad diem Jovis proxime. Verum nos diximus eisdem domino Karolo et Baronibus, quod sicut ipsi volebant videre libertatem nostram et copiam sindicatus; ita et nos, antequam responderemus aliquid, volebamus videre sindicatum eorum colligatorum et habere copiam. Et ipsi responderunt quod hoc erat justum, et ita facerent nobis ostendi eorum sindicetum, et dari nobis copiam. Unde secundum ordinem datum

mittemus hodie Bon Johannem Notarium ad campum. Et cum venerit, statim copiam ipsorum capitulorum Vestre Dominationi curabimus destinare. Verum quia videtur nobis, quod ipsi delectentur ista facta ducere in longum, et nescimus ad quem finem; recordamur Dominationi Vestre, quod est bonum, quod ad facta deinde sitis continue ita previsi, quod honor Vestri Dominij conservetur. Data Mestre X. Octobris hora prima diei, indictione III. Ambasiatores vestri.

46) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Noverit Vestra Dominatio per presentes, quod secundum ordinem heri nobis datum per dominum Karolum et Barones, prout hodie scripsimus Vestre Dominationi, misimus hodie Bon Johannem Notarium nostrum ad campum, ad portandum sindicatum cum copia, et ad accipiendum capitula eorum, que dominus Rex et alij colligati petunt seu petere volunt, Dominationi Vestre. Et sicut dictus Bon Johannes fuit ad campum, ipse invenit, quod tres Ambasiatores Januensium, Ambasiatores domini Patriarche et Domini Padue redierant ad campum. Unde dominus Karolus dixit Bon Johanni predicto, quod colligati reversi fuerant ad campum dicentes, quod erat conveniens, quod ad istud primum actum, videlicet ad porrigendum capitula, partes essent presentes, ordinando eidem Bon Johanni, quod velociter rediret pro nobis, quod iremus ad campum. Ex quo dictus Bon Johannes redijt Mestre elapsa hora IIII. diei, et retulit nobis omnia supradicta, que sibi dixerat dictus dominus Karolus. Quibus auditis statim, conferentibus primo nobis omnibus insimul, nos Nicolaus Mauroceno, Jasobus de Priolis, Johannes Gradonico et Michael Mauroceno ivimus ad campum, et fuimus ad presentiam domini Karoli et aliorum Baronum, existentibus cum eis dictis tribus Ambasiatis Januensium et aliorum colligatorum. Et dum essemus ad presentiam suam, ipsi primo videre voluerunt sindicatum nostrum, qui lectus fuit in conspectu omnium. Et lecto sindicatu per Barones domini Regis parata fuit nobis primo una cedula capitulorum que petit dominus Rex; secundo per Ambasiatores Januensium habentes capitula in manibus, dictum fuit nobis, qualiter ipsi

notaverant capitula eorum, que Commune Janue petit et intendit petere. Sed antequam darent nobis illa, ipsi volebant, quod nos promitteremus eis ita respondere in scriptis ad illum terminum, quid statueretur, sicut ipsi dabant capitula nobis in scriptis. Et nobis trahentibus nos in partem et conferentibus insimul, nos respondimus eisdem, quod de more Dominationis Vestre non erat respondere in scriptis, sed oretenus; et propterea nos non audeamus facere eis hanc talem promissionem, nisi primo scriberemus Dominationi Vestre, pugnantes omnibus modis, quibus potuimus, ut non astringerent nos ad hanc promissionem. Sed cum ipsi nullo modo vellent assentire ad dandum nobis capitula et petitiones suas in scriptis, nec oretenus illa dicere, nisi faceremus eis promissionem predictam; et cum hac opinione erant omnes Ambasiatores aliorum colligatorum, allegantes quod illud, quod ipsi petebant erat juridicum; finaliter conferentibus nobis insimul una altera vice, et videntibus, quod nisi fecissemus promissionem predictam, ipsi volebant recedere dicentes, quod amplius mitteretur pro eis; nos assensimus respondere eis in scriptis ad illum terminum, qui statueretur; dicendo, quod bene quod veritas esset, quod de more Vestre Dominationis non erat respondere in scriptis, tamen nos volebamus sumere hoc onus super nos; promittentes eis respondere in scriptis ad terminum qui statueretur. Et ipsi petierunt, quem terminum volebamus; et nos petijmus terminum ad diem lune proxime, videlicet octavum diem ab hodierno. Et ipsi fuerunt contenti, dicente dicto domino Karolo: »Ad illum terminum vos deliberaveratis, et in illa die termini de mane vos respondebitis nobis ubi erimus; et si ante deliberavissetis, nos erimus contenti accipere responsiones vestras. Et his dictis primo per Januenses data fuerunt nobis capitula, secundo per Ambasiatores domini Patriarce, ultimo per Ambasiatores Domini Padue. Que capitula non possentes facere copiari, quia deliberavimus summo mane mittere Bon Johannem Notarium nostrum cum domino Generali ad campum, pro sciendo quem modum dominus Karolus ordinare vult de capitulis nobis porrectis; et hoc propter colloquia habita usque nunc cum Excellencia et Magnificentia aliorum Baronum, Vestre Dominationi mittimus in uno saculo

bullato; supplicantes Vobis, quatenus dignemini ipsa velociter facere copiari, et postea ipsa capitula nobis remittere quam velocius esse potest. Verum quia, sicut Vestra Dominatio videre poterit, in ipsis capitulis sunt aliqua capitula, de quibus in commissione nostra per Dominationem Vestram datus est ordo responsionum quas facere debebimus; et aliqua sunt, de quibus in dicta commissione nostra nulla facta est mentio; placeat Dominationi Vestre mandare, quicquid ad responsionem capitulorum, de quibus in nostra commissione non est facta mentio, aliqua voluerit nos facturos; quia ad alia respondebimus secundum commissionem nostram, nisi aliud Vestra Dominatio mandaverit superinde. Recepimus hodie per Nicoletum a Camera, per quem mittimus presentes cum capitulis, breve nobis missum per Dominationem Vestram, et ad executionem eorum, que continentur in ipso breve, cum erimus super factis, solicitabimus toto posse. Unum Vestre Dominationi notum facimus, quod capitula nobis pro parte domini Regis porrecta ex toto sunt differentia a tractatu et verbis his diebus elapsis habitis cum domino Karolo et alijs Baronibus. Quem modum ipse dominus Karolus et Barones ostendunt tenuisse, ut colligati sui de tractatu quem habuimus cum eis, aliqualiter non perpendant; et de hoc modo, quem tenuerunt, Bon Johannes Notarius noster dicet, dictum dominum Karolum predixisse domino Generali et sibi; quod teneret, ne colligati de tractatu predicto, habito cum eis, possent perpendere, ut est dictum. Data Mestre die X. Octobris hora V. diei. Ambasiatores etc.

47) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Secundum quod hodie Dominationi Vestre exponi fecimus per Bon Johannem Notarium nostrum, hoc ipso die fecimus, quod dominus Generalis ivit ad campum, ostendendo, quod vellet recedere, et ire ad faciendum facta Ordinis sui; informando eundem de modo, quem debebat tenere ad finem, sentiendo ultimam intentionem eorum, que dominus Karolus et alij Barones ultimate vellent pro pace fienda, tam in capitulis de quibus facta erat mentio, quam in omnibus alijs capitulis. Et hora tarda facto jam sero

dictus dominus Generalis redijt; qui nobis retulit, se fuisse cum domino Karolo presente domino Zanoto; et quod ex multis locutionibus habitis cum eodem domino Karolo, sequendo modos per nos paternitati sue dictos, breviter ipse dominus Generalis a se nobis dicebat: quod in casu, quo Vestra Dominatio vellet libere dare domino Regi Vngarie Tarvisium et Tarvisanam, sicut alias dictum est; de quo dominus Karolus sibi dixerat, quod non erat remedium aliquod, quod aliter fieri posset; quia jam ipse dominus Karolus et Barones scripserant eidem domino Regi, quod haberent Tarvisium et Tarvisanam, quod ipse dominus Generalis credebat facere, quod de capitulo — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —

48) A velenczei dogének a követek.

— — — — — — — — — — — —
— — — — — — — — — — — — —
— — — — durioruin fieret pro ducatis VI^{C} milibus dimittendo in arbitrio domini Regis, quod possit gravare Dominationem Vestram in illa quantitate, que sibi videbitur, a dictis V^{C} milibus usque in ducatis VIII^{C} milibus. Et de capitulo census fieret pro ducatis XXVIIII milibus usque in XXX^{m}. Et quod dictus dominus Karolus dixerat sibi, quod concordatis istis tribus capitulis ipse offerebat se, quod quotienscumque nos essemus cum Excellentia sua, nos non discederemus ab eo, quod de omnibus alijs capitulis ipse faceret nos bene contentos, et quod essemus in concordia. Que verba licet ipse dominus Generalis ostenderet a se nobis dicere, tamen clarissime comprehendimus et tenemus, quod ipse ea verba habuit a predicto domino Karolo; intelligendo semper per capitulum recognitionis dominij firmum remaneat. Que omnia sicut ab eodum domino Generali habuimus, curavimus Vestre Dominationi denotare velaiter. Dixit insuper nobis, quod cras summo mane scorta venire debet pro nobis; que sicut venerit, ibimus ad campum ad terminum constitutum. Quia per Bon Johannem predictum habuimus, quod nocte preterita veniendo Venetias ipse transiverat cum harcha per ante bastitas Mergerie et Rivi Vitalis, et per ante turrim

Saneti Julianni transeundo paulatim; quam invenerat apertam, quod sentitus non fuerat per aliquem ex custodibus dictorum locorum; quod per barcharolos barche, in qua erat, illos custodes vocari fecerat; licet asserat, quod transitus suus per ante dista loca fuit hora, qua erat tempus perturbissimum pluvie, ventornm et tempestatis. Quia ipse dixit nobis de hoc, Vestre Dominationi nullam fecisse mentionem : visum fuit nobis expediens, hec Vestre Dominationi nota facere, ut Vestra Dominatio mandare possit, quod in dictis locis custodia melior fiat, et honor ejusdem Vestri Diminij conservetur. Data Mestre die XVI. Octobis hora III. noctis indictione III.

Ambasiatores etc.

49) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Hodie hora nona Johannes Vngarus venit Mestre cum Chiaro famulo Maphei Letti. A quo Johanne habuimus, qualiter campus adhuc non movebat se, et quod dominus Episcopus Quinque-Ecxlesisarum, dominus Jacobus Ispanus et dominus Achus iverant Paduam pro deliberando cum Domino Paduano de modo, quem tenere debebat exercitus Vngarorum; ita quod adhuc nesciebatur, quando campus deberet se movere. Sed cum illi Domini redijssent, qui hodie expectabantur ad campum, statim sciretur, quando campus deberet se movere. Dictus vero Chiarus dedit nobis unum breve, quem dixit habuisse a quodam Notario domini Episcopi Quinque-Ecclesiarum de informatione intentionis Vngarorum, cujus copiam Vestre Diminationi mittimus inferius annotatem. Qui Chiarus aliquid nobis dixit oretenus, que, cum veniat Venetias, predicte Vestre Dominationi ipsemet curabit exprimere. Hodie autem summo mane pro poscendo scire condictiones campi, et si se movebant, missimus unum sachomanum ad campum, et tenuimus modum, quod Bon Johannes Notarius noster scripsit unam litteram domino Magno Comiti; significundo eidem, qualiter ipse Bon Johannes fecerat venire Mestre coronas et perlas, quas petierat, pro domino Achus; et quod mandaret quicquid vellet. Qui sachomanus nondum redijt; sed cum redierit, siquid novi habe-

bimus, Vestre Dominationi curabimus velociter denotare. Data Mestre die XX. Octobris hora vesperarum.

Ambasiatores etc.

50) A velenczei dogének a követek.

Serenissime Domine noster. Hodie in mane Johannes Vngarus venit Mestre pro parte domini Magni Comitis; et expositis nobis per ipsum multis verbis pro parte ipsius domini Comitis, dicendo qualiter idem dominus Magnus Comes nobis mittebat dicendo, quod pro bono et honore domini sui Regis et etiam Dominationis Vestre videbatur sibi bonum, quod faceremus cito illud quid nos debebamus, cum alijs multis verbis; et facta sibi responsione per nos, quod sicut Deus et ipsi bene sciunt, pax pro nobis non deficiebat neque defecerat, et quod illa que domino Karolo et Baronibus facere obtuleramus, erant talia, quod nunquam fuerat Imperator aliquis, neque Papa neque alius Princeps mundi, qui non habuisset sibi ad magnum honorem posse habere multo minora. Sed ipsi non erant contenti, ostendentes quod non temptarent nisi destructionem Civitatis Venetiarum; et quod dominus Rex, quando sciret illud quid nos volueramus facere eis pro ipso domino Rege, et quod ipsi noluissent remanere contenti, esset adhuc inimicus eorum, qui turbavissent hoc factum; concludentes, quod hoc quid dicebamus, non dicebamus pro ipso domino Magno Comite, quia clare videbamus suam bonam dispositionem et affectionem, de qua regratiabamur sibi quantum poteremus. Tandem dictus Johannes nobis dixit, quod Dominus suus dominus Comes nos rogabat, quatenus placeret nobis mittere sibi copiam petitionum factarum nobis per Januenses, per dominum Patriarcham Aquilegie, et per Dominum Paduanum; ut ipse ad excusationem sui posset illa ostendere. Ad que considerato, quod videbatur nobis, quod dare sibi copiam dictarum petitionum non posset esse in aliquo nocivum, sed potius juvantivum; habito respectu ad magnam inhonestatem petitionum ipsarum, deliberavimus dare sibi copiam ipsam, quam petebat. Et ita respondimus dicto Johanni, quod ipsas petitiones faceremus copiari, et cras poterat venire pro eis, et daremus sibi illas; et ita faciemus. A dicto

autem Johanne habuimus, qualiter campus levaverat se unde erat, et iverat versus Anoalum ad ponendum campum; et pars ipsorum stabat circa Anoalum, et pars ultra Anoalum. Que omnia, prout habuimus, Vestre Dominationi curavimus velociter denotare. Data Mestre die XXI. Octobris hora IIII. diei, indictione III. Ambasiatores etc.

51) Lajos mester a sz. Ferencz-rend generalisának a velenczei követek.

Domino Generali.

Reverendissime Pater. Hodie hora terciarum recepimus litteras Paternitatis Vestre cum una littera introclusa pro subsidio Venetorum existenti in Jadra, quam litteram introclusam statim misimus Dominio nostro Venetiarum. Ad id autem, quod scribit Vestra Paternitas, quod si placet nobis mittere ad Serenissimum dominum Karolum, ut possimus procedere in tractatu, et quod non dubitatis, quod non denegabat nobis: Vobis respondemus, quod vellemus libenter scire a Paternitate Vestra magis aucte et magis clare, et unde ista verba nobis scripta procedunt; quo scito, postea deliberabimus facere id quid pro honore nostri Dominij nobis videbitur convenire, cum ad pacem simus dispositi, dummodo fiant ea, que sint rationabilia et honesta. Data Mestre die XXVIIII. Octobris hora III. diei. Ambasiatores etc.

52) Zanotti siciliai seneschalnak Contareno Zakár velenczei követ.

Domino Zanotto Senescalco Illustrissimi Domini domini Karoli de Durachio.

Egregie ac Strenue Miles. Per nuncium, qui pridie ivit Tarvisium pro fratre Reverendissimi Patris et Domini, domini Episcopi Jauriensis, nobis relatum fuit in secreto ex parte Vestra, quod summe dolebatis de tractatu pacis fracto; sed sperabatis in Deo, quod deinceps aliquis bonus modus inveniretur, quod guerra presens converteretur in pacem Deo dante. Quare Vestram honorabilem et caritativam Amicitiam, que semper totis viribus laboravit pro pace, rogo, quod si ipsa videret aliquem bonum modum factibilem, placcat michi suis

litteris intimare, presentandis secreto michi per latorem presentium, vel per alium vestrum nuncium, ut secretius viderit posse fieri; nam laborabo pro posse circa ea, que tendant ad finem secundum cum honore et bono utriusque partis. Scripta manu propia, quam lectam placeat lamiare. Data Mestre XXVI. Octobris hora III. diei. Zacharias Contareno.

53) Durazzoi Károlynak a velenczei követek.

Domino Carolo.

Illustrissime Princeps et Domine. Quia Egregij viri domini Ambasiatores Magnifici Domini domini Comitis Virtutum, qui fuerunt ad conspectum Dominationis nostre Ducalis, volentes pro parte prefati Magnifici Domini sui se interponere ad tractatum pacis, mittunt presentem nuncium suum latorem presentium cum litteris suis, quas dirigunt Celsitudine Vestre pro habendo litteram salvi conductus, et scortam pro nobis, et personis nostris et comitiva nostra, ut venire possimus Castrum Franchum. Eapropter Clementie Vestre duximus tenore presentium intimandum, quod si eidem Vestre Celsitudini placuerit mittere nobis scortam cum littera salvi conductus die lune XII. hujus mensis; parati erimus venire Castrum Franchum, pro possendo esse cum Illustrissima Clementia Vestra et alijs Baronibus super tractatu pacis, quandocunque duxeritis ordinandum. Data Mestre IIII. Novembris. Ambasiatores.

(A velenczei nagy levéltárban őrzött eredeti fogalmazványaiból; a magyar tud. akadémia megbizásából másolta Mircse János.)

144.

I. Lajos magyar és lengyel király, megszüntetvén a lembergiek monopoliumát, szabadnak nyilatkoztatja Lengyelországnak a tatárok földjével kereskedését. 1379.

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie etc. vniuersis et singulis quibus expedit notum facimus per presentes, quod benignitate nostra Regia considerantes et graciosius attendentes multiplicia incommoda et dampna,

que fideles nostri vniuersi mercatores Regni nostri Polonie, racione preclusionis et prohibitionis vie Tartarice, quam ciues nostri Lemburgensis suis pretenderant mercatoribus, haberent et tollerarent irrecuperabiliter; simulque pio assumentes corde fide legali fidelium nostrum Prelatorum, Baronum et plurimarum Ciuitatum nostrarum dicti Regni Pelonie huiusmodi testimonium, scilicet quod ab antiquo retro actis temporibus, et presertim tempore condam Illustrissimi Principis domini Kazimiri auunculi nostri, Regis Polonie diue memorie, predicti Regni nostri Polonie mercatoribus cum ipsorum mercationibus prefatam viam Tartaricam transire semper fuit liberum et licitum; et quoniam per memoratos Prelatos, Barones nostros, et Ciuitatum nostrarum dicti Regni Polonie homines informati sanius, clarius et luculentius, quam alias per ciues nostros predictos Lemburgi, litteras nostras de nobis ad dictam eorundem Lemburgensium assercionem ipsis emanatas presentibus reuocando annullamus, nulliusque decernentes et volentes omnino fore efficacie, memoratos Regni nostri Polonie predicti mercatores, vniuersaliter singulos et singulariter vniuersos, a prefata ciuium Lemburgensium et aliorum quorumcumque preclusione dicte vie Tartarice graciosius perpetuo absolvimus et liberamus, donantesque eisdem mercatoribus, dum, quando et quocies ipsis optimum, commodosum et expediens fore videbitur, cum ipsorum mercancijs, per dictam viam Tartarie partes proficiscendi libere et reuertendi, sub iisdem juribus et modis theloniorum Lemburgensium et ceterorum, tempore memorati olim domini Kazimiri Regis, auunculi nostri, consuetis et tentis, plenam integram et omnimodam facultatem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Cassouie dominica die infra octauas Assumpcionis Beate Marie Virginis anno Domini millesimo CCC.LXX. nono.

(XVI. századi copialis könyvből, Krakkó város levéltárban.)

145.

Erzsébet anyakirályné, s I. Lajos magyar és lengyel királynak Lengyelországban helytartónöje nyilt rendelete a lembergi örmények szabadalmai tárgyában. 1379.

Elizabeth Dei gracia Ungarie et Polonie Regina senior nostris fidelibus universis et singulis Capitaneis, Woyewodis, Burgrabiis, Officialibus per totam Terram nostram Russie constitutis graciam Regiam cum fauore. Cupientes Communitatem Armenorum nostrorum de Lemburga Ciuitate nostra Terre prescripte nostre perfrui bona pacis tranquilitate; Vestre nimirum Universitati ac fidelitati nostro Regio edicto firmiter committentes mandamus, quatenus Armenos nostros in dicta Ciuitate nostra Lemburgensi intra muros et extra Ciuitatis eiusdem cohabitantes in suis consuetudinibus, moribus videlicet, Aduocatis, Episcopis, Sacerdotibus, Ecclesiis, seu quibusuis utilitatibus ac iuribus universis, quibus alias tempore Serenissimi Principis domini Kazimiri eadem grocia olim Regis Polonie beate recordacionis fratris nostri preclari, ae tempore nostri regiminis usi fuerant hucusque et utebantur, ex nunc prout ex tunc utifrui pacifice et quiete statu et iure primeuo absque omni contradiccione et recusa stare et viuere permittatis nostre Reginalis gracie sub obtentu. Vobis nichilominus nostro fideli Baroni, domino Janussio Capitaneo Terre sepius nominate singulariter committimus intimantes, quatenus superius dictos Armenos ab hominum quorumlibet iniuriis, molestiis et perturbacionibus universis tueri et protegere sollicite debeatis, et in eorum iure per vos et quemlibet vestrum, nec non alios in terra Russie constitutos, more pristino permittatis cum effectu. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum. Datum in Appriassj feria tercia in vigilia Beati Bartholomei Apostoli anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono.

(Jagiel Ulászló lengyel királynak 1387-ki megerősitö privilegiumából. Lemberg város régi copialis könyvében; az ottani levéltárban.)

146.

Raguza és Ancona tengeri városok közti kereskedelmi egyezkedés. 1379.

(Instrumentum de mutuo tractamento Ragusiensium et Anconitanorum quoad doghanam, ancoragium etc. Memoratur commercium Anconitanorum per Ragusium) ad totum Regnum Rascie, ad partem Regni Hungarie vocatam Samiam (?, fors Sirmium; porro ad insulas Meledae, Curzolae, Farae et Brachiae, ad Durachium et Avelonem. Datum V. Octobris anno 1379.)

(XV. századi jegyzői okmányból, melynek csak töredéke megvan és ez is igen megrongált állapotban, a bécsi császári titkos levéltárban.)

147.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1379.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Scimus Celsitudinis Vestre clementiam, que per gloriosissimorum predecessorum suorum gradiendo vestigia, hunc devotissimum et peculiarem Majestatis Vestre populum, non Florentinem, sed Regium, cunctis retro temporibus singularis caritatis affectione dilexit, sicut libenter de nobis semper audisse felicia, sic displicenter sinistra quelibet percepisse, et non minus, quam nos ipsos, in nostris fuisse turbationibus perturbatum. Et ob id secure loquitur cum Vestra Sublimitate nostra devotio, que non est plus de suis populis, quam de nostre humilitatis statu, et huius Reipublice successibus curiosa. Noverit itaque Regia Celsitudo, illos sceleratissimos cives nostros, qui tantum in hac urbe scandalum excitarunt, quique suis demeritis, sicut alias per devotionis nostre litteras, ac etiam nuper per nostros solennisimos Oratores Vestro fecimus Culmini manifestum, a patria justo judicio sunt expulsi, quotidie, contra hoc liberum et vere Guelfum ac populare Regimen, in cuius directione hec

nostra Civitas ab illis turbulentis motibus, quos illorum suscitavit iniquitas, ad tranquillitatem placidissimam respiravit, vanis et perversis tractatibus machinari. Et ut cetera, que longissimum foret exprimere, silentio transeamus; ecce unus impurissimus civis noster, si tamen civis dicendus est, qui contra quietem patrie talia cogitavit, dum Paduam et ad Vestre Majestatis felicem exercitum accessisset, sub spetie visitandi Claritudinem Illustrissimi Principis domini Karoli de Dyrachio, horum inhumanissimorum hominum suggestionibus incitatus, cepit maximam conspirationem turbaturam nostram Rempublicam ordinare, tanta calliditate, tanto dolo, tantaque malitia, quod nisi Divina Bonitas suam nequiciam prevenisset, procul dubio subverso statu nostro, in desolationem perpetuam hanc devotissimam Vestri Culminis Civitatem in suo scelerato proposito perduxisset. Et ut iniquitatem suam facilius poneret ad effectum, et auctoritate majori civium animos inclinaret, quod referentes horremus, manibus propiis in lapide quodam secretum sigillum prefati Clarissimi Principis domini Karoli, adeo proprie figuravit, quod non solum extraneos, sed sigillatorem prefati Principis, et ipsum eumdem facile decepisset. Scripsit insuper et dictavit, quia licteratus homo fuit, familiaritatis privilegium eidem adulterinum, illud sigillum quod supra diximus, imprimendo. Fabricavit et alias litteras sub nomine illo clarissimo domini Karoli, quas ad omnes Guelfos Florentinos dirigi simulabat, quarum serie credebatur, tamquam familiari suo confidentissimo fidem plenam, quicumque Guelforum illas inspexerit, adhibere. Nec putet aliquis hec a nobis fingi, stant littere, stat sigillum illud lapideum, stat etiam illius inhumani hominis spontanea et manifesta confessio, per quam digno supplicio fuit affectus; ut possint, quecumque scribimus per rem evidentiam demonstrari. His itaque fretus falsificatis litteris cepit plurimorum civium, non Guelforum tantum, qui soli patriam regunt, sed cupidorum prede gratia facere novitatem, animos pertentare, et quotquot allocutus fuerat, autoritate litterarum motos, ad suum funestum propositum inclinavit. Et nisi fuisset tantum facinus per Dei gratiam revelatum, nemini dubium est, quin totum quod in sua malignitate conceperat, perfecisset. Suggerebat, eundem ille prefa-

tum dominum Karolum venturum esse Florentiam, et Guelforum auxilio dedita Civitate, ad Regnum Apulee transiturum, super hoc favorem singulorum pro parte dicti Domini postulando. Heu hic vir perfide, vir sanguinum, vir inique, ecce patriam prodere, tranquillitatem huius urbis subvertere, et tantum audere facinus cupiebas. Cur sceleris huius contagio non es veritus splendorem tanti Principis maculare? An tibi parum erat corrumpere cives, extinguere pacem, et novum intestinum bellum intra patriam excitare, nisi rerum novandarum cupidine, qua ut de civium spoliis ditareris, accensis precordiis deflagrabas, etiam famam et nomen innocentissimi Principis denigrares? Magna itaque fortuna nostra preventi sunt tui scelerati conatus, maiore tamen gloria Domini nostri Karoli, qui tante machinationis prorsus fuit inscius et ignarus. Videtis itaque, Benignissime Princeps, quam propinqua fuerunt huic devotissimo vestro populo perfidiosa pericula, et quanta Dei gratia fuerimus hac conspiratione pestifera liberati. Cuius pretextu, de futuris eventibus curiosiores effectos oportet nos, et emulis nostris qui super nos cogitant consilia turbationis et confusionis, et nostris civibus qui possent, ut experientia docet, per suggerentium malitiam inclinari, omnem occasionem auferre, et omnem similia tentandi precidere facultatem. Quapropter, Clementissime Princeps, Majestati Vestre humillime supplicamus, quatenus dignemini scribere inclito Principi domino Karolo supradicto, quod et statum nostrum dignetur suscipere commendatum, et quod postquam hec pestis quorumdam nostrorum civium mentes invasit, si profecturus est in Apuleam recta via, non intrando nostrum territorium, dirigere debeat gressus suos. Scimus enim, quod quantum in ipso est, nostri foret status, quietis, et pacis diligentissimus custoditor, sed irrequietos cives, quos vel inopia cogit tentare res novas, vel inpellit ambitio compositam et ordinatam patriam perturbare, non posset quantacumque conaretur instantiam continere. Et nos manifeste videmus, ipsos in eorum innata perfidia ex suo adventu occasionem futuris motibus assumpturos. Removeatur itaque causa, et cessabit effectus; nam breviorem, vel saltem commodiorem eligendo profectionis sue viam, et splendori sui nominis consulet. Cui scelerati illi tenebras huius

subversionis conantur affundere, et nos, devotos filios suos, et metu et eventu tanti periculi liberabit. Majestatis Vestre Celsitudinem conservet Altissimus, et feliciter augeat, ut longis temporibuss possit nostra devotio sub eius umbro protegi, et in gratia Vestri Culminis conservari. Data Florentie die XVII. Octobris III. indictione MCCCLXXVIIII.

(A »Signori, Carteggie, Missive, Registri della Concellaria« irományai közt a Marchese Ginori-féle XX. Codexében 74. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

148.

Erzsébet anyakirályné, s I. Lajos magyar és lengyel királynak Lengyelországban helytartónöje, helyben hagyja Florián krakkói püspök számára Petczyska helységnek megvételét. 1379.

Elizabeth Dei gracia Vngarie et Polonie senior Regina notum facimus quibus expedit vniuersis, quod ad instantem peticionem Reuerendi in Christo Patris domini Floriani Episcopi Cracouiensis stb. empcionem totalis partis heredatis in Petczyska vocate per dominum Florianum Episcopum factam et contractam cum Nicolao dicto Spargalth et Catherina sua filia, vxore Pacoslai heredis de Michalouicze, tunc legitimis dicte partis hereditatis Dominis et heredibus ratam et gratam habentes, nostrum Regium ad ipsam empcionem apposuimus consensum et assensum stb. Datum in Wyslicia ipso die Beate Eduigis sub anno Domini millesimo tercentesimo septuagesimo nono.

(Eredetie börhártyán, a krakkói káptalan levéltárban.)

149.

Erzsébet anyakirályné, s I. Lajos magyar és lengyel királynak Lengyelországban helytartónöje a stanatki-i zárda hajókázási jogának tárgyában. 1379.

Nos Elizabeth Dei gracia Vngarie, Polonie, Dalmacie etc. senior Regina notum facimus quibus expedit vniuersis:

quod ad nostram Baronumque nostrorum veniens presenciam religiosus vir Msczislaus Prepositus Monasterij in Stanatki, vna cum Monialibus, ibidem sufficienter per priuilegia et fidedignas probaciones docuerunt et sunt protestati, quomodo nauigium antiquitus wirzbanczin przewoz wlgariter nuncupatum in Wisla inter Nepolomicze et Msczanczin ab antiquo ad dictum Monasterium de jure pertineret. Nos itaque visis ipsius, vt prefertur, probacionibus sufficientibus, predictum nauigium dicto Monasterio in perpetuum assignantes, tenore presencium duximus restituendum; ita tamen, quod sepedictum nauigium inferius in loco antiquo, vbi prius fuerat, constituatur. In cuius rei testimonium nostrum sigillum presentibus est appensum. Actum et datum Cracouie feria secunda infra octauas Omnium Sanctorum sub anno Domini millesimo trecentesimo septuaguagesimo nono.

(Pauli Zsegota ur, lengyel tudósnak szíves közleménye.)

150.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1379.

Regi Ungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps. Non admirabitur Regia Celsitudo, quamvis audeat nostra devotio, aliquid, licet magnum, a Vestre Sublimitatis Clementia postulare. Nam talis nodus humilitatem nostram Vestro Culmini longis retro temporibus obligavit, quod reverentis nostre caritatis jure videamur posse, quicquid petere decreverimus, impetrare. Addantur merita viri, pro quo cogimur multis respectibus intercedere, de eo presertim, quod ad vestri throni gloriam noscimus pertinere; ut sic in unum oportune collatis devotione petentium, promovendi virtutibus, et benigne Majestatis, cui supplicatur, honore; quamvis altissimum videatur pro re tanta preces exponere, spes tamen certa nos foveat, quod intendimus obtinere. Audivimus siquidem Serenitatis Vestre maritimum Admiratum ad statum minus prospere valitudinis infirmari, adeo quod illo, egritudine nimis suspecta vexato, necessarium

sit circumspectionem Regiam de successore, ne tale vacet officium, cogitare. Ex quo subiit mentes nostras clara virtus, notissima probitas, et consiliosa prudentia nobilis viri domini Petri Grimaldi de Janua, qui, pace reliquorum dictum sit, in Civitate tanta superiorem non invenit, neque parem; quem scimus quidem hominem, tam pace quam bello, cunctis pelagi periculis exercitum et expertum, nec tantum unius navis, sed classis maxime dignum ducem, sive bellum ingruat, sive sit contra fluctus spumiferos consulendum. Et cognoscentes talem ipsum fore, qualem vix posset Magnitudo Regia reperire, eumdem Serenitatis Vestre Celsitudini commendamus; tam devote, quam humiliter supplicantes, quatenus in nostre devotionis gratiam singularem, dignemini, si contingat presentem vestrum Admiratum nature debitum solvere, dominum Petrum supradictum ad officium assumere prelibatum, et eum acceptando inter vestros alios servitores, prefate dignitatis splendoribus exornare. O quantum et qualem virum inveniet Vestra Majestas, si eum ad officium sepedictum Regia Serenitas promovebit. Habebitis quidem hominem, origine Guelfum, sanguine generoso progenitum, antiqua devotione glorisissime generationi vestre subiectum, corpore volidum, fide probatum, multis in rebus expertum, consilio providum, et ad omnia que Vestra Majestas iusserit preparatum. Denique, quoniam hoc duce contra Pisanos, cum portum ipsorum invasimus, sumus usi, et maxima virtute sua, eum legibus, sed longe magis mentibus in nostram recepimus Civitatem, habebitis seruum, origine Januensem, et animo ac legibus Florentinum, et harum duarum Civitatum devotissimarum vestri throni iuribus Serenitati Vestri Culminis conservatum. Data Florentie die VIII. Novembris III. indictione MCCCLVIIII.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötetéből 81. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

151.

A florenczi köztársaságnak I. Lajos magyar és lengyel király.
1379.

Lodovicus Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacia etc.

Amici karissime. Receptis litteris vestris die XX. instantis mensis Novembris, ipsisque intellectis, expavimus pensantes, quanto subiacuisset discrimini status populusque vester, si iniquissimi hominis pensata malicia effectum habuisset. Cuius conatibus Divina obstavit clementia, cui nos gratias referre debemus. Et quia in eisdem litteris denotatus modus malignitatis declarat innocentiam illustris fratris domini Karoli Ducis, remansimus consolati. Nam, quod absit, si nocendi causam nedum dedisset, sed tantum attentasset, non fratrem, nec de sanguine nostro genitum vocaremus, sed pocius ut inimicum Nostra persequeretur Sevenitas. Noverint enim solemnes vestri Oratores ad nos transmissi responsa eis data per Serenitatem Nostram legationibus eorum, per que clare colligere potuerunt, quod Nostre Majestatis intentio erat, prosequi Communitatem vestram Florentinam, populum et regimen ipsius favoribus oportunis; et solum ad ea intendere, que pro tranquillo statu Civitatis et Communitatis facerent et regentium illam. Ipsosque rogavimus, quod eumdem fratrem nobis tunc adstantem haberet Vestra Communitas recommissum, prosequereturque eum ea amicitia, qua prosecuti fuerunt progenitores nostri et nos; specificantes eisdem per duos nobis dilectos secretarios Magnifici amici nostri karissimi, domini Francisci de Carraria etc.; quem scimus, Communitatem Regimenque vestrum prosequi ea sinceritate et amicitia, quibus et Nostra prosequitur Celsitudo, quod gentes nostras armorum ad partes Italie propter duo destinabamus: principalius erat ad extenuandum vires Venetorum hostium nostorum; et his conculcatis ad sublevandum statum Sanctissimi Domini nostri Pape Urbani et Ecclesie Romane, ortum scisma reprimendum, tamquam verus Christicola. Stent igitur animi nostri lucidi mentesque clare; quia nec hominum suggestiones, nec quic-

quid aliud, posset Celsitudinem Nostram a recto tramite devia-re; et si procul ab oculis nostris estis, nunquam procul eritis a lumine mentis nostre. Dispositi enim sumus et erimus Communitatem Florentie vestram, et populum ipsius preservare pro singulari domo et refugio, imitantes progenitorum vestigia. Respondentes autem ad petita, significamus amicitie vestre quod statim scribimus ipsi domino Carolo, ac mandamus Baronibus nostris; quod si contingat ipsum velle transire ad subsidia ipsius domino Pape, vel redire, faciat illud iter, quod vosmet duxeritis faciendum pro securiori statu vestro. Cuius fratris nostri facta prosequi velitis favoribus nostris, prout in dubie de vobis speramus. Data Zolij XXI. die mensis predicti Novembris MCCCLXXVIIII.

Kivül: Nobilibus et sapientibus viris, Prioribus Artium Vexillifero Justitie, Populo et Communi Civitatis Florentie amicis nostris karissimis.

(Eredetie a florenczi nagy levéltárban.)

152.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1379.

Bononiensibus.

Fratres karissimi. Sicut sapientissimus vir, et egregius legum doctor, atque vestre Fraternitatis Orator dominus Ug-linus de Scappis prudentissime nobis suggessit, ordinavimus scribere Serenissime Majestati dominis Regis Ungarie, et etiam Illustrissimo Principi domino Karolo de Dyrachio et per materia tractatus habiti contra nostrum Statum per gentes illas, que videntur sub splendore sui nominis militare. De litterarum vero concipiendarum effectu et vos et Oratorem prefatum informabimus luculenter, et nuntius, quem mittemus, si quid scribere decreveritis, vestras etiam litteras poterit presentare. Solicitabimus insuper Oratores electos, ut ad vestre fraternitatis presentiam venientes, communicabunt vobis, quicquid habuerint in mandatis. Ceterum Johannes Amerigi Orator noster apud vos est non sine parvo periculo propter conspirationem et nequitiam emulorum, et ob id p

et dilectioni vestre, de societate tali sibi, dum istic stete rit, et tum huc venerit, providere, quod vestro favore ab omnibus que contra eum tentarentur, illesus et incolumis pres ervetur. Data Florentie die XXVXIII. Decembris III. indictione MCCCLXXVIII.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XVIII. kötegéből 94. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

153.

Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1379.

Regi Ungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps, spes unica nostri Communis, et nostri populi refugium speciale. Benignissimas Sublimitatis Vestre litteras ingenti jocunditate recepimus, quarum series humilitatem nostram erexit, et in mentibus nostris vehementis leticie spiritum excitavit. Vidit siquidem nostra devotio, quam vere, et quam pure caritatis affectu nos, peculiares Majestatis eiusdem filios, clementia Vestre Celsitudinis prosequatur, quam pungenter commota fuerit in pastis nobis periculis Vestra Serenitas, et quam benigne sit in [...]tatione discriminium, que a nobis divine potentie digitus [...]gavit, quamque singulariter consolata. Vidimus insuper [...]am clare, quamve luculenter suam intentionem erga devotum hunc populum Vestra Serenitas explicavit, ut harum litterarum fama non patiatur etiam nostri status emulos dubitare, Magnitudinis Vestre Culmen populum Florentinum pure [...]gere, vosque in solite clementie sinu Regimen nostrum in [...]gularis amoris dulcedine confovere. Que quantumcumque [...]tissima nobis essent, gratissimum tamen fuit hec per throni [...]tri mellifluas litteras declarari; que posteris nostris per[...]o testes erunt, quanta caritas et quantus amor Regie Cla[...]tis devotionis nostre reverentiam sit complexa. Pro qui[...], clementissime Princeps, si daretur facultas, libentissime [...]tiarum debita solveremus. Sed quantum supra humilitatem [...]stram gloria Vestre Majestatis excellit, tantum omnes cona-

tus humanos, tot beneficiorum magnitudo, et tante dilectionis habitus antecedit. Referimus tamen mente pura et sinceritate devota quantas possumus, postquam est impossibile reddere quas debemus. Tante tamen caritatis, inclite Princeps, si fas est dicere, Deum habebitis debitorem, qui pro devotione nostra retribuet, quantum reddere nostra parvitas non valeret. Sed postquam Serenitati Vestre scripsimus, humanissime Princeps, de illo proditionis tractatu, qui falsificatis litteris illustrissimi fratris vestri domini Karoli de Dyrachio per hominem illum impurissimum tentabatur; ecce, proh dolor, his diebus nova contra statum nostrum proditio revelata, proditio quidem, non ab uno incepta, sed in qua simul omnes nostre Civitatis exules, cunctique nostri status emuli consenserunt. Nec tantum manifesti rebelles in huius nostre devote Civitatis excidium convenerunt; sed nobilissimi cives, etiam de illorum numero, quos a confinibus huius populi clementia revocarat, coniurationem crudelissimam in ruinam et exterminium patrie conflaverunt. Nec satis erat inhumanissimis hominibus illis in horrende coniurationis prefate consiliis ordinasse, factiosis conatibus huius Reipublice regimen occupare, concives opprimere, et partam multo sanguine, nobisque relictam a nostris maioribus libertatem, in sevam tirannidem commutare; sed etiam, horribile dictu, jugulare cives optimos disponebant, artium et artificum conventus honestissimos, quibus Respublica nostra cum tranquillitate dirigitur, tollere, totam urbem rapinis exponere, cunctaque cedibus bonorum, et habitaculorum incendiis deformare. Et ut conatum tanti sceleris honestarent, sub sanctissime partis Guelfe tam glorioso nomine, quam vexillo, cuius se Principes credi volunt, sicut abutendo legibus Guelfos antiquissimos offendebant, ipsis interdicendo functionem munerum et honorum, sic igne et ferro passim per civitatem et universum populum sevientes, patriam abundantem opibus, plenam civibus, edificiis et innumeris artibus exornatam, ad vastitatem reducere sanciebant. Qui si Guelfi sunt, et zelo partis ad tantum facinus accenduntur, cur contra verissimos Guelfos, in quorum manibus est tota gubernatio Civitatis, potuerunt tam crudelia consentire? An Gebelline partis, et antiregie factionis ceteros, qui in offensione Guelforum

minime consentiebant, forsitan appellabunt? An negare presument, sacratissimum Guelforum nomen, quod ipsi modis omnibus extinguere sunt conati, Civitatem regere, et quotidie multiplicatis viribus reflorere? Sed ipsorum iniquitatem ulterius scribere dimittamus. Coniuraverunt itaque contra statum huius vestri devoti populi cum magnis civibus, nostri simul exules et rebelles; et sub vexillo Regio, et quod scribentes horremus, cum gentibus, quas sub Vestre nomine Majestatis, clarissimus Princeps et singularis benefactor noster, dominus Karolus antedictus, ad Summi Pontificis auxilia destinabat, tam abominabile flagitium perficere disponebant. Sed inennarrabilis Deitatis infinita benignitas, que sperantes in se, et in via justicie ac rectitudinis incedentes, nedum non relinquit, sed dirigit et tuetur, tam sceleratis conatibus se obiecit, et dissipatis consiliis impiorum, revelatoque tractato, nonnullis ex proditoribus captis, et demum ultimo, sicut meriti fuerant, supplicio affectis, hunc devotum populum periculo, et prefatum Illustrissimum Principem contagio tanti facinoris liberavit. Vellemus, Serenissime Princeps, gentium predictarum culpam, et nedum conscientiam tanti sceleris, sed consensum, aut tolerabilis excusationis velamine posse deffendere, aut, quantum contra nos facere decreverint, ignorare. Sed licet sileamus, omnes tamen ipsorum nequitiam loquendo circumferunt, et tum admiratio, tum indignatio totius Italie adeo reducta sunt, in publicum attestantur. Nam postquam discessit ex Italia Excellentissimus Princeps, spes altera nostri Status, dominus Karolus antedictus ad Majestatis Vestre presentiam rediturus, cum Summo Pontifici maxima subsidii necessitas immineret, dominus Jannoctus de Prothojudice, Capitaneus gentium predictarrm, ipsas tam diu dissimulando continuit, quam diu fuerunt ex parte proditorum nostrorum omnia preparata. Tunc demum quo de propinquius nos posset invadere, ad civitatem Bononie properavit; ibique cunctis gentibus congregatis, cum vellent magnifici fratres nostri Bononienses, sicut ex lige federe sunt astricti juramentum exigere, quod nos, Perusinos, et alios colligatos suos gens predicta non deberet offendere; prestare sacramentum modis omnibus renuerunt, asseverante domino Jannocto predicto, quod cum essemus

devoti servitores et filii tam Regie Majestatis, quam domini Karoli sepefati, nos offendere nullatenus intendebat; subiungens verbum pregnantis astutie, quod nostrum non erat territorium intraturus, nisi forsan aliquid novum et impremeditatum sibi, dum pergeret, eveniret. Que licet suspicionem afferre diligenter intuentibus potuissent, nihil tamen sub nomine tanti Principis verebamur. Dum hec apud Bononienses geruntur, nobis revelatio fit tractatus, capiuntur conscii, reperiuntur insignia, totaque negocii series aperitur; nec minus in civitate Bononie per aliquos, qui appropinquante periculo pati videre stragem patrie nequiverunt, oratori nostro, quem ibidem habebamus, minus clare de ceteris, sed de intentione dictarum gentium clarissime revelatur. Qua in re permoti prefati magnifici fratres nostri, qui nobiscum pariter prodebantur, ne dum intestino motu nostra civitas laboraret, in nostrum territorium, aut ad impediendam executionem justicie, aut perficiendum facinus, se conferrent, profectionem omnium gentium simul, sicut jam concesserant, negaverunt, ipsis in tribus partibus recedendi licentiam concedendo. Non possumus, clementissime Princeps, in tanto, tam manifeste nostre destructionis ordine non moveri; non possumus hec recogitantes continere lacrimas, et totius nostre devotionis affectibus, cum Serenitatis Vestre Culmine non dolere, videntes exercitum Regium contra Majestatis Vestre intentionem, etiam nuper tam gratiosis litteris declaratam, contra voluntatem atque mandata domini Karoli supradicti, qui se pro statu atque libertate nostra paratum effundere, inclitorum progenitorum more, proprium sanguinem est professus, aut pecunia corruptum, aut spe prede accensum, in nostrum excidium coniurare; et ab illis nobis insidias nequiter instrui, a quibus nostra devotio debuit adjuvari. Sed fecerint illi quod velint; nos tamen ab innate devotionis habitu nullatenus discedemus, sed quotidie tenacius inherentes, Majestatem Vestram, et claritudinem Principis antedicti, reverentie propensioris affectibus excolemus. Ceterum hec et alia plura, que longissimum foret scribere, confestim per nostros Oratores explicare curabimus viva voce. Nos et hunc devotum populum cum humilitate Culmini

Vestre Celsitudinis commendantes. Data Florentie die XXX. Decembris III. indictione MCCCLXXVIIII.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegéből. 95. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

154.

VI. Orbán pápának a florenczi köztársag. 1379.

Urbano Sexto.

Sanctissime atque beatissime in Christo Pater et Domine. Credimus Vestram Beatitudinem non latere, quod exules nostri cum nonnullis magnis et potentibns nostris civibus de subversione nostri Status coniurationem pestiferam conflaverunt, corrumpentes pecunia ac spe prede, multisque pollicitis inducentes gentes Serenissimi Principis et Domini nostri domini Regis Ungarie, que mandato clarissimi Domini domini Karoli de Dyrachio dicebantur ad Vestre Sanctitatis auxilia proficisci, ut in nostrum excidium consentirent. Qua conspiratione per Dei gratiam, in qua defensi fuimus, captis et punitis nonnullis ex consciis, patefacta, tanto periculo liberati sumus, ac tanta strage, quantam potuissent non solum perfidi cives in patriam, sed etiam contra hostes crudelissimi barbari cogitare. Et utinam foret consensus dictarum gentium in tanto facinore minus clarus, ut possemus ipsorum errorem pro honore innocentum Principum, quibus militant, ignorare. Sed stant contra eos confessiones consciorum, et informatio certissima revelantium; stant eorum processus, per quos Bononie patuit, quid erat per ipsos contra nostrum Statum nequiter ordinatnm. In qua re gaudentes evasisse periculum, nobiscum acerrime condolemus, quod splendorem glorie tantorum Principum, contra quorum precepta, intentiones et vota offensionem nostri populi tentaverunt, quantum in ipsis fuit, non sunt veriti denegare. Et nisi prudentia magnificorum fratrum nostrorum Bononiensium providisset, qui cognita veritate, gentes illas simul posse recedere vetuerunt, demum tertia acie, quibusdam diebus interpositis, et non aliter discedere permittentes; procul dubio ad actum manifestissimum devenissent, quamvis eisdem occurrere in potenti brachio parassemus. Et quoniam,

pater clementissime, certi sumus, quod sicut de patrato scelere Vestre Sanctitatis benignitas doluisset, ita de salute devotissimorum filiorum vestrorum piis affectibus gratulatur; hec cum humilitate decrevimus Vestre Beatitudini reserare, ut exultet paternus spiritus, videns vere devotionis filios manu Dei tanto periculo liberatos. Sed quia nobis maxime post Deum opera et prudentia dictorum magnifiornm fratrum nostrorum Bononiensium salus venit, in qua re firmiter credimus, ipsos Vestre Sanctitati plurimum placuisse; clementie vestre humillime atque cum reverentia supplicamus, quatenus contemplatione devotionis nostre dignemini prefatos vestros filios Bononienses, et de provisis et gestis in remotione tanti nostri periculi commendare; et quamvis non putemus necessorium, ipsos tantum ad prosequendum hunc vere caritatis habitum exhortari. Nam sicut commendati de virtutibus ad benefaciendum accendimur, ita in recte ceptis, superioris auctoritatis persuasionibus confirmamur. Data ut supra. (1379. dec. 30.)

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegében 98. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

155.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1380.

Bononiensibus

Fratres karissimi. Utilissimum statui publico videbatur quod Oratores vestri una cum nostris, ac etiam cum legatis magnificorum fratrum nostrorum Perisinorum, ad Majestatem Regis Hungarie mitterentur. Nunc autem, sicut exposuerunt nobis Oratores vestri, videtur vestra pudentia in hac Oratorum destinatione consilium mutavisse. Et quoniam videntes Perusini prefati vos esse paratos ad legationem predictam in Hungariam destinandam, suos Oratores quos hic in dies singulos expectamus, mittere decreverunt: forte non est utile, neque honestum, deliberationem prius factam sine manifesta causa revocare. Nichilominus tantum super hac materia vestris Oratoribus plurima suggessimus viva voce, vos etiam presentium

serie deprecantes; quatenus, sicut ordinatum erat, placeat legationem huiusmodi destinare. Magnificum quidem erit in conspectu Regie Majestatis videre ista tria Communia federe lige, sincera caritate, et ad omnia simul esse coniuncta; vobisque et nobis ad non parvam status securitatem accedet, quod videant etiam extere nationes, nos esse taliter corpus unum, quod qui unam istarum tirum Communitatum offenderit, se sciat ceteras offendisse. Data Florentie die XVI. Januari III. indictione. MCCCLXXVIIII.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegéből 105. l., a.: a florenczi nagy levéltárban.)

156.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1380.

Regi Hungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps, spes unica nostri Communis, et nostri populi refugium speciale. Sicut alias vobis scripsimus, benignissimas Sublimitatis Vestre litteras etc. Ceterum, sicut per alias eiusdem tenoris litteras scripsimus, nostre mentis erat Oratores nostros ad Vestre Majestatis altitudinem destinare. Sed quia satis, quod intendimus, harum nostrarum serie declaratur, et via longa est, bellorumque etiam obsessa dispendiis, et hiemis precipue tempore, frigoribus horrida et nivibus circumsepta, et per litteras, quicquid volumus, celerius intimamus; decrevimus pro nunc legatorum nostrorum transmissionem, cum gratia Vestre Celsitudinis revocare. Quod ne miretur Vestra Serenitas, benignitati Vestri Culminis intimamus, cui nos et hunc devotissimum populum humili cum reverentia commendamus. Data ut supra.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegéből 112. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

157.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1380.

Regi Ungarie.

Timemus, benignissime Principum, ne totiens audire querelas nostras, grave sit humanitati vestre, tot Regnorum, quot vobis subiecit Divina Providentia, negociis occupate. Sed cum redit in mentem, et presens et antiqua devotio, quam inconcusso proposito nostra semper Communitas habet, habuit et habebit ad gloriosissimos progenitores vestros, et Celsitudinis Vestre thronum; cumque nobiscum memori mente repetimus, quanta caritate sit Vestra Majestas nostre devotionis statum, quantisque favoribus prosecuta; fugit ille vanissimus timor, et subit immensa securitas, quod humilitatis nostre justi clamores patientissime per Sublimitatem Regiam audientur. Et eo magis, quod tam Serenitati Vestre, quam cunctis in orbe mortalibus notum est, Commune Florentie post Deum in terris nichil unquam reverentius coluisse, quam Altitudinis Vestre Culmen, et omnes, qui de illius semper nobis cum reverentia nominati Principis Karoli primi Jherusalem et Sicilie Regis semine, unde totius vestri gloriosissimi sanguinis descendit series, propagantur. Cum fateri nos oporteat, Civitatem hanc non Florentinam, sed Regiam ab inctite recordationis Imperatoris Karoli Magni clementia reparatam, reformatam a Karolo primo, et a Serenitate Vestra, ac ceteris ex eodem sacro sanguine descendentibus conservatam. Et ut ad querimonias quas intendimus, veniamus; cogit nos, Regum clementissime, perversa iniquitas et iniqua perversitas domini Jannotti de Prothoiudice, qui se Locumtenentem appellat Clarissimi Principis domini Karoli de Dyrachio, novas querelas expromere, et auditionem Regiam mestis conquestionibus fatigare. Hic enim dominus Jannoctus, quasi quoddam furens incendium, Divinique et humani Juris manifestissimus violator, immemor, imo spontanei juramenti transgressor, quod in magnificorum fratrum nostrorum Bononiensium manibus de Commune nostrum non offendendo prestiterat, postquam de Bo-

nonia, unde se fautorem proditoribus huius vestri populi, sicut alias scripsimus, exhibebat, abscessit, tractatum perfide contra nos inceptum nullatenus derelinquens, omnes nostros, etiam delictis gravibus exbannitos, omnesque Civitatis et status nostri tam emulos, quam rebelles incitavit per suos familiares et nuntios, et demum incitatos, quotiescumque posuit, congregavit. Et conducta sub nomine domini Karoli supradicti societate Italicorum Sancti Georgii, quorumdamque Theutonicorum cohorte, primo fratrum Senensium nostrorum territorium ut inimicus invadens, magna cum strage tam hominum quam agrorum, ipsos ad redemptionem compulit duodecim milium florenorum. Dumque sic in Senenses hostiliter deseviret, Pisanos metu perculsos induxit ad indemnitatem et pacem pro florenorum decem milibus redimendam, omnesque dictas pecunias, horrendum dictu, sub nomine prefati clarissimi Principis in mutuum est confessus; et tanta cum inhonestate paratis pecuniis stipendia supradictis gentibus persolvendo, vexillum regalibus prefulgens liliis, intraturus nostrum territorinm elevavit. Dumque nostris confinibus propinquaret, staretque valida nostrarum gentium acies ad pugnam in oppositum preparata, collocutores et internuntios antemisit, qui transitum pacificum pro se et cunctis gentibus impetrarent. Quid autem fecit tunc gentis nostre devotio? Certe exceptis per scripturam promissionibus et sigillis, quod nichil hostile contra nos aut nostros subditos attentarent, tanta fuit ad Principem, sub cuius signis et nomine tota res publice gerebatur, innata devotio, quod securitatem, si transirent, sicut petebatur, per vallem Elsam a prefatis nostris gentibus habuerunt. Hic forte requirat Regia Celsitudo, qualiter fides, qualiterque conventio sit servata. Certe non per iter postulatum, sed versus nostram Civitatem, quantum illa die licuit procedendo, ultima mensis Martii castra prope Sanctum Cassianum et alias circumstantias posuerunt. Prima autem Aprilis se urbi nostre conspiciendos ad quinque vel sex miliaria cum rapinis et incendiis prebuerunt. Ut vero manifesta perfidia, hostiumque patescunt insidie, secunda die Aprilis, ante roseam future lucis prenuntiatricem auroram, nonulli ex nostris in hos federum et fidei violatores hostesque jam publicos

irruentes, tumultuarioque congressu, recepta preda pariter et captivis, inter quos est Comes Johannes de Barbiano, hostes retrocedere compulerunt. Hactenus hec cum istis gesta sunt; et quoniam scimus hec omnia per dominum Jannoctum in Vestre Majestatis displicentiam, et contra voluntatem et mandata prefati domini Karoli machinari, nos ad oppugnationem predictarum gentium in potentiori brachio preparamus, nostras propulsemus iniurias, et eiusdem Principis honorem, quem idem dominus Jannottus tot et tantis conatur denigrare maculis ulciscamur. Nec putet Vestra Sublimitas, nos ante rerum istarum eventum cuncta remedia non quesisse. Misimus enim solemnes oratores ad illum persecutorem nostrum cum in Senensium sinibus moraretur, per quos narrata fuit nota sibi nostra devocio ad Vestre Serenitatis gloriocissimam Majestatem; explicatumque deinde, quantum reverentie ad prefotum dominum Karolum haberemus, et modis omnibus pax et concordia procurata. Sed ille semper, simulata mente, verbisque mellifluis respondendo, fingendo se longius ire, verboque se amicum ostendens, realiter concordiam multis tergiversationibus recusavit, ut arbitramur, spe vana delusus; utpote qui sibimet certissime persuaderet, hunc populum illos paucissimos rebelles et exules summis desideriis exoptare; quive credat, illos fore potentes in patria, quos omnibus odiosos non contraria factio, non, ut asserunt, paucorum manus, sed universus populus expulit, et pro quiete sua maxima concordia relegavit. Hec itaque, benignissime Princeps, Vestre Majestati duximus explicanda, ut si nos cum antedictis pestiferis gentibus bellum gerere forsan audierit, videat Regia Celsitudo devotionem nostram non ultro, sed deceptam promissionibus, multisque lacessitam injuriis arma movisse; et ut possit Vestra Clementia, sicut speramus, hostis nostri proterviam Regio edicto comprimere, et in eius caput parata nobis pericula retorquere, quamuis tantam fovemus ex parte nostra iusticiam, tantique roboris fecimus apparatum, quod spem certam reponimus in Domino Deo Sabaoth, nos illum cum omnibus copiis suis debere magna cum gloria felici pugna confundere, et Marte judice viribus nostri, quem ordinamus, exerictus superare. Ceterum super hac materia et aliis, confestim nostros transmit-

timus Oratores; quoniam nostre intentionis est, tanto propensius Majestatem Vestram et claritudinem domini Karoli sepedicti habitu vere devotionis excolere, quanto perfidiosius nititur hominis illius impuritas nos ab antiqua reverentia separare. Majestatem Vestram, cui nos cum reverentia commendamus, et in qua post Deum omnes nostre spes site sunt, diu feliciter conservet Altissimus, ad tantorum Regnorum regimen, devotorumque auxilium, et Christiane fidei certissimum augmentum. Data Florentie dic V. Aprilis III. indictione MCCCLXXX.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegéből 35. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

158.

László oppelni herczeg, s I. Lajos magyar és lengyel királynak Lengyelországban kormányzója, megerősít ott bizonyos jószág-eladást. 1380.

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam, Nos Ladislaus, Dei gracia Dux Opoliensis, Vielunensis, Cujaviensis et Dobrzinensis notificamus tenore presencium vniuersis quibus nosse fuerit opportunum: quod fidelis militis nosstri dilecti domini Andree Judicis Dobrzinensis nobis oblata peticio continebat, quatenus literam emptionis domine Margarete quondam Ducisse Dobrzinensis illustris, sigillo ipsius appenso signatam, non rasam, nec viciatam, sed sanam et integram, omnique prorsus suspicionis vicio carentem litteris nostris innovare, ratificare et confirmare dignaremur. Cuius quidem litere tenor de verbo ad verbo sequitur et est talis: Nos Margareta Ducissa Dobrzinensis ad perpetuam rei memoriam presentibus et futuris volumus deuenire: quod coram nostra personali presentia constitute Magdalena et Heduigis cum ipsarum sorore (így) filiis, videlicet Nicolao, Stanislao, Jacobo et Jescone, heredes de Penino, eandem hereditatem de Penino ipsos tangentem, adiacentem ville sue dicte Kolbrziniecz, incipiendo a via Repinensi usque ad riuulum dictum Olwnowa woda, et ab eodem usque ad fluuium dictum Bug,

cujus habebit medietatem, nobili viro domino Andree Judici Dobrzinensi pro centum marcis vendiderunt in perpetuum libere, et contulerunt non compulsi, nec coacti, sed de libera ipsorum voluntate, cum omnibus vtilitatibus, que pro nunc ibi sunt, vel in posterum fieri possunt; hoc adiecto, quod flumen Bug predictum tenendo per medium usque ad gades altius ville Penino. In cujus rei testimonium, sigillum nostrum presentibus est appensum. Actum et datum in Lipno, sabbato proximo post diem Beate Catharine, anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo nono. Presentibus nobilibus dominis : Andrea Dobrzinensi, Petro Ripinensi Castellanis; Alberto Succamerario, Vloskone Subdiudice, Iwone Marschalco, Dobrzinensibus; et Janussio Subpincerna Dobrzinensi, ac aliis multis fide dignis. Nos itaque prefati domini Andree iustis peticionibus acclinati, cum iuste petentibus non est denegandus assensus, prescriptam literam in omnibus suis clausulis, punctis, et articulis ratam et gratam habentes, ipsam approbamus, ratificamus, gratificamus et confirmamus presentis scripti patrocinio mediante. In quorum omnium testimonium presentes fieri, nostrique sigilli munimine fecimus roborari. Actum in Ploczk, sabbato proximo ante dominicam, qua »Misericordia Domini« in ecclesia Dei decantatur, sub anno eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo. Presentibus nostris fidelibus superius in testimonium inscriptis, et aliis plurimis viris fidedignis. Datum per manus domini Nicolai Cancellarii nostri.

(Zsigmond Ágost lengyel királynak 1569-iki megerősítő privilegiumából, a »Metrica Regni« czimű copialis könyvben H.. 105. sz. a.; a varsói kir. lengyel levéltárban.)

159.

I. Lajos magyar és lengyel királynak szabadságlevele a lembergi örmények számára. 1380.

Ludovicus Dei gracia Rex Ungarie, Polonie, Dalmacie etc. nostris fidelibus vniuersis et singulis Capitaneis, Woyewodis, Burgrabiis, Officialibus per totam Terram nostram Rus-

sie constitutis graciam Regiam cum salute. Cupientes Communitatem Armenorum nostrorum in Lemburga Ciuitate nostra Terre prescripte nostre perfrui bona pacis tranquilitate, Vestre Vniuersitati ac fidelitati nostro Regio edicto firmiter committentes mandamus, quatenus Armenos nostros in dicta Ciuitate Lemburgense intra et extra muros Ciuitatis eiusdem cohabitantes in suis consuetudinibus et moribus, quibus alias tempore Serenissimi Principis Kazimiri eadem gracia olim Regis Polonie beate recordationis et fratris nostri preclari, ac tempore nostri regiminis hucusque vsi sunt et vtebantur, ex nunc prout ex tunc vtifrui pacifice et quiete statu et iure primeuo absque omni recusa stare et viuere permittatis nostre Regalis gracie sub obtentu. Vobis nichilominus nostro fideli Baroni Magnifico viro domino Johanni Capitaneo Terre Russie sepius nominate singulariter committimus intimantes, quatenus superius dictos Armenos ab hominum quorumlibet iniuriis, molestiis et perturbacionibus vniuersis tueri et protegere solicite debeatis, et in eorum iure per vos et quoslibet vestrorum, nec non alios in Terra Russie constitutos, more solito stare permittatis cum effectu; harum, quibus sigillum nostrum impressum est, testimonio litterarum. Presentes autem reddi iubemus semper post lecturam. Datum in Diiosgeur septima die octauarum festi Pasce anno Domino millesimo trecentesimo octuagesimo.

(I. Ulászló lengyel királynak 1387-ki megerősitő okmányából; másolata Lemberg városnak levéltárban a régi copialis könyvben.)

160.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1380.

Regi Ungarie

Serenissime atque invictissime Princeps, spes unica nostri Communis, et Populi Florentini refugium singulare. Nuper audivimus, quod Gualterius Sandri de Portinaris civis noster dilectus, dum in civitate vestra Jedare moraretur, pro suis et sociorum suorum negociis ordinandis, eidem ad emulo-

rum quorumdam instantiam fuit obiectum, quod ibidem quasi Venetorum explorator et civis ad revelandu Majestis Vestre consilia et apparatus Regios versaretur. Quo tamen reperto sine culpa et sine macula, sicut erat, fuit per Vestre Celsitudinis Magistratus benige dimissus, cum prohibitione tantum, quod a dicta civitate discedere procuraret. Qui confestim ad suam innocentiam ostendendam, Budam, unde prius discesserat, fuit reversus. Et quoniam, Clementissime Princeps, scimus, nullum civem Florentinum tante fore dementie, quod contra Vestre Majestatis thronum auderet aliquid attentare, nisi simul decerneret huic devotissimo Serenitatis Vestre populo et Vestro Culmini pariter hostis esse; firmiter credimus, et sine dubitatione tenemus, ipsum fuisse ab his, que adversasiorum obiecit malitia, penitus alienum. Quocirca Gualterium prefatum et Johannem Boscoli dilectissimos cives nostros, et omnium ipsorum socios et gestores, qui ut negociarentur in gloriosi vestri Regni finibus societatem insimul contraxerunt, Sublimitati Vestre Celsitudinis, humiliter commendamus, devotissime supplicantes, quatenus in nostre devotionis gratiam singularem dignetur Vestra Clementia ipsos sub protectione Majestatis Vestre suscipere, et in cunctis occurrentibus gratiose atque benigne, sicut veros nostros cives, et Sanctissimi Dyadematis Vestri servos favorabiliter pertractare. Data Florentie XVI. Aprilis III. indictione MCCCLXXX.

Decernendo Vestre Sublimitatis edicto, quod in cunctis gloriosorum Regnorum vestrorum finibus possint negociationes suas facere, et tamquam fideles Serenitatis Vestre, libere permanere. Data etc.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegéből 143. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

161.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1380.

Regi Ungarie.

Serenissime atque invictissime Princeps et Domine. Venerabilem virum fratrem Angelum Ordinis Heremitarum

Sancti Augustini, Sacre Theologie Egregium Professorem, ac Nobilem Militem dominum Nofrium domini Barne de Rossolanis, ac prudentem virum Paulum Bernardini, dilectissimos cives nostros ad Serenitatis Vestre Celsitudinem Legationis titulo destinamus Quibus in explicandis dignetur Vestra Clementia, cum benigne exauditionis obtentu, tamquam devotioni nostre in omnibus credere, et in supplicandis propitium exhibese. Data etc. (1380. május 6.)

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XVIII. kötegéből 141. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

162.

I. Lajos magyar és lengyel király János macsói bánt, kit mint hadi csapatainak vezérét küld Olaszországba, egyszersmind kölcsön felvételére meghatalmazza. 1380.

Nos Lodouius Dei gracia Rex Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. tenore presencium notificamus vobis vniuersis et singulis Ducibus, Dominis, Marchionibus, Militibus, Comitibus, et Nobilibus ac proceribus viris, et communibus ciuibus, terrarumque Dominis, et aliis quocunque titulo et denominacione notentur, ad quos presentes peruenerint, amicis nostris karissimis. Quia Magnificum virum dominum Johannem Banum Machouiensem, nunc Generalem Capitaneum gentis nostre eumque etiam fidelem nostrum latorem presencium ad ipsas Ytalie partes pro certis nostris negociis expediendis sibi per nos specialiter commissis presencialiter destinamus; et quia abinde remote seu per non modica spacia itineris nos distamus, nequeuntes eciam propterea illi, si casus, vt sepe contingit, ingereret, iuxta quod expediret et negotiorum qualitas in gereret subvenire: eapropter Magnificenciam et Amiciciam Vestram amore sincero petimus et effectiuis precibus exortamur, quatenus dicto domino Johanni Bano, Capitaneo Generali predicto, quem ad petendum et recipiendum a vobis nostri parte ultro concedenda mutua, pro dictis negociis nostris expediendis, si casus necessitatis adesset, et sibi videbitur expedire, nostrum verum, legiptinum ac solemnem procuratorem,

Commissarium ac Nuncium specialem ad predicta, et que in predictis exiguntur, facienda, constituimus, creamus, et ordinamus. Dantes et concedentes per presentes eidem in hac parte totaliter vices nostras; non revocantes propterea alia nostra mandata sibi alias facta, sed pocius confirmantes; cui velitis ad ipsius requisicionem de pecuniis vestris vsque ad summam florenorum C[m] mutue dare atque concedere, et ipsi nostri parte recipienti dicti nomine mutui amicabiliter exhibere. Ad quarum quidem pecuniarum restitucionem in prefigendo per vos termino, et sub pactis et condicionibus, quibus dictus dominus Johannes Banus obligabit et se obligare voluerit, vobis mutuantibus erimus principaliter obligati, et ex nunc obligamur; approbantes per presentes omnia, que per ipsum in predictis et circa predicta agerentur, et que in talibus requiruntur. Et ad maiorem cautelam vestram ipsas sub eisdem terminis, pactis et condicionibus nos restituere pecunias harum eciam serie sub nostro verbo Regio promittimus et firmiter pollicemur. Has autem litteras fieri mandauimus, et nostri maioris sigilli iussimus impressione muniri. Datum Zagrabie die secunda Junii indiccione II. anno Domini MCCCLXXX.

(Ugyanazon évi november 10-ki jegyzői okmányból mint alább, a florenczi nagy levéltárban.)

163.

Kapolyai János vajdai czímmel I. Lajos királynak kormányzója Galicziában. 1380.

Elizabeth Dei gracia junior Regina Hungarie, Polonie Dalmacie etc. fidelibus suis Conuentui de Lelez salutem et graciam. Dicitur nobis in persona Andree de Malcha, quod cum ipso vna cum domino Johanne Wayvoda Regni nostri, Russie anno in presenti existente, domina mater sua per Jacobum famulum suum sibi aliquam pecunie quantitatem, vnum balteum et vnum equum in dictum Regnum Russye misisset: Nocolaus de Bethlen diabolico spiritu instigatus super ipsum Jacobum famulum eiusdem Andree in libera via procedentem hostiliter irruendo ipsum miserabiliter necauisset, et predic-

ta pecunia, balteo et aquo spoliasset, funusque (?) eisdem in rotis conterendo. Super quo fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus, quatenus vestre firmiter precipendo mandamus, quatemus vestrum mittatis hominem pro testimonio fidedignum, quo presente Johannes filius Johannis de Maltha, vel Andreas filius Pauli de Bucka, aut Ladislaus filius Baxa de Abraa, alijs absentibus homo Regius, ab omnibus quibus congruit meram de premissis experiatur veritatem, quam tandem domino nostro Regi fideliter rerscribatis. Datum Bude tercio die festi Assumpcionis Beate Virginis anno Domini M.CCC.LXXX.

(Eredetie papiron, a leleszi konventnek levéltárában.)

164.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1380.

Bononiensibus.

Fratres karissimi. Ea que scribitis vos habuisse a Magnifico fratre nostro domino Galaotto, putamus per eum vobis fideliter intimata, ipsumque plene scripsisse que novit. Nunc autem nos, qui propinquiores sumus, certissime percepimus atque scimus, dominum Karolum jam civitatem Eugubii, capiendo ipsius possessionem, personaliter intravisse, et gentes Ungaras confestim in Aretinorum territorium processuras, erecto vexillo Januensi, ut videantur contra Mediolanenses Dominos proficisci. Nos autem aliunde sentimus ipsos velle civitatem Aretii per tractatum, quem continue ibidem retinent, occupare. Quorum quodcumque sequatur, nos oportet in forti brachio nostre consulere libertati. Et ob id, fratres karissimi, si statum nostrum diligitis, si libertatem nostram, que procul dubio vestra est, appetitis conservari, magnifica vestra subsidia placeat sine more dispendio destinare. Quoniam properantibus gentibus istis, sicut faciunt, maximum periculum est in mora. De vestro itaque succursu, vos iterum atque iterum, cumulatis precibus exoramus. Data Florentie die VIII. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegéből 38. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

165.

Beltrand és Sinbaldnak a florenczi köztársaság. 1380.

Pistoriensibus. Astorgis. Domino Beltrando. Domino Simbaldo.

Amici karissimi. Gentes Ungare cum nostris rebellibus et bannitis veniunt in territorium Aretinum, ad nostra damna, si poterunt, processure. Quod ne possit accidere, totius potentie nostre robur intendimus ipsis et viriliter et feliciter, ut speramus, obiicere, ipsorumque nefandis consiliis obviare. Et ob id caritatem vestram requirimus et rogamus, quatenus in quanto maiori numero potestis equitum, vestra subsidia placeat ad nostram defensionem, que profecto vestra est, omni cum celeritate transmittere, nobisque, sicut de dilectione vestra confidimus, in hoc necessitatis articulo realiter subvenire. Data Florentie die VIIII. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegéből 39. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

166.

A genuai dogének a florenczi köztársaság. 1380.

Duci Januensi.

Magnifice et Excelse Domine, frater et amice karissime. Per ea, que fidedigne percepimus, dominus Baldassar Spinolus, una cum Ungaris est ad vestri Communis servicia profecturus. Cuius rei causa per Tusciam velle dicitur pertransire. Et quoniam certi sumus, caritatem vestram omnia nostra commoda, non minus quam vestri Communis, ferventer et realiter exoptare, fraternitatem vestram instantissime deprecamur, quatenus amore nostri placeat eidem domino Baldassarri per vestras litteras oportune precipere, quod ab introitu nostri territorii debeat cum dictis gentibus abstinere. Quoniam si territorium nostrum, sicut a pluribus affirmatur, intrarent, non posset gens illa predictis damnis, atque ab aliis displicentiis absti-

nere. Ex quo de facili posset maximum scandalum exoriri. Ut igitur fines nostri conserventur illesi, et futuris scandalis obvietur, placeat per vestras litteras, latori presentium eshibendas, necessaria jussione et oportuno remedio providere. Data Florentie die VIIII. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegéből 39. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

167.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1380.

Bononiensibus.

Fratres karissimi. Adhuc videtur vestra charitas opinari, quod clarissimus Princeps dominus Karolus de Dyrachio debeat Romam, atque in Regnum Apulee, cum omnibus Ungaris proficisci. Nos autem scimus ipsum jam civitatem Eugubii, volentibus intrinsecis et extrinsecis intravisse. Scimus Ungaros, ut in Tusciam descendant, se velle in Lombardiam pergere simulare; scimus eumdem Principem cun nonnullis Civitatibus Tuscie, moximos habere tractatus. Scimus et multa, que rerum condicio non patitur declarari. Scimus et hoc, quod in oculis omnium est, nostros videlicet bannitos, exules et rebelles, secum undique congregatos; et quod extremum periculorum est, scimus, nisi Deus dissipet multorum perversa consilia, quod cito parietur scandalum, cui post factum erit impossibile reparare. Et ob id, fratres karissimi, nolite nostro, nolite vestro, nolite totius Tuscie periculo habitum incredulitatis inducere, sed fidem dando fratribus vestris, qui sciunt et palpant manibus quod formidant, placeat pro salute vestra et nostra, sine ulterioris dilationis incommodo, totiens postulata subsidia destinare. Et utinam tam celeri festinent accessu, quod non peniteat distulisse. Data Florentie VIIII. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(A »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegéből 39. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

168.

I. Johannà siciliai királynénak a florenczi köztársaság. 1380.

Regine Jerusalem.

Serenissima Regina, benignissima mater et singularissima Domina nostra. Oporteret multa rescribere, et rescribendo ingentibus Sublimitatis Vestre litteris respondere. Nam cum materia magna sit, et a Serenitate Vestra magnarum scriptionum serie pertractata, quamvis tam composite tamque consummate brevitatis sermo cogitari potest, per quem curiose Vestre Majestatis orationi sufficienter, abunde vel apposite satisfiat. Accedit etiam, quod cum Vestra gloriosa Majestas litteras litteris cumularet, si velimus singulariter ad cuncta rescribere, id non possimus breviter explicare. Addatur, quod cum Vestrum Culmen sit anxietate jam parati belli, et tot populorum regimine, quot sacro dyademati vestro subiacent, multipliciter occupatum; non decet Magnitudini Vestre multa suggerere, quamvis oporteat multa dictare. Modus igitur adhibendus est, ne nimis in longum procedat oratio, neve digno minus nostre devotionis debitum persolvamus. Conabimur itaque, clementissima mater, pauca depromere; ita tandem, quod ad scripta per Celsitudinem Vestram, non omittamus, quantum exigitur respondere. Nec veremur, quin dignetur Vestra Majestas, licet occupata, fideliter a nobis scripta relegere, cui placuit tot et tanta nobis, peculiaribus suis filiis, intimare. Scripsit itaque nobis Vestra Serenitas per triplicitas eiusdem tenoris litteras multa super conatibus, moribus atque consiliis Clarissimi Principis domini Karoli de Dyrachio; multa super beneficiis, eidem maternis affectibus a Serenitate Vestra collatis; multa super salute anime, et conservatione fame parentis sui, tam pie, quam humaniter ordinata, de suo denique proposito, quod ad occupandum Regnum videatur intendere conquerendo; subiungentes, quod cum a nobis sit auxilia tam pecunie, quam gentium petiturus, non solum debeamus eidem illa negare, sed ea ad vestri status defensionem, consueta devotione transferre; demum magna cum benignitate in conservationem nostre libertatis et status, omnem vestram potentiam obtulistis. Post quas litteras ter ut prediximus repetitas, gratias egit

humilitati nostre Vestra Sublimitas de responsione, quam faciendam eidem Principi super postulatis subsidiis nos scribitis decrevisse. Quibus, quanto majori compendio poterimus, respondentes, unde potius principium assumemus? Quid medium prosequetur nostra devotio? aut quid ultimum explicabit? Ibimusne per cuncta? Non certe, sed notoria et publica dimittentes, ceteraque de quibus tacere consultius est, quam vel pauca dicere, aut aliquid judicando proferre. Quid potest antiquus ille, inconcusse nostre devotionis habitus, quem erga totam progeniem Regiam habuimus hactenus et habemus, in tanto rerum turbine, quid postest aliud quam dolere? quam flere? quam conqueri? quam tristari? Quid denique potest aliud, quam que sint conciliationis et pacis in tam perniciosis motibus cogitare? Nam quantum ad responsionem nostram attinet, pro qua tam benigne et tam magnifice nobis gratias retulistis, quid aliud debemus facere, nisi puram veritatem, et quicquid in hoc gestum extiterit profiteri? Fatemur itaque, Serenissima Regina, fuisse devotionem nostram maxima cum instantia requisitam pro parte Illustrissimi Principis et Domini nostri precipui, domini Regis Hungarie, quod domino Karolo supradicto, tam gentium, quam pecunie, in acquisitione Regni, nostra deberemus subsidia ministrare. Quod non solum per Reverendum in Christo patrem dominum Episcopum Jauriensem Oratorem Regium fuit petitum, sed ipsemet domiminus Rex ore proprio nostris Oratoribus in Sue Majestatis presentia constitutis apud civitatem Zagabrie, hoc idem pertulit viva voce, et per litteras quas iidem Oratores nostri a Sue Celsitudinis Culmine receperunt, pro dicto Principe omnem nostri favoris assistentiam postulavit; asserendo quod eidem in Regno prefato concesserat jura sua, quodque eum ad id bello repetendum cum suarum gentium potentia transmittebat. Nos autem, quamvis tantum prefate Majestati Regie debeamus, quod nihil honeste posse videamur eidem absque nota ingratitudinis denegare, attamen in utraque parte subsidii responsionem dedimus negativam, ex eo precipue fundamento, quod cum totius posteritatis dive memorie Karoli primi Jerusalem et Sicilie Regis, sine personarum acceptatione, fuerimus cum omni devotione cultores; non decebat nos armatos impio

ferro inter prefatum gloriosum sanguinem bellantes ingerere, et pro uno contra alium, quisquis justius arma moverit, decertare. Sicque, quamvis ante nostrarum mentium oculos versarentur innumera beneficia nobis a Celsitudine Regis Ungarie maxima cum benignitate collata, utpote qui nos apud Imperatoriam Majestatem, et ab nonnullorum Dominorum insultibus, magno protexerit cum favore; quique tempore belli quod cum quibusdam officialibus Ecclesie, sicut novistis, pro nostre libertatis conservatione neccessario gessimus, nunquam passus fuerit processus Apostolicos contra nos intra sui Regni terminos publicari; sed semper nos et Commune nostrum et omnes Florentinos, tam universim, quam singillatim juverit, foverit et omni cum clementia ac humanitate tractarit; non tantum potuit tot beneficiorum recordatio nos facere, nostre devotionis, quam habemus ad Vestram Celsitudinem oblivisci. Pro hoc autem, si in ipsa denegatione nostram observavimus honestatem, si tenore reverentie, quam ad felicem memoriam avi atque patris Vestre Serenitatis gessimus, in hoc, sicut in ceteris duximus observandum, non fuit necessarium excellentiam vestri throni humilitati nostre rependere munera gratiarum. Fecit quidem quod debuit nostra devotio, facit et idem in hoc gloriose consanguinitatis vestre dissidio condolendo. Et ut ad hanc partem, quam summatim attigimus, veniamus, heu heu, videbimus ne iterum inter hunc sacratissimum sanguinem, a quo semper salus nostra pependit, bella terribilia renovari? Numquamne Deus optime, Deus misericors, Deus benigne, hec pugilum tuorum sancta progenies requiescet? An adhuc gloriosissimus iste cruor, qui pro tuo nomine, proque nostra libertate, pluries fuit aspersus, pro iustissimi Regni ambitione sine dominio diffundetur? Heu heu, sumusne hec in tempora reservati, ut ad spargendum hunc divinum sanguinem, ad destruendumque illud Regnum, quod non sine multorum Gelforum Florentinorum cede et sanguine partum est, et in tante Majestatis excidium requiramur. Commota sunt viscera civitatis nostre, Clementissima Regina, intolerabili cum doloris aculeo, audiendo hec tam importune, et tam aspere postulari. Quid enim asperius, quam requiri filium contra patrem, et tantam devotionem ad rumpendum sue reverentie

funiculum excitari? Commota sunt itaque viscera, commote sunt lacrime Guelforum vestrorum, quos Serenissimi Progenitores vestri in hac urbe Regia statuerunt. Cum qua cordiali et intestina passione, cum quo lacrimarum profluvio Majestati Vestre quanta humilitate, quantaque affectione possumus supplicamus, quatenus dignetur Vestra Serenitas ad pacem et concordiam inclinari. Caro est de carne vestra, et os ex ossibus vestris iste, cum quo gerendum est hoc bellum, quod jam denuntiari, nedum incipi totis sensibus exhorremus. Caro quidem ex carne vestra, vestraque, ut confiteri oportet, utque vestre nobis attestantur littere, conservatione, beneficiis, et plus quam materne dilectionis affectibus creatura. Et quid lacrimabilius est, pene ex tot Regum, et ex tot Principum, qui ex vestro gloriosissimo sanguine prodierunt, ipse unus est, quantum ad sexum masculinum attinet solum germen. Redeat itaque inter vos vera et naturalis agnationis affectio, nec tantum armis, tantumque licentie ferro turbatis animis permittatur, quod iterum certamen hoc ad sanguinem perducatur. Circa quam pacem, si de beneplacito Majestatis Vestre processerit, nos offerimus cum solemni legatione, totisque viribus astituros, nec grave foret, etiam inter instructas hinc inde acies, infesta signa, et paratas ad pugnam copias, supplicem et inermem omnia suscepturum in se vulnera, dummodo toleretur tantum nefas et aboleretur tantum odium, nedum oratores nostros transmittere, sed totum Florentinum populum devovere. Si itaque decreverit Vestra Majestas ante bellum de pace tentandum, rescribere dignetur Vestra Serenitas, ut possit circa hoc nostra devotio, quantum desideramus, et quantum appetimus, laborare, ante mentis aciem proponendo illud expertissimi Ducis dictum: »Melior est certa res, quam sperata victoria«. Ceterum oblationes vestre benignitatis devotis animis acceptantes, et pro ipsis humiliter assurgentes, ad debita rependia gratiarum, in cunctis vestris beneplacitis, quantum extendi potest possibilitas et honestas, omnem nostram potentiam offerimus versa vice. Data Florentie die XIII. Septembris III. Indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztály XIX. kötegéből 40. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

169.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1380.

Regi Ungarie.

Expectabamus, Clementissime Princeps, unica spes nostri Communis, et nostri populi refugium singulare; expectabamus quidem facta concordia, postquam sic oportet loqui, cum clarissimo Principe domino Karolo de Dyrachio, altera spe nostre Civitatis, legationibus Serenitatis Vestre cum reverentia respondere. Sed postquam illa nostrorum emulorum malicia diutius quam oporteat retardatur, ne gloriosissime Sublimitati Vestre contingat aliquid de nobis preter veritatem suggeri, aut non respondere per irreverentiam persuaderi; quecumque nobiscum gesta sunt, post adventum in Italiam Principis memorati, quanto brevius fieri poterit, conabimur explicare : ut simul cognoscat Regia Celsitudo, quid nobiscum egerit dictus Princeps, quidve pro statu et exaltatione sua duxerimus faciendum; nec non que fuerit devotionis nostre responsio ad ea, que Vestra Serenitas per Reverendum Patrem dominum Jauriensem, et ipse idem per suos alios Oratores a devotionis nostre reverentia requisivit. Parcatque nobis Vestra Benignitas, si longiora fuerint hec, quam occupationum vestrarum cumulus patiatur. Nam qui multitudinem et varietatem rerum considerare voluerit, manifeste videbit citra intelligentie sensum, hec que maxima sunt, non potuisse brevius expediri. Postquam igitur venit in Italiam dominus Karolus antedictus, ut ea que nos non tangunt penitus dimittamus, pro honore Excellentie Sue, et ut nostre devotionis debitum solveremus, apud ipsum Oratores, quos ad Vestram transmisimus Majestatem, iussimus remanere, quibus frequentior et honoratior foret Sue Claritudinis comitatus. Interim antem ceperunt nostri rebelles et emuli, quorum iniquitatem sepius ad Vestram Clementiam sumus tam litteris, quam viva voce conquesti, quique assignatis confinibus, ex decreto patrie videbantur in spiritu commendabilis obedientie parituri, quasi somno experrecti, undique ad supradictum Principem congre-

gari; primoque a Curialibus et secretis Consiliaris suis leta fronte recepti ad occulta quedam colloquia, clancolum admittuntur. Quod videntes Oratores nostri ceperunt tam modeste, quam pudibunde talia detestari; inter alia proferendo, quod hec nostrorum receptio bannitorum dignam et inexpiabilem suspicionem in nostri populi mentibus generaret; adiicientes, impossibile fore, Commune nostrum amicabiliter dirigi, suosque bannitos et exules confoveri. Quod tunc, oculatissime Princeps, quid tunc tota Italia admirabundis sermonibus loquebatur? Erant profecto maximo nostro dolore hoc cunctis in ore: »Ubi nunc est spes Florentinorum? Ubi illa antiqua et inconcussa devotio, quam semper ad totam domum Regiam habuerunt? Ecce totam illam non magis Florentinam, quam Regiam Civitatem, paucorum dilectioni postponi. Ecce paucissimos cives, quot etiam minimo posthaberentur oppidulo, tante Civitati, tantoque populo favoribus anteferri. Interea venit ad nos Reverendus in Christo Pater dominus Episcopus Jauriensis, et Vestre gloriosissime Majestatis nomine multa refert. Et ut cetera dimittamus, petit sue legationis officio, quod domino Karolo supradicto in acquisitione Regni, ad quam cum Vestre Potentie copiis mittebatur, debeamus tam pecunie, quam nostrarum gentium contra Serenissimam Dominam dominam Johannam Jerusalem Sicilieque Reginam subsidia ministrare; et hoc idem pene fuit Oratoris domini Karoli legationibus repetitum, ultra predicta, ligam nobiscum, si in ipsam venire placuerit offerendo. Multaque Regie Domus beneficia, que quidem innumerabilia sunt erga nostrum populum, oratione suavissima recolentes, tum grata vicissitudine beneficiorum, tum, de quo satis admiramur, ex promissione per nos facta Vestre gloriosissime Majestati, prefata subsidia deposcebant. Nos autem, clementissime Princeps, sicut nostri moris est, beneficia innumerabilia, nobis ab hac sacratissima progenie, inconcussa et solida, vere caritatis affectione collata, memoriter recensentes, populum nostrum cuncta debere, ex devotionis habitu, tam Vestre Majestati, tam ceteris a Regio sanguine descendentibus confitemur; ut quamvis possint, qui populi nostri gesta collegerint, multa nostre devotionis officia, quibus in exaltatione Regie stirpis reverenter astitimus,

memorare, continue tamen remaneamus indissolubiliter obligati. Nam licet, quod humillime dictum sit, magna nostrorum civium Guelforum manus, non sine sanguinis impensa in acquisitione Regni Sicilie contra Manfredum sub gloriosissimo Principe Karolo primo fideliter militarit; licet, ut minora dimittamus, non obiecerimus Conradino, et recentioris memorie Principibus, in nos pro Regni salute maximorum bellorum pondera transferendo opposuerimus vires nostras; et licet omne Florentinorum genus insimul congregatum pro salute et sublimatione huius sacratissimi generis bella gerat et se certissime morti devoveat; recepta tamen beneficia, non poterimus adequare. Vestrum enim est et vestri sanguinis, gloriosissime Princeps, quod felicissime recordationis Karolus Magnus Pipini filius, Civitatem nostram a Totila deletam, magna cum pietate restituit, multisque privilegiis exornavit. Vestrum est quod antefatus dive memorie Princeps, commilitones suos Florentinos Guelfos, Manfredi viribus ex patria pulsos, in hac urbe reposuit, et in statu, quem adhuc a Sua Majestate recognoscimus, tenemus, suis, ut ita dicamus, manibus confirmavit. Omittamus quot et quanta pro libertate et salute nostri populi ceteri post illum clarissime memorie Princieps (így) consuluerint, quotque bella susceperint, que nichil de vere dilectionis perfectione deficeret, quod lacrimose recolimus, usque ad ponendas pro nobis animas pervenerunt; omittamus et multa alia, que quia plene referri nequeunt, prudentius est tacere; omittamus, ne blandiri videamur, et que modernis temporibus nobis a Vestre Majestatis Culmine sunt collata. Sunt enim stilo ferreo nostris impressa mentibus, nullis unquam temporibus abolenda. Que cum ita sint, benignissime Princeps; cumque hec nos reddant toti stirpi Regie, sine differentia communiter obligatos; si inter sanguine prefato coniunctos aliquod dissidium oriatur, possumusne cum honestate partem unam eligere, et pro uno contra alium, quisquis iusticiam foveat, decertare? Etenim quocumque noster populus se convertat, stat invicta beneficiorum acies contra nos, monetque in ipso congressu, nos ingratitudinis maculas turpes, honestatis jura dirumpere, et vere caritatis vincula violare. Et ut, omittendo ceteros, de Regina, contra quam requirimur,

nunc loquamur; nonne si contra ipsam arma sumamus, aut si oppugnatoribus suis manus porrexerimus adiutrices, stabunt contra nos pater et avus, infinitorum beneficiorum memoriam exprobrando. Quid Respondebimus dive recordationis Regi Roberto; quid Calabrie Duci; qui nos, tamquam gallina pullos suos, sub alarum suarum umbra, temporibus admodum dubiis protexerunt? Parcat nobis Regia Majestas, parcat nobis domini Karoli Claritudo; non possumus contra sanguinem istum insurgere, non possumus in hoc consanguineo bello pro uno contra alium arma movere. Mutetur hostis, inferatur extra genus Regium iustum bellum; et tunc quantum debeamus Majestati Vestre, quantum parata sit facere nostra devotio, demonstrabimus per effectum. Sed promisistis, inquiunt illi, et per Oratores vestros liberaliter obtulistis domino Regi, vos in acquisitione Regni, vestra subsidia prebituros. Hoc enim ambo tenaciter allegabant; hoc, ut supra diximus, non modicum admiramur. Scimus enim devotionem nostram per nobilem virum Simonem Raynerii civem et Oratorem nostrum Majestati Vestre ligam Generalem in Italie partibus obtulisse; nec putavimus, nec putamus Vestram Celsitudinem hoc sentire, quod contra Illustrissimam Reginam prefatam deberemus Vestro Culmini sociari, cum qua tunc et nunc etiam, ut putamus, pacem habetis et concordiam illibatam. Oblatam tamen ligam noluit Vestra Sublimitas acceptare; unde igitur nostra promissio ad obtinendum hoc subsidium allegatur? sicut non videmus, sic allegationem ipsam non credimus de mandato Vestre Celsitudinis processisse. Hec que nunc Majestati Vestre pro responsione repetimus, et alia plura, que nequeunt epistolari brevitate complecti, facientes per nostros Oratores eidem Principi responderi; visus est aliquantulum perturbari. Ex quo confestim nostra devotio sibi pecunie subsidia fecit offerri de summa, quam in contractu pacis promisimus Summo Pontifici, sicut fuerat ab Oratoribus suis negativam suspicantibus postulatum. Nec hoc voluit, quod cum honestate poteramus, eiusdem Principis Claritas acceptare. Demum videntes, apud ipsum esse cunctos nostros emulos et bannitos; audientes que, sicut fama publice testabatur ipsorum causam, quamvis hoc non putaremus armis favorabiliter assumpturum, decre-

vimus Majestati Vestre, sicut dominus Episcopus postulaverat, aliquam pecunie quantitatem Communi nostro possibilem mutuare. Cujus rei causa ad Civitatem Arimini nostros transmisimus Oratores, et oblatis eidem quindecim milibus florenorum, fecit nostris Oratoribus responderi, quod ab eo, horribile dictu, centum milium florenorum quantitas sperabatur, et quod nolebat minus sexaginta milium florenorum. Et quod gravius est, in totius exercitus sui conspectu, et in nostrorum oculis bannitorum, magnaque ipsorum letitia, sed maiori admiratione cunctorum, nostra parva munuscula, que ut devotionis pignus ad ipsum fideliter miseramus, noluit acceptare. Que cum futurum bellum inter nos et ipsum portendere viderentur, attonita est omnis Italia, bannitorumque nostrorum spes erecte : jamque, tam opinione, quam extimatione cunctorum bellum hoc incipiendum esse, exemplo detestabili putabatur. Cumque Princeps prefatus, relicto Regno Apulee, relictoque Ecclesie Romane, immo Ecclesie periclitantis auxilio, flectens iter, Civitates Eugubinam et Aretinam, civili dissidio contendentes, in deditionem accipiens, cum omnibus exercitus sui copiis Aretium sit profectus, et in limite nostrorum finium castra teneat; nosque ad terrarum nostrarum custodiam obiecerimus potentie nostre manus, nescimus quorsum sint tam turbata principia processura. Hoc autem, Princeps benignissime, Deo, Majestati Vestre, hominibusque testamur, nos non nisi primum lacessitos iniuria, et pro defensione nostre libertatis arma sumpturos. Habetis, clementissime Regum, totius rei seriem, videtis quonam in loco res site sint; dignetur itaque Vestra Majestas, sicut expedire viderit Regia Celsitudo, quamvis tardum sit et quamvis hec serius quam oportuerit rescribamus, super his salubri remedio providere. Data Florentie die XIII. Septembris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimű osztályból XIX. köteg. 42. sz. a.; a florenczi nagy levéltárában.)

170.

Spinolo Boldizsár és János macsoi bánnak a florenczi köztársaság. 1380.

Domino Baldassarro Spinolo et domino Johanni Bano.

Nobilis amice karissime. Maxima mentium nostrarum admiratione serie vestrarum litterarum accepimus, quod gens Ungarorum Serenissimi Principis et Domini nostri domini Regis Ungarie, ut ad fratrum nostrorum auxilia proficiscantur debet in nostrum territorium pertransire. Nam sicut per litteras prefati domini Regis, ac clarissimi Principis domini Karoli de Dyrachio declaratur, gentes Regie nostra territoria non debent intrare; et ob id miramur, quod ordinatione tanti Principis sic neglecta, iter intra nostros limites eligatur, quod etiam veniendo ad destinatum locum non oporteat observare. Miramur etiam, quod ad plurimos circumstantium fuerit per vos scriptum, quod a nostro Communi transitum postulastis, super quo nunquam vestras vel alterius litteras nos recolimus recepisse, ex quo suspicionem non modicam intulistis. Et ob id Nobilitatem Vestram ex parte Regie Majestatis, ut eius observentur littere, requirimus et rogamus, quatenus placeat taliter ordinare, quod contra seu preter Regie Serenitatis indulta, nostra jurisdictio per gentes huiusmodi non tangatur. Nam quamvis pacifice vellent, ut asseritur, pertransire, propter damna tantum, a quibus nescit militaris lascivia continere, posset oriri scandalum vobis et nobis tam displicibile, quam molestum. Data Florentie die XIII. Septembris III. indictione MCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XIX. kötegében 42. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

171.

Vilmos györi püspöknes a florenczi kormánytanács. 1380.

Episcopo Jauriensi.

Reverende in Christo Pater. Ecce quod postulatum salvum conductum vobis iuxta Paternitatis Vestre litteras desti-

namus; et pro loco, ubi declinare debeatis, nonnisi bonis respectibus, vive vocis oraculo plenius explicandis, castrum nostrum Sancti Johannis Vallis Arni superioris duximus eligendum; ubi nostros habebimus Oratores, cum quibus omnia, tamquam nobiscum, et cum toto nostro populo poteritis ventilare. Data Florentie die XVI. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XIX kötegében 47. sz. alatt, a florenczi nagy levéltárban.)

172.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1380

Bononiensibus.

Fratres karissimi. Quia, sicut videtis, totum pondus deliberationis atque consilii gentium Ungararum convertitur in perniciem nostri status, et ad nostre libertatis exitium animatur; et quia certissimi sumus, illum exercitum cum suo duce, spe vana inductum, ad nostram offensionem celeriter processurum, quia iuxta verissimum poete dictum. »Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur«; et »venalesque manus, ibi fas, ubi maxima merces«, fraternitatem vestram affectuosissime requirimus et rogamus, quatenus in hoc necessitatis articulo, qui non est pacifici vel damnosi transitus, sed in quo status et libertas fratrum vestrorum manifesta crassatione versatur, placeat omnium vestrarum virium apparatum, ultra gentes, quas ultimo cum Comite Francisco de Barbiano Vestra Caritas destinavit, pro quo dignas gratiarum referimus actiones, sine dispendio more transmittere, et huius defensionis studio vires vestras nostris viribus applicare. Quibus, ut speramus, cum integritate coniunctis confidimus, Divino nobis assistente favore, nedum libertatem nostram defendere, sed ferocitatem illarum gentium et avaritiam conculcare. Data Florentie die XX. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XIX kötegében 49. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

173.

Perugia városnak a florenczi köztársaság. 1380.

Perusinis.

Fratres karissimi. Quamvis ad occupandam civitatem Aretii, et libertatem nostram, sicut vosmet scribitis, oppri mendam Ungarorum exercitus cum suo Duce territorium re liquerit Castellanum; adhuc tamen, ut informatione non parum certa sentimus, ab obtinenda civitate prefata tractatum et animum non dimovit. Et quod perniciosius est, propter conceptas suspiciones nonnulli forsan, ut creditur, favent harum gentium conatibus et adherent. Eapropter, in quantum vobis expediens videatur, ad exhortandum Castellanos, donec ex partibus istis discedat hec barbara congeries Ungarorum, oratores nostros ad civitatem prefatam decrevimus properare Quod si vobis hoc idem ut prediximus videatur, placeat ipsis accedendi licentiam ad dictum locum, pro publica utilitate concedere, et ipsos de agendis, quantum expedire putaveritis informare. Circa capienda consilia, que prudentissime rescripsistis, iam operam dedimus, et exhortationibus vestris conabimur illud quidem prosequi toto posse, si Superos non poterimus, etiam Acheronta, iuxta poete carmina, commoturi. Data Florentie die XX. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggio, Missive« stb. osztály XIX. l. kötegében 49. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

174.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1380.

Bononiensibus.

Fratres karissimi. Gens Hungarorum heri territorium nostrum hostiliter insultavit, capiendo subditos nostros, et cuncta que potuerunt, apud nostrum Castrum Bucini rapiendo. Et demum, pars ipsorum in territorio Cennine sua castra, intra nostros limites posuerunt. Sicque jam, ut videtis, belli non apparatum, sed auspicium; non formidinem, sed inceptum.

Et ob id Caritatem Vestram totis affectibus requirimus et rogamus, quatenus ad nostra subsidia cum omni vestra potentia, sicut de vobis spem gerimus, properetis. Et quoniam res ad certamen et sanguinem jam devenit, accelerandum omni cum festinatione censemus; nam sicut semper nocuit differre paratis, sic in re bellica sola celeritas consuevit successus felicissimos parturire. Data Florentie die XXII. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. czimü osztály XIX. kötegében 49. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

175.

Firmia és Escolum városoknak a florenczi köztársaság. 1380.

Firmanis. — Esculanis.

Amici karissimi. Gens Hungarorum, quorum Dux post Eugubium occupatum Aretine Civitatis Dominium acceptavit, nostrum territorium disponitur insultare. Contra quem impetum nostras vires, et omnium amicorum nostrorum potentiam congregamus, sperantes in Deo, quod causam nostram exitu felicissimo terminabit. Ut igitur sitis nobiscum defensionis uostre participes, et socii victorie tam famose, Amicitiam Vestram requirimus et rogamus, quatenus de quanto maiori numero gentium armatarum potestis celeriter providere, ad nostra subsidia transmittatis; ut prompta necessitudine servitiorum verus amor, quo simul coniungimur ostendatur. Data Florentie die XXIII. Septembris III. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggio, Missive« stb. osztály XIX kötegében 50. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

176.

A velenczei köztársaságnak a florenczi köztársaság. 1380.

Venetis.

Magnifice et Excelse Domine, frater et amice karissime. Nuper accepimus, quod cum invictissima vestra classe Civi-

tatem Signensem in partibus Dalmatie bellaciter occupasset; per gentes vestras inter alia, que jure belli sicut assolet rapuerunt, accepti fuerunt in predam sexcentumquinque fasciculi ferri, valoris mille octingentorum ducatorum, qui ad Alexandrum Nicholai dilectissimum civem nostrum jure dominii pertinebant, et ibidem in custodia Nicholai Michaelis civis Florentini fuerant his diebus proximis deputati. Et quoniam dicta Civitas subiecta non erat Regie dicioni, sed per Comites Signe vestros cives legitimos tenebatur, Caritatem Vestram instantissime requirimus et rogamus, quatenus amore nostri placeat dictam predam restitui facere Alexandro prefato: in hoc, sicut speramus, vere dilectionis affectum erga nos et nostros mercatores et cives per effectum operis gratiosissime declarantes. Quod quidem nos ad singulare beneplacitum adscribemus. Data Florentie die XXV. Septembris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XIX. kötegében 51. sz. a. a florenczi nagy levéltárában.)

177.

Vilmos Győri püspöknek a florenczi kormánytanács. 1380.

Episcopo Jauriensi.

Reverendissime in Christo Pater. Redierunt ad nos Nobiles viri, dominus Rossus de Ricciis miles, et Silvester Johannis, dilectissimi nostri cives, quos nunc ad presentiam clarissimi Principis domini Caroli de Dyrachio plene remittimus informatos. Ipsorumque relatione gratanter accepimus, quam favorabiliter, quamque propicie, pro nostri Communis negociis fueritis operatus, quantoque tam ipsos quam reliquos benigne fuerit Vestra Paternitas, quamque honorabiliter prosecuta. Pro quibus Reverentie Vestre rependimus dignas grates, humanitatem et benivolentiam vestram totis affectibus deprecantes, quatenus amore nostri, quos potestis veros vestros filios in omnibus reputare, prosequi placet, que tam grate nobis, tamque in oculis omnium laudabiliter incepistis. Ut exinde reddatur nostra Communitas Dignationi Vestre cunctis

temporibus obligata. Data Florentie die XXV. Septembris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XIX. kötegében 51. szám a., a florenczi nagy levéltárban.)

178.

Pisa városnak a florenczi köztársaság. 1380.

Pisanis.

Fratres karissimi. Sicut scribitis, non putamus, quod hec Ungarorum inculta et horrenda congeries in vestrum debeat territorium hostiliter equitare, rationibus in vestris litteris prudentissime declaratis. Et ob id minus credimus vos apparatu vestrarum gentium indigere. Nobiscum autem iste Princeps cum exercitu suo, non occulte, sed palam cepit inimicabiliter agitare; iamque intra nostros fines personaliter castra tenet. Jam ad certamen et sanguinem est perventum, nec concordia, quam conclusam putabatis, adhuc habuit optatum effectum, sed super multis difffcultatibus continue praticatur; quidve secuturum sit, penitus ignoramus. Quod si firmetur compositio que tractatur, non putetis, etiam si Ungari profetturi sint Januam, subitum fore discessum. Habebunt enim aliquot diebus in partibus permanere. Quocirca Caritatem Vestram iterum deprecamur, quatenus vestras gentes placeat sine mora remittere, ut re omnino procedente ad bellum, possimus in fortiori robore illorum conatibus obviare. Nam si pax habuerit effectum, subito gentes vestras curabimus, et etiam nostras, si volueritis, destinare. Interim autem ipsorum neccssariis et gratis servitiis potiemur. Data Florentie die ultimo Septembris IIII. indictione MCCCLXXX.

(A »Signori, Carteggie, Missive, Registri della Cancellaria« XIX. kötegéből 53. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

179.

Egyezkedés Károly durazzoi herczeg és a florenczi köztársaság közt. A florenczi köztársaság okmánya. 1380.

In Dei nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo, indictione quarta secundum cursum et consuetudinem Notariorum Civitatis Florentie die septimo mensis Octubris, tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini domini Urbani Divina Providentia Pape Sexti. Actum in Civitate Florentie in palatio in quo morantur domini Priores Artium et Vexillifer Justitie Populi et Communis Florentie, presentibus testibus ad hoc vocatis et habitis; videlicet prudentibus et discretis viris ser Johanne Nicolai de Castro Florentino, cive et Notario Florentino, et Notario et Scriba Officii dominorum Priorum Artium et Vexilliferi Justitie predictorum, et ser Antonio ser Chelli Notario Florentino et Coadiutore Cancellarii dicti Officii dominorum Priorum et Vixilliferi, et aliis pluribus.

Pateat omnibus evidenter hunc publicum instrumentum specturis, quod Magnifici et potentes uiri domini Priores Artium et Vexillifer Justitie Populi et Communis Florentie, una cum Offitiis Ghonfalonerorum, sotietatum populi, et duodecim bonorum virorum dicti Populi et Communis insimul in sufficienti numero congregati in supradicto palatio residentie dominorum Priorum Artium et Vexilliferi Justitie predictorum pro eorum officio exercendo, omni modo, via et jure, quibus melius potuerunt, vice et nomine dicti Populi et Communis, et pro dicto Populo et Communi facto, misso et celebrato prius inter eos solemni et secreto scrutinio ad fabas nigras et albas, ut moris est, et obtento partito secundum formam statutorum et ordinamentorum dicti Communis fecerunt constituerunt et ordinaverunt diedi Populi et Communis, et hominum et personarum dicti Populi et Communis veros et legiptimos Sindicos procuratores, actores, factores et certos nuntios speciales Ambaxiatores dicti Populi et Communis, et quidquid melius esse possunt, Nobiles et Egregios Milites dominum Rossum Ricciardi de Riccis, et dominum Bettinūm

domini Covoris de Covoribus, et prudentes viros Jacobum Michelis del Rosso, et Silvestrum Johannis Cortenuova cives honorabiles Florentinos et quemlibet eorum in solidnm et in totum, ita tamen quod occupantis conditio potior non existat, sed quod unus et seu plures ipsorum inceperit vel inceperint, alius vel alii, et quilibet eorum in solidum prosequi valeant mediare, terminare et finire: specialiter et nominatim ad faciendum contrahendum et ineundum cum clarissimo Principe domino Karolo de Duratio inter dictum Commune ex parte una, et dictum clarisimum Principem Karolum ex parte alia, infrastripta pacta et conventiones et capitula, sub tenore forma et capitulis infrascriptis, videlicet:

Imprimis quod Commune Florentie non dabit nec prestabit Domine Regine Johanne, aut domino Octoni eius viro, seu ipsorum vel alterius eorum subditis, colligatis vel recommendatis, feudatariis vel censuariis seu fautoribus, nec alicui alteri persone, Communi vel Universitati contra infrascriptos in presenti capitulo nominatos vel aliquem ipsorum, auxilium vel favorem, nec aliquam ligam, confederationem vel unionem faciet cum predictis, vel aliquo ipsorum, contra dominum Papam Urbanum Sextum, dominum Regem Hungarie, et dominum Karolum, vel aliquem ipsorum, nec contra eorum subditos, vasallos et gentes, nec contra Januenses colligatos domini Regis Ungharie. Et de ipsis Januensibus intelligatur durante liga ad presens vigenti inter ipsum Dominum Regem et Januenses. Ad predictorum autem observantiam dictum Commune non sit adstrictum, quoad illos vel illum ex predictis, qui offenderet vel offendi faceret Commune predictum, aut eius subditos, recommendatos vel colligatos, aut faceret contra eos vel aliquem ipsorum.

Item quod dictum Commune non faciet guerram, hostilitatem, tractatum vel seditionem contra aliquas terras, quas dictus dominus Karolus tenet vel tenebit, et specialiter et nominatim contra Civitates Aretii et Eughubii, et contra castra, territoria et loca ipsarum Civitatum Aretii et Eughubii vel alterius earum, que ad presens per ipsum tenentur et possidentur. Et intentionis dicti Communis existit, quod idem observabunt eius colligati. In casu vero, quo dicti colligati vel

aliquis ipsorum incipiendo facerent talem guerram, hostilitatem, tractatum vel seditionem, dictum Commune Florentie non teneatur nec debeat in hiis iuvare ipsum tale collighatum.

Item quod dictus dominus Karolus erit, prout fuerunt eius progenitores, protector et benefactor Communitatis Florentie et eius jurium et honorum, et presentis felicis et Guelfi Regiminis et status ipsius Civitatis.

Item quod ipse dominus Karolus non offendet nec molestabit, et faciet et curabit ita et taliter cum effectu, quod gentes armorum ipsius domini Karoli, et seu cum ipso tam existentes, quam etiam extiture non offendent, nec ullo modo molestabunt Commune Florentie et seu eius cives, subditos, vasallos et seu censuarios, territorium, Castra vel loca, et seu aliquam terram vel locum, in qua vel quo ipsum Commune habet vel habebit aliquam preheminentiam vel custodiam, aut quoquo modo tenet aut tenebit, et maxime Civitates Pistorii et Vulterrarum et Terrarum Collis Vallis Else, Castrum Bibbiene, Castrum Laterine, Castrum Civitelle Vallis Ambre, vel territoria aut cives, terrigenas, incolas vel subditos ipsarum vel alicuius earum, et seu aliquas alias terras, castra et seu loca, que per dictum Commune Florentie quoquo modo tenentur ad presens, et que dicerentur aut dici possent fuisse vel esse de vel in Comitatu, Districtu vel Diocesi Civitatis Aretii, nec occaxione vel pretextu dictarum Civitatum, terrarum, Castrorum et locorum, vel alicuius earum ipse dominus Karolus molestabit aut molestari faciet, vel per gentes suas permittet ullomodo vel tempore dictum Commune Florentie aut eius cives vel subditos de jure vel de facto, nec contra dictum Commune et terras, castra et seu loca, vel aliquod eorum per se vel alium faciet guerram, seditionem vel tractatum, nec intrabunt vel transibunt per territoria, Comitatum, vel districtum dictarum Civitatum, terrarum, vel locorum, vel alterius eorum, sine beneplacito et voluntate dominorum Priorum Artium et Vexilliferi Justitie Populi et Communis Florentie. Et similiter predicta etiam intelligentur de colligatis dicti Communis Florentie et eorum terris, civitatibus, civibus, subditis, censuariis vel vasallis, territoriis ac locis, in quibus ipsi colligati habent aliquam preheminentiam vel

custodiam. Et hoc quod divitor de colligatis, intelligatur durante ligha vigente inter ipsum Commune, et dictos colligatos; qui colligati sunt isti, videlicet : Commune Bononie, Commune Perusii, Commune Pisarum, Commune Senarum, et Commune Lucanum.

Item quod ipse dominus Karolus faciet et iurabit taliter cum effectu, quod gentes armorum ad presens existentes Cum ipso, in totum vel in partem, si ab eo vel sub eius provisiore aut stipendio discederent, non offendant dictum Commune Florentie, nec aliquem locum aut Commune vel personas comprehensum vel comprehensas in proximo precedenti capitulo hinc ad quinque menses proxime futuros, vel infra ipsum tempus. Hoc addito, quod dominus Karolus non teneatur ad predicta pro Ungharis, nisi pro tempore quo cum ipso stabunt, pro alio operabitur bona fide, quidquid poterit, quod non offendent, ut predicitur.

Item quod dictus dominus Karolus per se vel alium seu alios non possit, nec ei liceat de novo se intromictere, occupare, sibi subjicere, acceptare vel recipere de aliqua vel aliquam civitatem, terram vel locum in Tuscia existentem seu confinantem cum Comitatu, Districtu vel territorio Florentino, exceptis duntaxat castris, que ad presens tenentur per rebelles Civitatis Aretii, que per ipsos rebelles libere et voluntarie darentur ipsi domino Karolo.

Item quod dictus dominus Karolus faciet et curabit ita et taliter, quod nullus exbannitus, rebellis vel condempnatus dicti Communis Florentie stabit in Civitate Aretii vel Eugubii vel earum vel alterius earum territorio vel districtu, nec in aliqua civitate, terra vel loco quam vel quem ipse tenet, nec in aliquo ipsius domini Karoli campo vel exercitu, aut penes se ullo modo, nec ipsis vel alicui ipsorum prestabit aut dari faciet auxilium vel favorem. Et in casu etiam quo aliquis predictorum exbannitorum, rebellium vel condempnatorum staret vel reperiretur in aliquo ex locis predictis, possit et debeat quilibet talis puniri in omnibus et per omnia per officiales dicti domini Karoli, prout et quemadmodum, et ac si essent rebelles et condempnati ipsius domini Karoli. In terris, Civitatibus et locis vero, quas et que dictus dominus Karolus de novo in fu-

tuum tenebit, predicta in presenti capitulo contenta contra predictos exbannitos et rebelles etiam exequentur. Exceptis illis ex eis, qui in ipsis talibus terris et locis satisdabunt penes officiales ipsius domini Karoli; et secundum arbitrium ipsorum officialium vel alicuius eorum, de non offendendo ullo modo Commune Florentie, nec de tractando aut aliquid moliendo contra ipsum Commune aut Statum Civitatis Florentie. Et contrafaciens a predicto beneficio exceptionis sit exclusus. Et quod predicta in presenti capitulo contenta intelligantur de dictis exbannitis, rebellibus et condempnatis ad presens dicti Communis, infra in presenti contractu, et seu in fine ipsius aut capitulorum nominandis et per eorum nomina describendis. Et de hiis hactenus rebellibus et exbannitis, et qui hinc ad sex menses proxime venturos, vel infra ipsum tempus nominabuntur, seu exprimentur ipsi domino Karolo aut eius vicario Civitatis Aretii vel Eugubii per litteras dominorum Priorum et Vexilliferi Justitie Populi et Communis Florentie.

Item quod dictus dominus Karolus, aut eius gentes, vel subditi, vel vasalli, in totum vel in partem non offendent aut molestabunt, guerram faciendo vel hostiliter equitando, aut tractatum vel seditionem faciendo hinc ad quatuor annos proxime secuturos, vel infra ipsum tempus, aliquem vel aliquos ad presens existentes exititios Civitatis Aretii seu eorum colligatos, aut eorum subditos, censuarios vel vasallos, vel terras, castra, loca vel bona aut res ipsorum vel alicuius ipsorum, seu que per ipsos vel aliquem ipsorum ad presens tenentur vel possidentur; ita tamen quod quilibet ipsorum exititiorum, qui incipiendo faceret guerram vel hostititatem contra Civitatem Aretii aut eius cives vel comitatiuos, seu aliqua loca, que occaxione ipsius Civitatis tenentur ad presens per ipsum dominum Karolum, aut alias terras quas tenet vel tenebit ipse dominus Karolus et seu gentes ipsius domini Karoli, possit offendi, nec tale benefitium presentis capituli prosit. Et quod liceat Communi Florentie juvare quemlibet predictorum, qui contra formam presentis capituli offenderetur vel molestaretur, et cuilibet tali dare auxilium, consilium et favorem. Elapso vero dicto tempore quactuor annorum non liceat dicto Communi Florentie juvare predictos exititios aut eorum colligatos,

subditos, vassallos, censuarios vel terras, nisi quatenus ipsum Commune teneretur ex aliqua promissione vel fide per ipsum Commune hactenus facta seu prestita.

Item quod dictus dominus Karolus suo vel alieno nomine non molestabit vel gravabit per se vel aliquas suas gentes ullo modo directe vel indirecte Commune predictum aut aliquem vel aliquos eius cives, vel subditos, occasione vel pretextu alicuius promissionis vel obligationis, ad quam seu per quam dictum Commune teneretur, vel teneri aut obnoxium fore diceretur Sanctissimo in Christo Patri domino Urbano Pape Sexto, aut Sancte Romane Ecclesie, etiam si de tali promissione vel obligatione totius vel partis aliquod jus haberet, etiam per modum vel titulum cessionis vel cuiuscumque concessionis.

Item quod Commune Florentie non obstantibus predictis et infrascriptis, vel aliquo ipsorum, possit et ei liceat actendere et observare quecunque pacta et conventiones vigentes, et quas et que habet cum supranominatis ejus colligatis, et quod predicta vel infrascripta aut aliquod ipsorum in aliquo non preiudicent nec preiudicare intelligantur alicui vel aliquibus talibus pactis et conventionibus, et quod etiam per dicta pacta et conventiones non preiudicetur capitulis in presenti contractu insertis.

Item quod suprascripta et infrascripta omnia et singula intelligantur et intelligi debeant pro utraque parte bona fide, et secundum sanum et purum intellectum, remotis cavillationibus, et omnibus pravis interpretationibus.

Nomina quidem exbannitorum, condempnatorum et rebellium dicti Communis Florentie, de quibus disponitur et fit mentio supra in septimo capitulo sunt ista, videlicet : Bernardus Lippi Cionis del Cane, Bernardus Antonii Nicholi, Marianus Landi de Albizis, Tommasius Raynerij de Cavalcantibus, Toccius Bochaccii de Gherardinis, Johannes Bartoli Biliocti, Andreas Segnini, Adovardus de Pulcis, Nicolaus Brunecti, Cennes Naddi de Oricellariis, Bartolomeus Nicoli Cionis, Johannes Guerrerij de Rossis, Jacobus Bochaccii de Brunelleschis, Matteus et Johannes dello Scelto, Ugolinus Noldi de Gherandinis, Bernardus Jacobi Bechanugi et Ja-

cobus eius filius, Lucas Pieri Filippi, Nicola Andree Lippozi Matteus Jacobi Arrigi, Jacobus domini Rainerij, Tommasinus Antonii et Lanfranchus Tocti de Panzano, Benedictus Simonis Rainerij de Paruzis, Bese Guidonis Maghelocti, Gherardinus Pieri Velluti, ser Nofrius ser Pieri ser Grifi, ser Brunus, Franciscus et Leonardus filii dicti ser Pieri, Guido del Bandiera, Jacobus vocatus Testinella, Franciscus Bartoli Guidarezi, dominus Lucas Tocti de Panzano, Nicolaus Becti Bardi, Matteus domini Luce de Panzano, dominus Lapus et Albertus de Castiglionechio, Bonacursus Neri Picti, Bartolomeus Gheradaccij de Prato, dominus Albertus Pepi Antonij, Piggiellus domini Luigij, Luigius vocatus Moschone filius Bernandi, Jacobus Bartolomei de Medicis, Nicolaus Sandri de Bardis, Dominicus Bonaiuti vocatus Danza, Cechus domine Imperiere, Bindus Gentilis de Buondelmontibus, Nicolaus Rainerij de Peruzis, Pierus Masini de Antilla, Lucas Milane, Andreas Bartoloris Chelij, Bartolomeus vocatus Meo del Grasso, Simon Andree vocatus Morello, Dominicus Filippi vocatus Ghabella.

Ac etiam ad promittendum, conveniendum Magnifico viro domino Johanni Bano Machoviensi Generali Capitaneo gentis Serenissimi Principis et Domini domini Ludovici Dey gratia Regis Ungarie, cum ipso domino Karolo ad presens in Ytalia existente, stipulante et recipiente pro dicto domino Rege et vice et nomine dicti domini Regis mutuare, et quod ex causa mutui dictum Commune Florentie dabit aut dari faciet infra duos menses proxime secuturos a die dicte promissionis fiende in campo Ungharorum aut in Castro Staggie, aut in Castro de Podiobonizi, ita tamen et cum hoc pacto, quod dictus dominus Rex, aut eius mandatarius idoneus promittat et promittere debeat per solemne et autenticum instrumentum conficiendum cum clausulis et solemnitatibus oportunis manu Notarii Florentini dicto Communi aut alteri pro ipso Communi recipienti tempore solutionis fiende occaxione predicta de curando et faciendo, et quod faciet et curabit ita et taliter cum effectu, quod infra unum annum proxime secuturum, Sanctissimus in Christo Pater et Dominus dominus Urbanus Divina providentia Papa Sextus, vel eius successor, computabit et

pro recepta habebit dictam quantitatem, et summam in quantitate et summa, quam dicitur dictum Commune Florentie debere ipsi domino Pape et Sancte Romane Ecclesie occaxione pacis hactenus contracte inter ipsum dominum Papam et Commune predictum, et quod illam quantitatem seu partem ex quantitatibus antedictis dictorum quadraginta milium florenorum auri, de quibus supradictum est, quam dictus dominus Papa vel eius successor non computabit, et pro recepta non habebit, et de qua usque ad concurrentem quantitatem cum quantitate soluta non absolvet et quietabit Commune predictum infra dictum terminum, dictus dominus Rex restituet aut restitui faciet dicto Communi in civitate Florentie infra quinque annos proxime secuturos a dic dicte fiende promissionis et obligationis et celebrandi contractus. Et quod ad predicta obligabitur dictus dominus Rex seu eius mandaterius ydonius, ipsum et eius bona obligans, et predictas promissiones, pacta, conventiones et solutiones, modis, partibus et locis suprascriptis faciant et recipiant predicti Ambaxiatores et Sindici nominibus quibus supra si et in quantum, et in casu quo prenominatus dominus Johannes Banus Capitaneus antedictus promittat dictis Ambaxiatoribus et Sindicis presentibus et stipulantibus vice et nomine dicti Populi et Communis, et omnium quorum interest, se facturum et cunaturum; ita et taliter, quod supradicte promissiones et obligationes fient ut superius est expressum, et quod ipse Magnificus Miles dominus Johannes Banus Capitaneus, et Seneschalli et quindecim ex maioribus Caporalibus et Conductoribus Ungharorum existentes cum dicto domino Karolo etiam per instrumentum conficiendum per Notarium Florentinum, ut dictum est, tempore prime solutionis, quam faciet vel fieri faciet Commune predictum occaxione supradictorum, quod predicti Capitaneus, Seneschalli, Caporales et Conductores, et gentes cum ipsis existentes non offendent aut molestabant ullo modo, et seu aliquo tempore quo stabunt in partibus Ytalie pro isto viatico, videlicet antequam in Unghariam revertantur, Commune Florentie, aut Communia Bononie, Perusij, Pisarum, Senaram et Lucanum, eius colligatos, et seu dicti Communis Florentie et colligatorum vel alicuius eorum cives, subditos, vassallos,

censuarios, civitates, terras et loca, que per dictum Commune et colligatos vel aliquem ipsorum ad presens tenentur, vel in quibus habent ipsi vel aliquis ipsorum preheminentiam vel custodiam, nec in dictis Comitatibus, territoriis vel districtibus venient aut intrabunt sine beneplacito et voluntate dominorum Priorum et Vexilliferi Justitie Populi et Communis Florentie, quoad Commune Florentie et eius terras et territoria. Cum hoc etiam pacto expresse per dictos Ambaxiatores et Sindicum nominibus supra in promissione solutionis et contractus per eos dictis nominibus ineundis inserendo et apponendo, quod dictus dominus Karolus, in quantum videlicet dicto domino Karolo possibile sit, et dictus dominus Johannes Banus Capitaneus prelibatus, faciant et curent cum effectu infra duos dies immediate sequentes post primam solutionem fiendam de predictis, quod omnes Unghari, et omnes alie gentes existentes cum dicto domino Karolo debeant elevare campum, et de Comitatu et territorio Florentie exire. Ita tamen, quod illi ex ipsis, qui pro eundo alio vellent transire per territorium Florentie, debeant et teneantur ire recto itinere per vias, que eis pro parte Communis Florentie assignabuntur, continuatis dietis et absque mora, non faciendo damnum et debite solvendo pro rebus quas acciperent; et pro parte dicti Communis ipsis debeant pro debitis pretiis victualia expedientia ministrari. Et similiter intelligatur et observetur et observari debeat in territoriis et super territoriis colligatorum dicti Communis, per que transire vellent. Ita etiam, quod si vellent transire per territorium alicuius ex dictis colligatis, ministrentur eis victulalia necessaria pro pretio competenti; et ipsi debeant transire continuatis dictis, et absque illatione damni, et accipiendo victualia pro pretiis debitis; et quod ipse gentes non debeant offendi per gentes Communis Florentie, vel dictorum colligatorum, transeundo ut predicitur. Et quod predicte gentes sic transeuntes non intelligantur fidem rumpere accipiendo comestibilia, que extra fortalitias invenirent; et quod predicta omnia intelligantur bona fide et ad sanum intellectum. Et ad recipiendum nomine dicti Communis a dicto domino Rege, et seu ab ipsius domini Regis procuratore et mandatario, et a dicto domino Karolo et domino Johanne, et

a dictis Seneschallis et Caporalibus, et aliis quibuscunque omnes et singulas promissiones, cautiones, conventiones et pacta, quas et seu que dicti Sindici et Ambaxiatores dictis nominibus recipere voluerint. Et propterea et pro observatione promictendorum pro parte dicti Communis obligandorum dictis domino Karolo et domino Johanni, et cuilibet vel alteri eorum, dictum Commune Florentie et omnia bona dioti Communis, mobilia et immobilia, presentia et futura; et in predictis et circa predicta, et quodlibet seu aliquod predictorum, omnia et singula faciendum, exercendum et procurandum nomine dicti Communis, et pro dicto Communi, que dicti domini Priores et Collegia nomine dicti Communis et pro dicto Communi, et seu dictum Commune facere possent, et que fuerint opportuna, necessaria et seu utilia, et prout dictis Sindicis et Ambaxiatoribus in predictis et circa predicta videbitur convenire. Item ad conficiendum, et confici et rogari videndum et faciendum in predictis et circa predicta, et quodlibet seu aliquod predictorum, semel et seu pluries, instrumentum et instrumenta unum et plura simul et seu divisim vallandum et roborandum omnibus et singulis capitulis, solemnitatibus et prout dictis Sindicis et Ambaxiatoribus placuerit et videbitur convenire. Dantes et concedentes dicti domini Priores et Collegia dictis nominibus dictis Sindicis et Ambaxiatoribus et cuilibet eorum in solidum in predictis et circa predicta et quodlibet seu aliquod predictorum plenum liberum et generale ac speciale mandatum, cum plena, libera et generali ac speciali administratione. Promictentes et convenientes dicti domini Priores et Collegia modis et nominibus antedictis michi Ristoro Notario infrascripto, ut publice persone stipulanti et recipienti pro dictis domino Rege et domino Karolo et domino Johanne, et quolibet alio et seu aliis, cuius seu quorum interest vel interesse posset, dictum Commune Florentie, et dictos dominos Priores et Collegia vice et nomine dicti Communis firmum et ratum habere, tenere et observare et adimplere omne id totum et quidquid, et ea omnia et singula, quod et seu que per dictos Sindicos et Ambaxiatores, et quemlibet et seu alterum eorum, nominibus quibus supra in predictis et circa predicta et quodlibet seu alterum predictorum ac-

tum, factum, gestum et seu procuratum fuerit. Sub ypoteca et obligatione dicti Communis, et bonorum omnium dicti Communis mobilium et immobilium, presentium et futurorum. Rogantes me Ristorum Notarium infrascriptum, quod de predictis omnibus publicum conficerem instrumentum unum et seu plura, et totiens quotiens expedierit.

(Jegyzői jegy.) Ego Ristorus filius condam ser Jacobi, Civis Florentinus, Imperiali Auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predictis omnibus et singulis in presenti et precedenti duobus petiis cartarum simul sutarum, et in earum junctura signatarum signo infrascripti ser Antonii contentis et scriptis, dum agerentur interfui, et ea omnia et singula suprasripta rogatus, rogavi et imbreviavi, et ad presens aliis negotiis occupatus predicta omnia et singula suprascripta complenda et publicanda commisi infrascripto ser Antonio Magistri Petri Notario, et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuentum.

(Jegyzői jegy.) Ego Antonius filius condam Magistri Petri de Florentia Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Judex Ordinarius, predicta omnia et singula mea propria manu scripta in presenti et precedenti duobus petiis cartarum simul sutarum, et in earum iuncturis meo solito signo signatarum, et rogata et imbreviata per supraseriptum ser Ristorum ser Jacobi Notarium ex eiusdem ser Ristori rogationibus et imbregiaturis vigore suprasripte commissionis per eum michi facte fideliter scripsi, complevi et publicavi, in hancque publicam formam redegi, et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Eredetie bőrhártyán a florenczi nagy levéltárban. »Sezione delle Riformagioni, Atti publici vol. VIII. Carte di Napoli XV. sz. a.)

180.

Visconti Barnabás milanoi fejedelemnek a florenczi köztársaság. 1380.

Domino Bernaboni.

Magnifice et excelse Domine, frater et amice karissime. Hucusque, quia multa per multos variis affectibus narrabantur, non potuimus de Ungarorum consiliis certum aliquid exhaurire. Videbatur enim illos Clarissimus Princeps dominus Karolus de Dyrachio ad sua et Summi Pontificis servicia conducturus. Ex alia parte dominus Baldassar de Spinolis ipsos transferre ad Vestre Serenitatis damna, et ad favores Januensium conabatur. Sicque dubium erat, quo se deberet ipsorum deliberatio verisimilius inclinare, et ob id Vestra Dilectio non miretur, si nihil hactenus super hac materia fuerit per Commune nostrum aut per nos Vestre Magnitudini litteris intimatum. Nunc autem, quia tandem emersit, quod tamdiu sub aquis occultissime gestum est, Fraternitatem Vestram duximus tenore presentium declarandam, dominum Karolum antedictum cum suis gentibus Italicis et Theuthonicis ab Ungaris discessisse, et hac die omnem Pannoniorum exercitum per nostra territoria pergere versus Pisas, ut exinde Januam veniens ad vestrarum terrarum offensionem, sicut percepimus, convertatur. Insuper quedam gentes ex nostris, que de presenti sunt suarum conductionum tempora completure, querere videntur, ut cum istis gentibus ad eadem profecturi servicia coniungantur. Quod tantum adhuc, sicut Ungarorum adventum, non possumus adfirmare. Hec habemus de processibus gentium predictarum, que vobis ut amicorum precipuo fideliter intimamus, quicquid ulterius percipiemus, eadem diligentia rescripturi. Data Florentie die VIIII. Octobris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie Missive« stb. osztály XIX. kötegében 58. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

181.

Egyezkedés Károly durazzoi herczeg és a florenczi köztársaság közt. Durazzoi Károlynak okmánya. 1380.

In Dei nomine Amen. Anno ab eius Incarnatione millesimo trecentesimo (octuagesimo) indictione quarta secundum cursum et consuetudinem Notariorum Civitatis Florentie die nono mensis Octubris; tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri domini Urbani Divina providente clementia Pape Sexti. Actum in Comitatu Civitatis Senarum in villa, que vulgari sermone nuncupatur Strova, in domo residentie infrascripti domini Karoli, presentibus testibus providis et circumspectis viris ad hec vocatis, habitisque rogatis, videlicet domino Ghinello Riessa de Neapoli, domino Baldaxare de Spinolis de Janua, domino Marsilio de Gonfaloneriis de Brixia, domino Johanne Jurisperito domini Herrighi de Regio, Francischo Luche de Senis populi Sancti Petri de Castro Veteri, Angelo Ghini Schiacte populi Sancti Johannis tertierii Civitatis Senarum, et ser Ligho Francisci de Loro populi Sancte Marie in campo de Florentia etc.

Ad laudem et reverentiam Sanctissime Trinitatis, Glorioseque Marie semper Virginis matris Jesu Christi, ac gloriosi Patriarce Sancti Johannis Baptiste, et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et totius Celestis Curtis triumphantis. Clarissimus Princeps dominus Karolus de Duratio ex parte una, et nobiles et egregii Milites dominus Rossus Ricciardi de Riccis, et dominus Bectinus domini Covonis de Covonibus, et prudentes viri Jachopus Michelis de Rosso, et Silvester Johannis Cortenuova, cives honorabiles Florentini, Ambaxiatores ac Sindici Communis Florentie, et vice et nomine Populi et Communis Florentie, habentes mandatum a dominis Prioribus Artium et Vexillifero Justitie, et Gonfaloneriis Sotietatum, et duodecim bonis viris Populi et Communis Florentie, infrascripta omnia faciendi, de quo mandato constat manu mei Notarii infrascripti, ex parte alia. Cupientes aumentare et perfectius ac solidius conservare sinceram dilectionem erga Commune Florentie Serenissimi Principis et Domini domini

Lodovici Dei gratia Regis Ungarie, et ipsius domini Karoli, et eius progenitorum, et devotionem assiduam et inconcussam dicti Communis ad Sublimitatem et Excellentiam predictorum, et quicquid predictis obviare posset, aut ea de consueto tramite deviare, radicitus extirpare, ac realiter et bona fide infrascripta omnia observare, communi concordia, recto animo, simplici fide, et unanimi voluntate devenerunt ad invicem ad infrascripta pacta et conventiones, et ipsa infrascripta pacta et conventiones simul et adinvicem solempniter fecerunt, contraxerunt et iniverunt, sub tenore, forma et capitulis infracriptis, videlicet:

Imprimis stb. (következnek az egyességnek pontjai, mint fentebb a 179. sz. a. okmányban.)

Que pacta, conventiones et capitula, et omnia et singula suprascripta, stipulatione solempni promiserunt et convenerunt dicte partes et quelibet earum, modis et nominibus antedictis, sibi ad invicem et vicissim firmare, rata habere, tenere et observare, et contra non facere vel venire de iure vel de facto. Et pro dictis omnibus et singulis observandis obligavit dictus dominus Karolus dictis Ambaxiatoribus et Sindicis nominibus, quibus supra recipientibus, se ipsum dominum Karolum et eius heredes et bona; et dicti Ambaxiatores et Sindici dictis nominibus obligaverunt dicto domino Karolo dictum Commune Florentie et ipsius terras, renumptiantes dicte partes nominibus quibus supra, et quelibet earum in predictis omnibus et singulis, exceptioni et beneficiis eis et cuilibet vel alteri eorum quomodolibet competentibus, et legi et jurisdicenti generalem renumptiationem non valere, et ad confirmationem et conroborationem omnium predictorum; et ad maiorem cautelam dictus dominus Karolus sponte iuravit corporaliter ad Sancta Dei Evangelia, manu tactis scripturis, suprascripta pacta, conventiones et capitula, et omnia suprascripta, pro eorum dictis nominibus et parte facere observare et adimplere, et in nullo contra facere vel venire. Quibus quidem Yllustrissimo Principi domino Karolo de Duratio, et Magnificis Militibus domino Rosso et domino Bectino, et discretis viris Silvestro et Jachopo, modis et nominibus, quibus supra, presentibus volentibus et predicta omnia confitentibus, precepi Ego Risto-

rus Notarius infrascriptus per guarentigiam nomine juramenti, prout mihi licuit et licet, secundum formam capituli, statuti et ordinamenti Communis Florentie de guarentigia loquentis, quatenus predicta omnia et singula, modis et nominibus quibus supra, actendant, faciant et observent, prout supra promiserunt, continetur et scriptum est.

(Jegyzői jegy.) Ego Ristorus filius condam ser Jacobi, civis Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predictis omnibus et singulis suprascriptis, dum agerentur interfui, et ea omnia et singula suprascripta rogatus rogavi et imbreviavi, et ad presens aliis negotiis occupatus, predicta omnia et singula suprascripta complenda et publicanda commisi infrascripto ser Ligo Francisci Notario Publico : et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy.) Ego Lighus filius condam Francisci Lighi de Loro, civis Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predicta omnia et singula suprascripta ex imbreviaturis et rogationibus suprascripti ser Ristori Ser Jachopi Notarii suprascripti, vigore commissionis in me facte per suprascriptum Ser Ristorum de predicta, omnia et singula suprascripta complendo et publicando, complevi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi; et quod supra in prima linea acceptatum est inter hec verba trecentesimo et indictione, et scriptum est ibi supra prima linea in hanc ditionem »octuagesimo« mea propria manu scripsi et acceptavi. Ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Eredetie börhártyán az »Atti publici di Napoli« VIII. kötegében XVII. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

182.

A florenczi körtársaság 40,000 aranyforintot kölcsönöz János mocsói bánnak I. Lajos magyar és lengyel király nevében.
1380.

In Dey nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo, inditione quarta secundum cursum et consuetudinem Notariorum Civitatis Florentie die nono mensis Octubris, tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri domini Urbani Divina providente clementia Pape Sexti. Actum in Comitatu Civitatis Senarum in villa que vulgari sermone nuncupatur Strova in domo residentie Clarissimi Principis domini Karoli de Duratio, presentibus testibus providis et circumspectis viris ad hec vocatis, habitis, rogatis, videlicet domino Ghinello Riessa de Neapoli, domino Baldassarre de Spinolis de Janua, Marsilio de Gonfaloneriis de Brissia, domino Johanne Jurisperito domini Arrighi de Regio, Francischo Luche de Senis populi Sancti Petri de Castro Veteri, Angelo Ghini Schiacte populi Sancti Johannis terzerii Civitatis Senarum et ser Ligho Francisci de Loro populi Sancte Marie in Campo de Florentia.

Nobiles et egregii Milites dominus Rossus Ricciardi de Riccis, et dominus Bectinus domini Covonis de Covonibus, et prudentes viri Jacobus Michelis de Rosso et Silvester Johannis Cortenuova, cives honorabiles Florentini, Ambaxiatores ac Sindici Communis Florentie, de quorum Sindicatu et mandato constat per instrumentum scriptum manu mei Ristorii Notarij infrascripti dictis anno, indictione et die septimo dicti mensis Octubris, vice et nomine dicti Communis, et tamquam Sindici et Ambaxiatores dicti Communis, ab infrascripto domino Johanne Bano, ut et tamquam procuratore et procuratorio nomine Serenissimi Principis Domini domini Ludovici Dey gratia Regis Ungarie, et ipsius domini Regis vice et nomine ad infrascripta, promiserunt supradicto domino Johanni Bano, Capitaneo Generali pro dicto domino Rege gentis Ungharorum, ad presens cum dicto domino Johanne existente presenti, recipienti et stipulanti pro dicto domino Rege, et vice

et nomine dicti domini Regis, mutuare, et quod ex causa mutui dictum Commune Florentie dabit aut dari faciet infra duos menses proxime secuturos dicto domino Regi, et seu habenti mandatum a dicto domino Rege, quadraginta milia florenos auri currentes et ut currunt Florentie inter mercatores Florentinos in hiis terminis et partibus; videlicet medietatem ipsius quantitatis infra sex dies proxime secuturos a die presentis contractus in campo Ungharorum, aut in Castro Staggie, aut in Castro Podiobonizi Comitatus Florentie, et aliam medietatem in duobus terminis, videlicet decem millia infra unum mensem, et florenos decem millia infra duos menses predictos a die presentis contractus; et predictas duas alias solutiones facere in Civitate Florentie, aut in Castro Podiobonizi predicto. Ita tamen et cum hoc pacto, quod dictus dominus Rex aut eius mandatarius ydoneus promictat et promittere debeat per solemne et autenticum instrumentum conficiendum cum clausulis et solemnitatibus oportunis manu Notarii Florentini, dicto Communi, aut alii pro ipso Communi recipienti tempore solutionis fiende occaxione predicta de curando et faciendo, et quod faciet et curabit ita et taliter cum effectu; quod infra unum annum proxime secuturum Sanctissimus in Christo Pater et Dominus dominus Urbanus Divina providentia Papa Sextus, vel eius successor computabit et pro recepta habebit in totum vel in partem infra dictum tempus dictam quantitatem et summam in quantitate et summa, quam dicitur dictum Commune Florentie debere ipsi domino Pape et Sancte Romane Ecclesie occaxione pacis hactenus contracte inter ipsum dominum Papam et Commune predictum, et quod illam quantitatem seu partem ex quantitatibus antedictis, quam dictus dominus Papa vel eius subcessor non computabit, et pro recepta non habebit, et de qua usque ad concurrentem quantitatem cum quantitate soluta non absolvet et quietabit Commune predictum infra dictum terminum, dominus Rex restituet aut restitui faciet dicto Communi in dicta Civitate Florentie infra quinque annos proxime secuturos a die presentis contractus; et quod ad predicta obligabitur dictus dominus Rex seu eius mandalarius ydoneus ipsum et eius bona obligans. Insuper prenominatus dominus Johannes Banus

Capitaneus predictus promisit prefatis Ambaxiatoribus et Sindicis dicti Communis presentibus et stipulantibus vice et nomine dicti Populi et Communis, et omnium quorum interest, se facturum et curaturum ita et taliter, quod supradicte promissiones et obligationes fient ut superius est expressum. Et quod ipse Magnificus Miles dominus Johannes Banus Capitaneus, et Seneschalli, et quindecim ex maioribus Caporalibus et Conductoribus Ungharorum existentium cum dicto domino Karolo, etiam per instrumentum conficiendum per Notarium Florentinum, ut dictum est, tempore prime solutionis, quam faciet seu fieri faciet Commune predictum occaxione supradictorum, quod predicti Capitaneus, Seneschalli, Caporales et Conductores, et gentes cum ipsis existentes, non offendent aut molestabunt ullo modo, et seu aliquo tempore quo stabunt in partibus Ytalie pro isto viatico, videlicet antequam in Ungharìam revertantur, Commune Florentie, aut Communia Bononie, Perusii, Pisarum, Senarum, et Lucanum, eius colligatos, et seu dicti Communis Florentie et colligatorum, vel alicuius eorum cives, subditos, vasallos, censuarios, civitates, terras, territoria, Comitatus et districtus et civitates, terras et loca, que per dictum Commune et colligatos, vel aliquem ipsorum ad presens tenentur, vel in quibus habent ipsi vel aliquis ipsorum preheminentiam vel custodiam, nec in dictis Comitatibus, territoriis vel districtibus venient vel intrabunt sine beneplacito et voluntate dominorum Priorum et Vexilliferi Justitie Populi et Communis Florentie quoad Commune Florentie et eius terras et territoria. Hoc etiam pacto expresse apposito, quod dictus dominus Karolus, in quantum sit ei possibile, et dictus dominus Johannes et quilibet eorum facient et curent ita et taliter cum effectu infra duas dies immediate sequentes post factam primam solutionem de predictis, quod omnes Unghari, et omnes alie gentes cum dicto domino Karolo existentes, debeant elevare campum, et de Comitatu et territorio Florentie exire; ita tamen quod illi ex ipsis, qui pro eundo alio vellent transire per territorium Florentinum, debeant et teneantur ire recto itinere per vias, que eis pro parte Communis Florentie assignabuntur continuatis dietis, et absque mora, non faciendo, nec inferendo damnum, et debite sol-

vendo pro rebus, quas acciperent; et pro parte dicti Communis, ipsis debeant pro debitis pretiis victualia expedientia ministrari. Et similiter intelligatur et observetur et observari debeat in territoriis et super territoriis colligatorum dicti Communis, per que transire vellent; ita etiam, quod si vellent transire per territorium alicuius ex dictis colligatis, ministrentur eis victualia necessaria pro pretio competenti; et ipsi debeant transire continuatis diebus et absque illatione damni, et accipiendo victualia pro pretiis debitis; et quod ipse gentes non debeant offendi per gentes Communis Florentie, vel dictorum colligatorum, transeundo, ut predisitur, et quod predicte gentes sic transeuntes non intelligantur fidem rumpere accipiendo commestibilia, que extra fortiliter invenerint. Et quod predicta omnia intelligantur bona fide et ad sensum intellectum.

(Jegyzői jegy.)

Ego Ristorus filius condam ser Jacobi, civis Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus predictis omnibus et singulis dum agerentur interfui, et ea omnia et singula suprascripta rogatus rogavi et imbreviari, et ad presens aliis negotiis occupatus, predicta omnia et singula suprascripta complenda et publicanda commisi infrascripto ser Antonio Magistri Petri Notario, et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy.)

Ego Antonius filius condam Magistri Petri de Florentia Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Judex Ordinarius, predicta omnia et singula mea propria manu scripta et rogata et imbreviata per suprascriptum ser Ristorum ser Jacobi ex eiusdem ser Ristori rogatione et imbreviatura, vigore commissionis per dictum ser Ristorum mihi facte, ut supra patet, fideliter

scripsi, et ea complevi, et in hanc publicam formam redegi, ideoque me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Eredetie bőrhártyán, a florenczi nagy levéltárban »Sezione delle Riformagioni, Atti publici vol. VIII. Carte di Napoli« XVI. sz. a.)

183.

Uyyanazon tárgyról más okmány. 1380.

In Dei nomine Amen. Anno ab eius Incarnatione MCCCLXXX. indictione IIII. tempore domini Urbani Divina providentia Pape Sexti die VIIII. mensis Octubris. Actum in villa Strove Senensis Comitatus in domo perfuntorie habitationis sive allogiamenti infrascripti Principis domini Karoli de Duratio, cui domui via est a tribus lateribus et alio latere; presentibus domino Guilglelmo Episcopo Jauriensi, Marsilio de Gonfaloneriis de Briscia, ser Ristoro ser Jacobi Notario Florentino, et quampluribus aliis testibus ad hec infrascripta vocatis et rogatis. Cum hoc sit, quod hodie nono mensis predicti Nobiles Milites dominus Rossus Ricciardi de Riccis et dominus Bittinus domini Covonis de Covonibus, et prudentes civi Jacobus Michelis del Rosso, et Silvester Johannis Cortenuova cives honorabiles Florentini, Ambaxiatores et sindici Communis Florentie requisiti parte Serenissimi Principis Domini domini Ludovici Dei gratia Regis Ungarie, promiserunt Magnifico viro domino Johanni Bano Machoviensi Capitaneo Generali dicti domini Regis gentis Ungarorum ad presens in Italia cum dicto domino Johanne existenti, presenti, et recipienti vice et nomine dicti domini Regis mutuare ei, quod ex causa mutui dictum Commune Florentie dabit aut dari faciet infra duos menses proxime secuturos dicto domino Regi seu habenti mandatum a dicto domino Rege quadraginta milia florenorum auri currentium, et ut currunt Florentie inter mercatores Florentie in istis terminis et partibus, videlicet mediatatem ipsius quantitatis infra sex dies a die dicte facte promissionis in campo Ungarorum, aut in Castro Stagie aut in Castro Podii Bonitii, et aliam medietatem in duobus terminis, videlicet decem milia infra unum mensem, et flore-

norum decem milia infra duos menses predictos a die facte promissionis, cum pactis, promissionibus, modis et tenoribus in instrumento dicte promissionis contentis, de quo constat per instrumentum inde rogatum per ser Ristorum ser Jacobi Notarium Florentinum, et quod non obstantibus dictis terminis seu pactis, in instrumento dicte promissionis contentis, intentionis dicti domini Bani fuit et est, ut et tamquam procurator procuratorio nomine dicti domini Regis ire ad dictum Castrum Podii Bonitii, et ibi a dictis Sindicis et Ambaxiatoribus recipere et confiteri, si a dictis Ambaxiatoribus et Sindicis videbitur, totam dictam quantitatem florenorum quadraginta milium auri, et de ea se dicto nomine vocare bene contentum, tacitum, pacatum; et obligare dictum dominum Regem, et se ipsum dominum Johannem, et quemlibet eorum in solidum ad restituendum dicto Communi Florentie dictam quantitatem florenorum quadraginta milium auri, modo et forma, et prout et sicut dictus dominus Johannes facere promisit in dicto instrumento dicte promissionis inde rogato per suprascriptum ser Ristorum ser Jacobi Notarii animo et intentione, et ad hunc finem et effectum, quod ipse dominus Johannes Banus intendit recipere die crastina a dictis Ambaxiatoribus et Sindicis in dicto castro Podii Bonitii florenorum viginti milia auri de dicta quantitate florenorum quadraginta milium auri, de qua quantitate florenorum quadraginta milium auri per dictum dominum Johannem recipienda intendit dare, et est contentus, et omnino vult ipse dominus Johannes, et ipsius domini Johannis est intentionis alios florenos viginti milia auri, quos recipere debebat in duabus paghis ultimis, ut supra dictum est, videlicet infra unum mensem proxime futurum alia florenorum auri decem millia relinquere dicto Communi Florentie seu dictis Ambaxiatoribus et Sindicis nomine dicti Communis recipientibus ad hunc finem et effectum, et ut dictum Commune Florentie, seu alius pro dicto Communi contentet, concordet et contentum faciat per solutionem vel promissionem vel per alium modum stb. nobilem virum dominum Balthasarum de Spinolis de Janua de florenorum decem milibus auri. Unde hodie hac presenti suprascripta die nona mensis Octubris, prefatus Magnificus vir dominus Johannes Ba-

nus Capitaneus predictus constitutus in presentia mei Pauli Notarii infrascripti et testium infrascriptorum, declarando in predictis veritatem, et pro tutela, securitate et cautela tam dicti Principis et Domini domini Karoli, quam dicti domini Balthasari, quam, etiam dicti Communis Florentie et dictorum Sindicorum et Ambaxiatorum et cuiuslibet ipsorum omni modo, via et iure, causa et forma, quibus melius potuit, dicit et declaravit per presens publicum instrumentum omnia predicta fuisse et esse vera, et quod ipse dominus Johannes vult et fuit et est contentus, quod dictum Commune Florentie, seu alius pro dicto Communi de dictis florenis viginti milibus, qui, ut predicitur, secundum intentionem dicti domini Johannis sunt per ipsum dimictendi penes dictos Ambaxiatores et Sindicos post receptionem et confessionem per eum faciendam solvat et solvere possit et debeat supradicto domino Karolo predictam quantitatem florenorum decem millium auri infra duos menses proxime venturos, seu ipsum dominum Karolum contentet et contentum faciat de dicta quantitate florenorum decem milium per instrumentum vel litteras, vel per alium modum, et fuit et est contentus et vult dictus dominus Johannes, quod dictum Commune Florentie, seu alius pro dicto Communi solvat et solvere possit et debeat supradicto domino Balthasaro infra unum mensem proxime venturum dicta alia florenorum decem milia, de quibus supra fit mentio, seu dictum dominum Balthasarum infra dictum tempus unius mensis contentum faciat de dictis florenis decem milibus auri per instrumentum vel per litteras, vel per alium modum. Et ex nunc ad cautelam dictus dominus Johannes in casu quo dictus dominus Karolus receperit, seu contentus fuerit a dicto Communi Florentie de dictis florenis decem millibus auri solvendis infra duos menses, ut supra dictum est; et dictus dominus Balthasar receperit seu contentus fuerit a dicto Communi Florentie de dictis florenis decem millibus auri solvendis infra unum mensem, ut supradictum est, fecit michi Paulo Notario infrascripto ut publice persone recipienti pro dicto Communi Florentie, et pro dictis Ambaxiatoribus et Sindicis finem, remissionem, quietatem, liberationem et pactum de ulterius aliquid non petendo de dictis quantitatibus florenorum auri sol-

vendorum dicto domino Karolo et domino Balthasaro, ut supra dictum est, de dicta quantitate florenorum auri quadraginta milium, seu relinquendorum penes dictos Ambdxiatores et Sindicos, ut supra dictum est. Insuper voluit dictus dominus Johannes, quod Commune Florentie possit et debeat per suas literas, seu per alium quemcunque modum promittere dictam quantitatem decem milium florenorum auri solvendorum eidem domino Karolo seu alii pro dicto domino Karolo recipienti infra duos menses, ut supra dictum est. Qua promissione seu cautione facta, seu occasione predicta directis literis ipsius Communis dicto domino Karolo seu alii pro dicto domino Karolo recipienti, et dicto domino Balthasaro, seu alii pro dicto domino Balthasaro recipienti promisit dictus dominus Johannes Banus et Capitaneus supradictus michi Paulo Notario infrascripto nichil ulterius petere de dicta quantitate florenorum quadraginta milium auri facta confessione per dictum dominum Johannem, ut supra dictum est, et dictam voluntatem et intentionem dicti domini Johannis non mutare nec removere promisit, et voluit et contentus fuit, quod non obstante tali revocatione seu voluntatis mutatione ipsi Communi liceat quod, ut prefertur, promiserit, seu per suas litteras scripserit adimplere. Que omnia et singula suprascripta stipulatione solemni promisit et convenit dictus dominus Johannes michi Paulo Notario infrascripto, ut dictum est, stipulanti et recipienti firma et rata habere, tenere, et observare, et contra non facere vel venire aliqua ratione, iure, modo vel causa, sub ypotheca et obligatione sui suorumque heredum et bonorum omnium mobilium et immobilium, presentium et futurorum. Renuntians in predictis dictus dominus Johannes omnibus et singulis exceptionibus et beneficiis contra predicta vel aliquod predictorum quomodolibet facientibus vel competentibus, rogans me Paulum infrascriptum, quod de predictis publicum conficerem instrumentum.

(Jegyzői jegy.) Et ego Paulus Poncelli de Cerreto Publicus Imperiali autoritate Notarius, et nunc Notarius et Secretarius memorati Principis domini Karoli, predictis omnibus et singulis interfui,

et ea rogatus scribere scripsi et publicavi, meumque signum apposui consuetum.

(Eredetie bőrhártyán, a florenczi nagy levéltárában »Sezione della Riformagioni, Atti publici« vol. VIII. Carte de Napoli XVII. sz. a.)

184.

János macsói bán a florenczi köztársaságnak 40,000 aranyforintnyi kölcsönről kötelezvényt ad közhitelű formában. 1380.

In Dey nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnacione millesimo trecentesimo octuagesimo indiccione quarta secundum cursum et consuetudinem Notariorum Civitatis Florencie die decimo mensis Octubris tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri domini Urbani Diuina prouidente clemencia Pape Sexti. Actum in castro Podiobonizi Comitatus Florencie, presentibus testibus ad hec vocatis, videlicet providis et circumspectis viris domino Johanne Haued Milite et Generali Capitaneo Guerre Communis Florencie, et Gherardo Rossi de Gianfiglazis honorabili Potestate dicti Castri Podiobonizi, et ser Andrea Francisci Notario de Radda Comitatus Florencie et ser Michele ser Francisci de Podoboizi predicto, et Nicolao Johannis Jure de Florencia.

Prenominatus Magnificus vir dominus Johannes Banus Machouiensis Capitaneus gentis Ungharorum cum ipso domino Johanne existencium, procurator et procuratorio nomine Serenisimi Principis et Domini domini Lodouici Dey gracia Regis Ungharie, de qua procura et mandato constare vidi et legi in litteris et per litteras patentes dicti domini Regis, sigillatas ipsius domini Regis sigillo, et scriptas die secundo mensis Junii proxime preteriti anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo, indiccione tercia; quarum quidem litterarum tenor talis est in effectu, videlicet:

Nos Lodouicus stb. (következik I. Lajos magyar és lengyel királynak 1380. junius 2-ki meghatalmazványa, mint fentebb 162. sz. a.)

Omni modo, via et iure, quibus melius protuit procuratorio' nemine quo supra, habuit et recepit in presencia mei

Notarij infrascripti et testium suprascriptorum mutuo et ex causa veri, puri et gratuiti mutui, a Nobilibus et Egregijs Militibus domino Rosso Ricciardi de Riccis, et domino Bectino domini Covonis de Covonibus, et a prudentibus viris Jacobo Michelis del Rosso, et Silvestro Johannis Cortenuova ciuibus honorabilibus Florentinis, Sindicis et Ambaxiatoribus Communis Florencie sindicario nomine dicti Communis, et ipsius Communis vice et nomine, et pro dicto Communi mutuante, et de ipsius Communis propriis florenis et pecuniis in pluribus marsupiis et sachulis et pecunia numerata existente florenous quadraginta milia auri currentis, et prout currunt Florencie inter mercatores Florentinos; de quorum quidem dominorum Rossi et Bectini, nec non et Jacobi et Silvestri sindicatu et mandato constat per instrumentum inde confectum per me Ristorum Notarium infrascriptum dictis anno, indiccione, et die septimo dicti mensis Octubris, et quos florenos quadraginta milia dictum Commune Florencie et seu dicti Ambaxiatores et Sindici nomine dicti Communis mutuare promiserunt dictis domino Regi et seu eius mandatum habenti infra duos menses in tribus terminis et paghis, ut continetur in instrumento inde heri rogato per me Ristorum Notarium infrascriptum, et de quibus florenis quadraginta milibus auri sic habitis et receptis, ut superius continetur, et mutuari promissis, ut supra dictum est, dictus dominus Johannes procurator et procuratorio nomine dicti domini Regis, nec non eciam suo proprio et privato nomine se obligando, dictus dominus Johannes, et quolibet dictorum nominum in solidum et in totum se obligando pro infrascriptis omnibus et singulis observandis, stipulacione solempni promisit et convenit dictis Sindicis et Ambaxiatoribus presentibus et stipulantibus et recipientibus nominibus antedictis, se facturum et curaturum, et quod faciet et curabit ita et taliter cum efiectu infra unum annum proxime secuturum, quod Sanctissimus in Christo Pater et Dominus dominus Urbanus Diuina prouidencia Papa Sextus, vel eius successor cumputabit et pro receptum habebit in totum vel in partem infra dictum tempus in quantitate et summa, quam dicitur dictum Commune Florencie debere ipsi domino Pape et Sancte Romane Ecclesie occasione pacis

hactenus contracte inter ipsum dominum Papam et Commune predictum, et quod illam quantitatem seu partem ex quantitatibus antedictis, quam dictus dominus Papa vel eius successor non computabit et pro recepta non habebit, et de qua usque ad concurrentem quantitatem cum quantitate soluta, non absolvet et quietabit Commune predictum infra terminum unius anni, dictus dominus Rex restituet aut restitui faciet dicto Communi in dicta Ciuitate Florencie intra quinque annos proxime secuturos a die presentis contractus, et dictam solucionem dictarum quantitatum florenorum quadraginta milium auri, et seu illius partis dicte quantitatis, que per dictum dominum Papam non computaretur et pro recepta non haberetur, ut supradictum est, facere promisit ditus dominus Johannes dictis nominibus in Civitate Florencie, ut supradictum est. Quam solucionem si non faceret infra dictum terminum quinque annorum in dicta Civitate Florencie, ut supradictum est facere promisit Florencie, Pisis, Senis, Perusii, Rome, Avinione, et in quacunque alia ciuitate, terra, vel loco, et sub quocumque Judice Ecclesiastico vel seculari, dictum Commune Florencie et vel habens mandatum vel jus ab eo, dictos dominum Regem et dominum Johannem, et quemlibet et seu alterum eorum invenerit, et convenire voluerit in persona vel bonis, fori privilegio non obstante, et solucionem vel absolucionem aut termini mutacionem vel prorogacionem dictus Johannes dictis nominibus promisit non probare, nisi per presens instrumentum in publicam formam dictis domino Regi et domino Johanni et seu alteri eorum restitutum, damnatum et cancellatam per dictum Commune Florencie vel eius mandatarium, vel habentem ius ab eo, et seu per publicum istrumentum finis et liberacionis dicti debiti manu Publici et legalis Notarij conficiendum. Que omnia et singula suprascripta stipulacione solemni promisit et convenit dictus dominus Johanes suo proprio et privato nomine, et procura et procuratorio nomine dicti domini Regis et quolibet dictorum nominum in solidum se obligando, prefatis Sindicis et Ambaxiatoribus presentibus stipulantibus et recipientibus, modis et nominibus quibus supradictum est, firmum et ratum habere, observare et adimplere, et centra non facere vel venire per se vel alium aut alios aliqua racione, jure, modo vel causa

de iure vel de facto, sub pena et ad penam dupli dicte quantitatis florenorum quadraginta milium auri, stipulacione solemni premissa per dictum dominum Johannem dictis nominibus et legiptime stipulata per dictos Ambaxiatores et Sindicos dictis modis et nominibus in singulis capitulis huius contractus in solidum; que pena tociens commictatur, et peti et exigi possit cum effectu, quociens contrafactum fuerit aut in aliquo contraventum, et qua pena commissa vel non et soluta, exacta vel non, nichilominus predicta et infrascripta omnia et singula firma et rata maneant et perdurent. Pro quibus omnibus et singulis observandis, firmis tenendis et complendis, et pro dicta pena solvenda, si commissa fuerit, obligavit dictus dominus Johannes dictis Ambaxiatoribus et Sindicis, nominibus quibus supra dictum est recipientibus, dominum Regem prefatum et se ipsum dominum Johannem, et quemlibet eorum in solidum et in totum, et eorum et cuiuslibet eorum in solidum et in totum heredes et bona omnia et singula mobilia et immobilia, presencia et futura. Que bona obligata dictus dominus Johannes, modis et nominibus, quibus supra dictum est, se obligando constituit precario nomine pro dictis Sindicis et Ambaxiatoribus dictis nominibus tenere et possidere; renunciando dictus dominus Johannes modis et nominibus antedictis, in predictis omnibus et singulis excepcioni et beneficio non numerate, et non solute, et non habite, et non recepte dicte quantitatis florenorum quadraginta milium auri, nove et novarum constitucionum de fideiussoribus et de pluris reis debendo, Epistole Divi Adriani, fori priuilegio, excepcioni doli mali, condiccioni sine causa et ex iniusta causa, in factum accioni, et omni alii auxilio et beneficio, et legi et juridicenti generalem renunciacionem non valere. Et iuravit eciam dictus dominus Johannes dictis nominibus et quolibet dictorum nominum ad Sancta Dei Evangelia corporaliter manu tactis scripturis, predicta omnia a singula actendere, facere et observare, et contra non facere vel venire aliqua racione, iure, modo vel causa, de iure vel de facto. Cui quidem domino Johanni modis et nominibus, quibus supra dictum est, presenti, volenti et predicta omnia confitenti precepi ego Ristorus Notarius infrascriptus per guarentigiam

nomine juramenti, prout michi licuit et licet ex forma capituli statuti Communis Florencie de guarentigia loquente, quatenus predicta omnia et singula actendat, faciat et observet in omnibus et per omnia, ut supra promisit. Rogantes me Ristorum Notarium infrascriptum, quod de predictis omnibus publicum coficerem instrumentum.

(Jegyzői jegy.)

Ego Ristorus filius condam ser Jacobi, ciuis Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predictis omnibus et singulis suprascriptis, dum agerentur interfui, et ea omnia et singula suprascripta rogatus rogavi et imbreviavi, et ad presens aliis negociis occupatus predicta omnia et singula suprascripta complenda et publicanda commisi infrascripto ser Antonio Magistri Petri Notario Publico, et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy).

Ego Antonius filius condam Magistri Petri de Florencia, Publicus Imperiali Auctoritate Notarius et Judex Ordinarius, predicta omnia et singula mea propria manu scripta, rogata et imbreviata per supsascriptum ser Ristorum ser Jacobi Notarium ex eiusdem ser Ristori rogacionibus et imbreviaturis vigore commissionis per eum mihi facte, ut supra patet, fideliter sumpsi et complendo publicavi, et in hanc publicam formam redegi; ideoque me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Eredetie bőrhártyán az »Atti publici di Napoli« közt VIII. köt. XX. sz. a; a florenczi nagy levéltárban.)

185.

János mocsói bán és az Olaszországban harczoló magyar seregnek vezérei kötelezik magukat, hogy Florencz, Bologna, Perugia, Pisa, Siena és Lucca városokat, és azoknak birtokát háborgatni nem fogják. 1380.

In Dey nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnatione millesimo trecentessimo octuagesimo, indiccione quarta secundum cursum et consuetudinem Notariorum Ciuitatis Florencie die decimo mensis Octobris; tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri domini Urbani Diuina prouidente clemencia Pape Sexti. Actum in burgho et villa Calcinarie Communis Podiobonizi Comitatus Florencie, in campo gentis Ungharorum, et Magnifici viri domini Johannis Bani Machouiensis, Generalis Capitanei gentis Serenissimi Principis et Domini domini Ludovici Dei gracia Regis Ungharie cum ipso domino Capitaneo ad presens in Ytalia existentis, in domo residencie domini Franchi Caporalis infrascripti, presentibus testibus ad hec vocatis et habitis, videlicet domino Baldassare de Spinolis de Janua, et domino Johanne Jurisperito domini Herrighi de Regio, et ser Ligho Francisci de Loro Notario Florentino et aliis.

Magnificus vir dominus Johannes Banus Machoviensis Capitaneus Ungharorum antedictus, Ladislaus et Lanceloctus Bebech Seneschalli dictorum Ungharorum, et Ladislaus frater carnalis dicti domini Johannis Capitanei predicti, et dominus Franchus, dominus Johannes Petoni, dominus Georgius de Edrouar, dominus Nicolaus de Ghuse, dominus Nicolaus Zus, dominus Nicolaus Subegne Kun, dominus Lucas Zun, dominus Paulus de Purachox, dominus Ladislaus Dani, dominus Ladislaus Valachus, dominus Archa Miles, dominus Johannes Aynardi, dominus Stefanus Conpot, et dominus Johannes Simonis Bani, quindecim ex maioribus Caporalibus et Conductoribus supradictorum Ungharorum, et quilibet dictorum domini Capitanei, Seneschallorum et Caporalium pro se ipsis et pro omnibus aliis Ungharis supradictis cum eis existentibus, constituti in presencia mei Ristori Notarii infrascripti et testium predictorum,

nec non in presencia supradictorum Ambaxiatorum et Sindicorum dicti Populi et Communis Florentie. Scientes se ad infrascripta non teneri, sed teneri volentes et efficaciter obligari, certificati eciam prius legiptime per Andream Ghiorde de Capronza de Ungharia familiarem dicti domini Regis Ungharie, et per Franciscum Dentiz de Neapoli, interpretes et scientes linguam Ungharorum, de infrascriptis omnibus et singulis, quod sint et quod dicant, et in quo et quanto se obligent dicti dominus Capitaneus, Seneschalli et Caporales, et certificati eciam dicti Seneschalli et Caporales per dictum dominum Johannem Banum eorum Capitaneum sermone Ungharorum de dictis infrascriptis omnibus, et legiptime et solemniter per me Notarium infrascriptum interrogati, per dictos interpretes in lingua et sermone dictorum Ungharorum, si volebebant facere omnia infrascripta, et habita responsione a dictis domino Johanne Capitaneo, Seneschallis et Caporalibus per responsionem pro eis factam per dictos interpretes sermone Florentino; qui interpretes responderunt pro dictis domino Capitaneo, Seneschallis et Caporalibus, ipsos dominum Capitaneum, Seneschallos et Caporales infrascripta omnia facere et facere velle; et similiter eciam dictus dominus Capitaneus licterali sermone pro se et dictis Seneschallis et Caporalibus dixit et respondit facere et facere velle infrascripta omnia. Et facta dicta interrogacione et responsione a dicto domino Johanne et dictis interpretibus, et per ipsum dominum Johannem et dictos interpretes nominibus antedictis omni modo, via et iure, quibus melius potuerunt, prenominati dominus Capitaneus, Seneschalli et Caporales pro se ipsis et nominibus quibus supra dictum est, stipulacione solemni promiserunt et conuenerunt, ac eciam iurauerunt ipsi et quilibet eorum corporaliter ad Sancta Dey Evangelia manu tactis scripturis, nobilibus viris domino Rosso Ricciardi de Riccis, et domino Bectino domini Cavoris de Cavoribus, et prudentibus viris Jacobo Michelis del Rosso, et Silvestro Johannis Cortenuova ciuibus honorabilibus Florentinis, Ambaxiatoribus et Sindicis Communis Florencie, de quorum sindicatu et mandato constat per instrumentum scriptum manu mei Ristori Notarij infrascripti, anno, indiccione et die septimo dicti mensis Octobris, presentibus

stipulantibus et recipientibus pro dicto Communi Florencie et ipsius Communis colligatis, et ipsius Communis et dictorum colligatorum, et cuiuslibet eorum vice et nomine, et vice et nomine omnium et singulorum aliorum, quorum interest vel interesse posset, quod predicti Capitaneus, Seneschalli, Caporales et Conductores, et gentes cum ipsis existentes, non offendent aut molestabunt ullo modo, et seu aliquo tempore, quo stabunt in partibus Ytalie pro isto viatico, videlicet antequam in Ungshariam reuertantur, Commune Florencie, aut Communia Bonnonie, Perusii, Pisarum, Senarum et Lucanum, eius colligatos, et seu dicti Communis Florencie, et colligatorum, vel alicuius eorum ciues, subditos, vassallos, censuarios, Ciuitates, terras, territoria, Comitatus et districtus, et ciuitates, terras et loca, que per dictum Commune et colligatos vel aliquem ipsorum ad presens tenentur, vel in quibus habent ipsi vel aliquis ipsorum preheminenciam vel custodiam, nec in dictis Communitatibus, territoriis vel districtibus venient vel intrabunt sine beneplacito et voluntate dominorum Priorum et Vexilliferi Justicie Populi et Communis Florencie quoad Commune Florencie et eius terras et territoria, firmis tamen manentibus pactis pro dictis Ungharis factis per supradictum dominum Johannem eorum Capitaneum cum supradictis Ambaxiatoribus et Sindicis nominibus quibus supra, de quibus constat publice per instrumentum inde per me Ristorum Notarium infrascriptum heri rogatum. Et ad corroboracionem predictorum et maiorem cautelam supradicti dominus Capitaneus et Seneschalli presens instrumentum sigillari fecerunt ipsi et quilibet eorum et cuiuslibet eorum propriis sigillis, prout infra in fine presentis instrumenti apparet. Et quod dicti Caporales dixerunt, se non habere sigilla propria, contenti fuerunt, quod dicta sigilla intelligantur apposita pro dictis Caporalibus et quolibet eorum, et haberentur et essent, ac si essent propria sigilla dictorum Caporalium et cuiuslibet eorum. Rogantes me Ristorum Notarium infrascriptum, quod de prescriptis omnibus publicum conficerem instrumentum.

Ego Ristorus filius condam ser Jacobi, Civis Florentinus Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius

(Jegyzői jegy.)

Publicus predictis omnibus et singulis, dum agerentur, interfui, et ea omnia et singula suprascripta rogatus rogavi et imbreviavi, et ad presens aliis negociis occupatus, predicta omnia et singula suprascripta, complenda et publicanda commisi infrascripto ser Antonio Magistri Petri Notario Publico, e ideo me subscripsi, et signum meum apposui consuetum.

Ego Antonius filius condam Magistri Petri de Florentia, Publicus Imperiali auctoritate Notarius ex Judex Ordinarius, predicta omnia ex singula mea propria manu scripta et rogata et imbreviata per suprascriptum ser Ristorum ser Jacobi, Notarium, ex eiusdem rogacionibus et imbreviaturis vigore commissionis per dictum ser Ristorum michi facte, ut supra patet, fideliter sumpsi et complevi et publicavi, in hancque publicam formam redegi, ideoque me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy.)

(Eredetie bőrhártyán az »Atti publici di Napoli közt« VIII. köt XIX. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

186.

I. Johanna siciliai királynénak a florenczi köztársaság. 1380.

Regine Jerusalem.

Serenissima Regina, singularissima mater et Domina nostra. Ne fama loquax possit clementiam Vestram de his que a nobis cum Clarissimo Principe domino Karolo de Dyrachio facta sunt, sicut solet, mendaciter informare, nostra decrevit humilitas ea omnia Sublimitati Vestre, secundum gestorum seriem declarare. Scimus enim, et una cum his cognos-

cat Vestra Gloriosissima Celsitudo, omnes Principis antefati processus in Tuscia, quoque in statu res undique remanserunt, et nostre vere devotionis habitum non ignoret. Scimus enim, Illustrissima Regina, quam avide soleant publica vulgi desipientis alloquia pervertere veritatem, quantumque de ipsius integritate detrahere, et cum uno veritatis articulo quot plerumque mendacia cumulentur. Et ob id cuncta, que scribimus, diligenter attendat Excellentia Reginalis, ut una cum etc. (igy) Credimus enim ad Celsitudinis Vestre notitiam pervenisse, quomodo recepto sub protectione sua Regimine Civitatis Eugubii dominus Karolus antedictus, cum suarum gentium comitatu, et exercitu Regio, sue profectionis omisso negocio, cum putaretur ab omnibus ad urbem accedere, vel in Regnum, ad Civitatem Aretii retrocessit, et die quartadecima mensis Septembris proxime elapsi Aretinam urbem, civili dissidio conquassatam ingressus, ipsam in deditionem accepit. Cumque fuerit cunctis introitus ille pacificus et multis letus, tantum Oratoribus nostris, quorum unus fuit crudelissime trucidatus, et nobis ipsis se prebuit lacrimabilem et infaustum. Sed hec omittamus. Recepta igitur Civitate predicta sub specie belli, contra rebelles Aretinorum et exiticios inferendi, territorium nostrum invaditur, et nisi fuisset gentium nostrarum obiectio, bellum quod in limite nostrorum finium, et in Vallis Ambre partibus gestum est, usque ad Civitatis nostre januas processisset. Frustra itaque illinc aditu procurato, in fines Senensium totus exercitus se convertit, et demum afflictis Senensibus idem Princeps, iuxta Staggiam et Podibonigum insignia oppida nostra, cum omnibus gentium suarum copiis castra ponit. Nostre autem gentes et hinc occupatis montium tumulis, qui poterant hostibus esse presidio, quamvis impar esset potentia, tam viriliter, qnam feliciter restiterunt in castra, que expugnatione tentabantur, intrantes, et quocunque gens illa pergeret, occurrentes, multisque tumultuariis congressibus, sicuti in discursorio bello consuevit, non sine hostium damno confectis, postquam viderunt, se non posse sine cede et sanguine in nostris finibus debaccari, tunc demum cepta sunt concordie vera colloquia, que ante id tempus multa fuerant tergiversatione distracta. Et omissa liga, quam a nobis contra

Majestatis Vestre Celsitudinem postulabat, omissaque petitione totius pecunie, quam occasione pacis ad solvendum Apostolice Camere dicimur obligati, et nostrorum rebellium patrocinio derelicto, cepit de melioris pacis conditionibus agitari. Et ne singula repetamus, neve referamus quanta in ipsis, etiam in uno momento mutatio sepe fuerit; postquam nos viderunt viriliter ad bellum accinctos, conspexeruntque dato passu pacifice transire volentibus, multos ex Ungaris discedere, multosque fore de proximo recessuros, demum die X. presentis mensis facte sunt promissiones hinc inde pro nobis et colligatis nostris ab omnibus offensionibus abstinendi, repellendi bannitos nostros, ipsosque nec in campo, nec in terris ulterius receptandi. Nos autem Magnifico Domino domino Johanni Bano recipienti pro Majestate Domini Nostri Regis Ungarie, qui ad hoc solemne madatum habebat, promisimus mutuare quadraginta milium florenorum, medietatem videlicet de presenti, et ad duos menses proximos aliam medietatem. De quo quidem mutuo faciendo nunquam devotio nostra consensit, nisi postquam certi fuimus, Ungaros nec ad Urbem, nec in Regnum, sed ad partes alias profecturos. Revertitur itaque dominus Karolus prefatus Aretium cum quatuor centum lancearum vel circa, satis invalido comitatu, et Ungari per nostrum territorium ad servitia Januensium transferuntur. Itaque non oportet Serenitatem Vestram contra gentium istarum adventum potentiam vestrarum gentium preparare. Nostra quidem resistentia, nostrisque sumptibus factum est, etiam non sine magno nostri status periculo, nonque sine inextimabili territorii nostri damno, quod pene iam ad mensem impetum substinuit tanti belli, totque gentium milibus fuit in predam, ut gens ista, sicut premittitur, dividatur, et mutato in Regnum proficiscendi proposito, ad alia gerenda, dimissa offensione Vestri Culminis convertatur. Habetis, Serenissima Regina, totius huius negocii veritatem; cuius serie, inter cetera, potest Circumspectio Vestra percipere, quanta constantia perseveravit nostra devotio, ne in Vestre Majestatis offensam aliquid consentiret. Ut certissime fatendum sit, iuxta sapientum sententiam: Que naturaliter insunt, nullis artibus posse, nullaque violentia removeri, Ceterum, Gloriosissima Regina, nunc tempus est in hoc

favore fortune, in hac hostis vestri confusione, de pace tractare. Nam si malefida fortuna, sicut solet, mutaret vultum, de candida verteretur in nigram; ab inflatis superbia spiritibus, etiam in levi prosperitate successuum, aut nulla pax aut nonnisi duris posset conditionibus reperiri. Nichil enim eventu bellorum incertius, nichil ipso bello periculosius; nec unquam despicienda est hostis impotentia, cum victoria non sit in manibus bellatorum. E contra vero nichil pace firmius, nichil tranquillitate securius. Si pax fiat, minuentur sumptus, extinguentur odia, tollentur suspiciones, que nunc non dicamus bello, sed sola expectatione belli, intolerabiliter imminent, perniciose crescunt, et cogitationibus vanis surgunt. Et ob id, sicut pluries alias scripsimus, si quid nobis consiliosissimum esse videtur, decreveritis de pace tractandum, et in hoc putet Vestra Sublimitas, nostram devotionem efficaciter posse, vel fideliter velle, totis viribus operari; dignetur Vestra Majestas cum benignitate rescribere. Libentissime quidem in hoc nostra fidelitas legatione solemnissima se interponet. Serenitati Vestre, quam omnium rerum Opifex dirigere dignetur in terris, ita quod felicitati seculi, cumuletur felicitas Paradisi, nos et nostrum Commune devotis affectibus commendamus. Data Florentie die XII. Octobris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. osztály XIX. kötegében 58. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

— · —

187.

Károly durazzoi herczegnek a florenczi köztársaság. 1380.

Clarissimo Principi domino Karolo de Dyrachio benefactori nostro singularissimo.

Clarissime Princeps. Sequentes voluntatem ac deliberationem Magnifici Domini domini Johannis Bani Machoviensis pro gloriosissima Majestate domini Regis Ungarie Generalis Capitaney Ungarorum ad presens in Italia militantium declaratam per publicum instrumentum, manu ser Pauli Poncelli de Cerreto Notarii Publici, tenore presentium Excellentie Vestre promittimus et cavemus solvere cuicunque solemne ves-

trum mandatum habenti, recipienti pro vobis decem millia florenorum auri currentium inter mercatores Florentinos de summa et quantitate viginti milium florenorum, qui apud Oratores nostros de prefati domini Johannis Bani ordinatione, voluntate atque beneplacito remanserunt. Quam quantitatem solvere promittimus in civitate Florentie de florenis currentibus inter mercatores Florentinos, hinc ad decimam diem mensis Decembris proxime secuturi per totam diem; dummodo, sicut speramus, promissa per Sublimitatem Vestram nostris Oratoribus atque Sindicis plenissime et realiter observentur. In cuius rei testimonium has nostras litteras scribi fecimus, et sigillorum nostri Communis impressionibus communiri. Datum Florentie die XVI. Octobris IIII. indictione MCCCLXXX.

Priores Artium et Vexillifer Justici Pupuli et Communis Florentie.

Habuit Procurator dicti domini Karoli a Communi Florentie dicta decem millia florenorum die XXI. Decembris dicti anni, velut patet per instrumentum rogatum manu mei Viviani Neri, Scribe Reformationum dicti Communis; et tunc dictus Procurator restituit istas litteras.

(Eredetie papiron, az »Atti pubblici di Napoli« VIII. kötetében 22 sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

188.

A florenczi köztársaságnak Károly durazzoi herczeg. 1380.

Viri Magnifici, amici nostri carissimi. Quod illa quinque milia florenorum auri, que nobis Oratores vestri specialiter promiserunt, solvi faciatis nobili viro Leonello de Vivaldis de Janua Florentie commoranti, recipienti nostro nomine contentamur. De qua quantitate postquam eidem illam faciatis assignari usque in summam, de qua solutio facta fuerit; ex nunc prout ex tunc in dicto casu vos et Commune Vestrum tenore presentis absolvimus et plenissime liberamus. Amicitiam Vestram ex corde precantes, et pro nostro singulari placito requirentes, quatenus decem mil-

lia florenorum auri de ultima paga restantium, sicut iidem Oratores vestri vestro nomine promiserunt et in se sumpserunt, quanto citius et commodius poteritis, solvi facere porcuretis. In cuius rei testimonium has nostras litteras Circumspectioni Vestre tradendas scribi fecimus, et nostri consueti sigilli munimine roborari : Datum in nostra Civitate Aretii die XVI. mensis Ottobris MCCCLXX.

Kivül : Magnificis et potentibus viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Communis et Populi Civitatis Florentie, amicis nostris karissimis.

De dicta summa fuerunt soluti dicto domino Leonello de dicto mense Octobris florenorum MMV^{C} auri, et postea die XXI. Decembris dicti anni fuerunt soluti domino Johanni de Regio florenorum MMV^{C} ut procurator domini Karoli presentis et consentientis domino Leonello ut per manum ser Viviani Nerij Notarii Reformationum.

(Eredetie az »Atti publici di Napoli« közt VIII. közt 23. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

189.

A florenczi köztársaság kötelezi magát, hogy I. Lajos magyar és lengyel királynak 40,000 aranyforintot fog kölcsönözni. 1380.

In Dei nomine Amen. Anno ab eiusdem Incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo indictione quarta, secundum cursum, ritum, morem et consuetudinem Notariorum Civitatis Florentie; tempore Sanctissimi in Christo Patris et Domini, domini Urbani Divina providente Clementia Pape Sexti, die vero decimo nono mensis Octubris. Actum Florentie in palatio Populi et Communis Florentie, in quo Priores Artium e Vexillifer Justitie Populi et Communis Florentie residentiam trahunt; presentibus testibus ad hec vocatis habitisque, rogatis nobili et potente Milite domino Benedicto, Nerozi de Albertis populi Sancti Jachopi inter foveas de Florentia, et Bartolo Usimbardi populi Sancti Remigii de Florentia, et aliis quamplurimis.

Certum est, quod de anuo presenti millsimo trecentesimo octuagesimo indictione quarta, die nona presentis mensis Octubris Nobiles Milites dominus Rossus Ricciardi de Riccis, et dominus Bectinus domini Covonis de Covonibus, et prudentes viri Jachopus Michelis del Rosso, et Silvester Johannis Cortenuova cives honorabiles Florentini, Ambaxiatores et Sindici Communis Florentie, requisiti parte Serenissimi Principis et Domini domini Lodovici Dei gratia Regis Ungarie, promiserunt Magnifico viro domino Johanni Bano Machoviensi Capitaneo Generali dicti domini Regis gentis Ungarorum ad presens in Ytalia cum dicto domino Johanne existentis, presenti, stipulanti et recipienti vice et nomine dicti domini Regis mutuare, et quod ex causa mutui dictum Commune Florentie dabit aut dari faciet infra duos menses proxime secuturos dicto domino Regi, seu habenti mandatum a dicto domino Rege, quadraginta milia florenorum auri currentium, et ut currunt Florentie inter mercatores Florentie in istis terminis et partibus; videlicet medietatem ipsius quantitatis infra sex dies a die facte promissionis in campo Ungarum, aut in castro Stagie, aut in castro Podijbonitii, et aliam medietatem in duobus terminis, videlicet decem milia infra unum mensem, et florenos decem milia infra duos menses predictos a die dicte facte promissionis, cum pactis, promissionibus, modis et tenoribus in instrumento dicte promissionis contentis, de quo constat per instrumentum inde rogatum per ser Ristorum ser Jachopi Notarium Florentium. Et quod non obstantibus dictis terminis seu pactis in instrumento dicte promissionis contentis, intentionis dicti domini Johannis Bani fuit et est, ut et tamquam procurator et procuratorio nomine dicti domini Regis ire ad dictum castrum Podii Bonitii, et ibi a dictis Ambaxiatoribus et Sindicis recipere, et confiteri se recepisse a dictis Ambaxiatoribus et Sindicis, videlicet totam dictam quantitatem florenorum quadraginta milium auri, et de ea se dicto nomine vocari bene contentatum, tacitum et contentum et pagatum; et obligare dictum dominum Regem et se ipsum dominum Johannem, et quemlibet eorum in solidum, ad restituendum dicto Communi Florentie dictam quantitatem florenorum quadraginta milium auri modo et forma, et

prout et sicut dictus dominus Johannes facere promisit in dicto instrumento dicte promissionis inde rogate per suprascriptum ser Ristorum ser Jachopi Notarium, animo et intentione, et ad hunc finem et effectum, quod ipse dominus Johannes Banus intendit recipere die crastina a dictis Ambaxiatoribus et Sindicis in dicto Castro Podij Bonitii fiorenorum viginti milia auri de dicta quantitate florenorum quadraginta milium, de qua quantitate florenorum quadraginta milium auri per dictum dominum Johannem recipienda, intendit dare et est contentus, et omnino vult ipse dominus Johannes, et ipsius domini Johannis est intentionis alia florenorum viginti milia auri, quos recipere debeat in duabus paghis ultimis, ut supra dictum est, videlicet infra unum mensem proxime futurum florenorum auri decem milia, et infra duos menses proxime futuros alia florenorum auri decem milia relinquere dicto Communi Florentie seu dictis Ambaxiatoribus et Sindicis, nomine dicti Communis recipientibus ad hunc finem et effectum, et ut dictum Commune Florentie, seu alius pro dicto Communi contemptet, concordet, et contentum faciat per solutionem vel promissionem, vel per alium modum, Nobilem virum dominum Baldaxarem de Spinolis de Janua de florenorum decem milibus auri infra unum mensem proxime venturum, et concordet et contentet, et contentum faciat per promissionem vel per solutionem vel alium modum, supradictum Principem dominum Karolum infra duos menses proxime venturos de aliis florenorum decem milibus auri; et certum est etiam, quod post predicta, dicta die nona mensis Octubris, prefatus dominus Johannes Banus declarando in predictis veritatem, et pro tutela, securitate et cautela tam dicti domini Baldaxaris, quam etiam dicti Communis Florentie, et dictorum Sindicorum et Ambaxiatorum, per publicum instrumentum dixit et declaravit, omnia predicta esse vera, et quod ipse dominus Johannes volebat et intendebat, et contentus erat, quod dictum Commune Florentie seu alius pro dicto Communi, de dictis florenorum viginti milibus, qui ut predicitur secundum intentinem dicti domini Johannis erant per ipsum dimictendi penes dictos Ambaxiatores et Sindicos, post confessionem et receptionem per eum faciendam solveret et solvere posset et debe-

ret supradicto domino Baldaxarri infra unum mensem tunc proxime venturum florenorum decem milia auri, de quibus supra fit mentio, seu dictum dominum Baldaxarem infra tempus unius mensis contentum faceret de dictis florenis decem milibus auri per instrumentum vel per litteras, vel per alium modum, et ex tunc ad cautelam dictus dominus Johannes, in casu, quod dictus dominus Baldaxar reciperet seu contentus fuerit a dicto Communi Florentie de dictis florenorum decem milibus auri solvendis infra dictum mensem, fecit dicto Communi Florentie, et Ambaxiatoribus et Sindicis, seu aliis pro dictis Ambaxiatoribus et Sindicis recipientibus, finem, remissionem et quietationem et pacem in perpetuum de ulterius aliquid non petendo, de dicta quantitate florenorum auri solvendorum dicto domino Baldaxari, ut supra dictum est, de dicta quantitate florenorum auri quadraginta milium relinquendo penes dictos Sindicos et Ambaxiatores, ut supra dictum est, prout hec et alia facientia ad predicta plenius continentur per publicum instrumentum rogatum per ser Paulum Poncelli de Cerreto Notarium. Unde hodie hac presenti suprascripta die decimanona mensis Octubris, suprascriptus dominus Baldaxar de Spinolis de Janua, non revocando propterea aliquem vel aliquos suos procuratores, per eum hactenus ad alios actus constitutos, sed potius confirmando omni modo, via et iure, quibus melius potuit, fecit, constituit et ordinavit suum verum et legiptimum procuratorem, actorem, factorem et certum numptium specialem inrevocabilem Nobilem virum dominum Leonellum de Janua ibidem presentem, et presens mandatum sponte suscipientem, specialiter et nominatim ad petendum, exigendum, recipiendum et confitendum, et se habuisse et recepisse confitendo a dicto Communi Florentie, et a qualibet alia persona pro dicto Communi solvente dicta florenorum decem milia auri, quos dictus dominus Johannes dixit et voluit dari et solvi debere dicto domino Baldaxiri, de quibus supra dictum est, in totum vel in partem, et simul et divisim, prout dicto domino Leonello procuratori pro dicto placuerit et videbitur, et ad faciendum de receptis, et seu confessatis per dictum dominum Leonellum dicto Communi Florentie, et seu alii pro dicto Communi recipienti, finem, remissionem,

quietationem et pacem de ulterius aliquid in perpetuum non petendo, et de dictis decem milibus florenorum auri omnia et singula facienda, exercenda et procuranda, que ipse dominus Baldaxar facere posset, si presens esset; item ad conficiendum et confici et rogari videndum et faciendum in predictis et infrascriptis, et circa predicta et infrascripta, et quodlibet et seu alterum predictorum et infrascriptorum instumentum et instumenta, unum et seu plura, omnibus et singulis tenoribus, clausulis, capitulis et cautelis et solempnitatibus in similibus contractibus consuetis, et omnibus aliis, prout de ipsius domini Leonelli libera processerit voluntate. Dans et concedens dictus dominus Baldaxar constituens predictus dicto domino Leonello procuratori predicto in predictis et circa predicta et quodlibet predictorum plenum leberum et generale mandatum, cum plena, libera et generali administratione. Promictens et conveniens dictus dominus Baldaxar constituens predictis michi Ristoro Notario infrascripto stipulanti et recipienti pro Communi Florentie, et pro omnibus et singulis quorum interest aut interesse quomodolibet posset, se ipsum dominum Baldaxarem firmum et ratum habiturum et observaturum omne id totum, et quicquid per dictum dominum Leonellum procuratorem predictum in predictis et circa predicta, et quodlibet seu alterum predictorum actum, factum, gestum seu procuratum fuerit, sub ypotecha et obligatione ipsius domini Baldaxaris, eius heredum, et omnium suorum bonorum presentium et futurorum. Voluit etiam dictus dominus Baldaxar, presens mandatum et procuratorium durare et vires habere etiam post mortem dicti domini Baldaxaris, et in ipsius domini Baldaxaris horedes transire, et per ipsius domini Baldaxaris mortem non spirare. Nec non etiam stipulatione solempni promisit et convenit dictus dominus Baldaxar dicto domino Leonello presenti, recipienti et stipulanti pro se et suis heredibus; nec non etiam mihi Ristoro Notario infrascripto recipienti et stipulanti, ut supra dictum est, dictum dominum Leonellum a presenti mandato et procuratione, et seu a contentis in eo non revocare, nec alium procuratorem ad predicta facere seu constituere, nec aliquid aliud facere vel exercere, propter quod presens mandatum et contenta in eo

impedirentur vel retardarentur, aut impediri vel retardari possent quoquo modo, sub infrascripta pena. Ac etiam dictus dominus Baldaxar omni modo, via et iure quibus melius potuit, dixit et contentum se vocavit de dictis decem milibus florenorum auri, et seu de ea parte florenorum decem milium auri, qui et seu que solventur dicto domino Leonello, et seu quos dictus dominus Leonellus confitebitur a dicto Communi Florentie, et seu ab alio pro dicto Communi solvente. Et ex nunc dictus dominus Baldaxar fecit mihi Ristoro Notario infrascripto, ut supra dictum est, recipienti et stipulanti finem, remissionem, quietationem et pacem perpetuam de ulterius aliquid non petendo de dicta quantitate florenorum auri decem milium, et seu de ea parte dicte quantitatis, qui et seu que solventur dicto domino Leonello per dictum Commune Florentie et seu alium pro dicto Communi, et seu de hiis quos dictus dominus Leonellus confitebitur, habuisse et recepisse a dicto Communi, seu ab alio pro dicto Communi solvente, et seu de quibus dictus dominus Leonellus contentum se vocabit quoquo modo a dicto Communi, seu ab alio pro dicto Communi solvente. Que omnia et singula suprascripta et infrascripta stipulatione solempni promisit et convenit dictus dominus Baldaxar dicto domino Leonello et mihi Ristoro Notario infrascripto recipienti et stipulanti, ut supra dictum est, firma et rata habere et tenere, et contra non facere vel venire aliqua ratione, via, modo vel causa, sub pena et ad penam dupli suprascripte quantitatis florenorum decem milium auri stipulatione solempni promissam per dictum dominum Baldaxarem, et legiptime stipulantem per dictum dominum Leonellum et me Notarium infrascriptum, ut supra dictum est. Que pena totiens commictatur, et peti et exigi possit cum effectu, quotiens contra predicta vel aliquod predictorum factum fuerit, aut in aliquo contraventum; pro quibus omnibus et singulis observandis et adimplendis et firmis tenendis, et dicta pena solvenda, si cummissa fuerit, obligavit dictus dominus Baldaxar dicto domino Leonello et mihi Ristoro Notario infrascripto, et utrique nostrum ut supra recipientibus omnia et singula sua bona presentia et futura, que dictus dominus Baldaxar constituit se pro dicto domino Leonello et me Ristoro Notario infrascripto, ut supra,

recipienti procuratorio nomine, tenere et possidere. Renunptians dictus dominus Baldaxar in predictis omnibus et singulis exceptioni et benefitio non sic celebrati contractus, et non facte dicte promissionis, obligationis et procurationis, et non sic actorum, factorum et gestorum omnium supradictorum, exceptioni sine causa, ex iniusta causa in facti actioni et fori privilegio, et omni alii auxilio, benefitio, sibi quomodolibet competentibus vel competituris, et exceptioni et juri, et legi dicenti generalem renumptiationem non valere. Cui quidem nobili viro domino Baldaxari predicto presenti, volenti et predicta omnia et singula conficienti precepi ego Ristorus Judex Ordinarius et Notarius Publicus infrascriptus per guarentigiam et nomine juramenti, prout mihi licuit et licet ex forma capituli Statuti Communis Florentie de guarentigia loquentis, quatenus predicta omnia et singula faciat, observet et attendat, ut supra promisit, continetur et scriptum est.

(Jegyző jegy). Ego Ristorus filius condam ser Jacobi, Civis Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predictis omnibus et singulis dum agerentur interfui, et ea rogatus rogavi et imbreviavi, et ad presens aliis negotiis occupatus predicta omnia et singula suprascripta complenda et publicanda commisi infracsripto ser Ligo Francisci Notario Publico, et ideo me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy). Ego Lighus filius condam Francisci Lighi de Loro civis Florentinus Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predicta omnia et singula ex imbreviaturis et rogationibus suprascripti ser Ristori ser Jachopi Notarii, vigore commissionis in me per eum facte de complendo, et publicando, ut supra patet, hic fideliter transcripsi, complevi et publicavi, et in hanc publicam formam redegi, et quod supra in trigesima septima linea cancellatum est in hec verba et cancellatura :

»Supradictum Principem dominum Karolum« mea propria manu cancellavi, quia superscripseram. Ideo me subscripsi et signum meum apposui usitatum.

(Eredetie börhártyán az »Atti publici di Napoli« közt VIII. köt. 21. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

190.

Spinolo Boldizsárnak a florenczi kormány. 1380.

Domino Baldassaro Spinolo de Janua.

Nobilis amice karissime. Sequentes voluntatem atque deliberationem Magnifici Domini domini Johannis Bani Machoviensis, pro gloriosissima Majestate domini Regis Ungarie Generalis Capitanei gentium Ungarorum, ad presens in Italia militantium, declaratam per publicum instrumentum scriptum manu ser Pauli Poncelli de Cerreto Notarij Publici, tenore presentium, Nobilitati Vestre promittimus et cavemus solvere nobili viro domino Leonello de Vivaledis de Janua, vel cuicumque solemne vestrum mandatum habenti, recipienti pro vobis, decem milia florenorum auri, currentium inter mercatores Florentinos, de summa et quantitate viginti milium florenorum, qui apud Oratores nostros de prefati domini Johannis Bani ordinatione, voluntate atque beneplacito remanserunt. Quam quantitatem solvere promittimus in civitate Florentie de florenis currentibus inter mercatores Florentinos, hinc ad decimam diem mensis Novembris proxime secuturi per totam diem, dummodo, sicut speramus, promissa per Magnificentiam dicti domini Bani nostris Oratoribus et Sindicis plenissime et realiter observentur. In cuius rei testimonium has nostras litteras scribi fecimus, et sigillorum nostri Communis munimine roborari. Data Florentie die XVIIII. Octobris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie. Missive,« stb. XIX. köt. 62 sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

191.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság.
1380.

Regi Ungarie.

Postquam alias scripsimus, Clementissime Princeps, spes unica nostri Communis, et nostri populi refugium singulare, sicut apparet per copiam interclusam, quam dignetur Vestra Benignitas, quamvis sit longa, relegere, et que in ipsa continentur, placida mente et altitudine solita vestre prudentie ponderare; restat, que secuta sunt, diligenter adiungere, ne possit Regia Celsitudo, quid actum sit cum suis devotis servitoribus et peculiaribus filiis, ignorare. Postquam igitur Clarissimus Princeps dominus Carolus de Dyrachio in Aretinorum finibus, et iuxta nostros limites exercitum suum produxit, et ipse idem personaliter in castra pervenit, nostros ad ipsum mittimus Oratores tractaturos de condicionibus pacis, ut inceptionem belli, quod illa (így) cum Regia progenie gerendum erat (így), quam post Deum Omnipotentem cum devotione veneramur in terris, possemus concordia prevenire; et nullis unquam annotaretur historiis, cum illis nostrum populum ad sanguinem pervenisse, quorum majores pro libertate nostra sanguinem effudissent. Interim autem rebellium nostrorum malicia bellum incipit, ac intra fines nostros, usque ad oppidorum nostrorum menia, hostili cum furore discurritur, et apud castrum nostrum Civitelle, aliquamdiu, sicut consuevit in bellorum discursionibus, cum mutua sanguinis effusione pugnatur. Captivantur homines, rapiuntur jumenta, et omnia tumultu, invasionibus et bellaci turbine permiscentur. Inter hec per Oratores nostros cum Principe supradicto, imo, ut verius loquamur, cum his qui eidem assident consultores, principalia quedam concordie capitula, ruptis multis difficultatibus concluduntur. Postquam, cum ex illa parte civitatis Aretii omnem suam potentiam noster populus obiecisset, nec posset hostilis exercitus, nisi per arctissimas montium fauces, frequentia oppida, et inter gentium nostrarum manus, sine maxima clade periculove transire, sive belli periculosi metu, sive

victualiorum (igy) et commeatus inopia, sive ut liberiore campo possent territorium nostrum invadere, Princeps antefatus, cum omnibus gentium copiis, Senensium fines invadit, et afflictis fratribus nostris Senensibus, compulsisque ad solutionem certe quantitatis pecunie Reverendo Patri domino Jauriensi certis de causis faciendam, se iterum in nostrum territorium converterunt, et cum regali vexillo totus exercitus, et personaliter dominus Karolus, in nostris finibus castra ponunt, et iuxta Podibonizium, atque Staggiam, duo nostra valida oppida, in limine nostre dicionis posita, campestrem eligunt stationem. Tunc demum, clementissime Princeps, ad veram et apertam belli faciem est perventum, non solum ad predas, cedes, capturas et sanguinem procedendo; sed etiam castra nostra oppugnatione tentando. Sed quia valida manu gentem nostram feceramus in illis partibus congregari, et nedum pro defensione terrarum pugnabant, sed etiam eruptione facta, sicubi foret opus in aciem procédebant, et quia amicorum nostrorum auxiliis quotidie apparatus nostrarum gentium augebatur; desperantibus jam adversariis nos posse de facili superari, tunc demum dominus Jauriensis, dominus Ladislaus Banus, Franciscus Dentici de Neapoli, et dominus Baldassar de Spinolis (igy), cum commissione prefati Principis, ad nostram presentiam accesserunt; pluribusque diebus digesto tractatu, in certas conventiones finaliter est consensum. Quarum quidem summa fuit, quod hinc inde deberet offensionibus abstineri; quod idem Princeps a se nostros dimitteret exbannitos, nec ipsos debeat secum, aut in suis terris ulterius receptare; quod se de aliqua terra Tuscie, vel nostro territorio confinante, nullatenus impediret. Et ex averso, quod ligam contra Vestram Majestatem aut contra Summum Pontificem, vel contra ipsum, nullo tempore cum domina Regina Jerusalem, aut alio quocunque Principe faceremus. In quo capitulo, Clementissime Princeps, quia tenaciter hoc petebant, nos oportuit consentire. Nec profuit replicare quod facta concordia non erat necessarium, nos ad renuenda federa per conventiones adstringere, que pluries requisiti, offensi et bello tentati, noluimus etiam optimis conditionibus acceptare; sed cogitantes nos ob presentem injuriam necessitate quadam debere, et justissime posse a solite devotionis habitu devia

re, recusantibus nobis, utpote de quorum fide videretur contra omnem veritatem, et intentionem nostram, aliqualiter dubitari, ad consentiendum in hoc capitulo compulerunt. Quid igitur conqueramur, Serenissime Princeps? unde lamentationum nostrarum principium assumemus? Heu heu! quis putasset nos devotissimos filios Regie Majestatis, et totius Regalis prosapie antiquissimos servitores, a Regia Domo, a Regio exercitu, Regio cum vexillo, sed tamen contra Regiam voluntatem, bellaciter impeti? Quando poterit tantum dedecus de recordationibus hominem aboleri? Transibitne hec in posteros obscurato nomine nostre devotionis infamia? Si transibit, tamen nulla nobis tanti flagitii culpa, aut crimen tanto facinori ascribetur. Nullam nos prorsus caussam, nullam occasionem hiis dedisse omnes historie, cunctique annales, procul dubio testabuntur. Ille erit, ille nocens, qui nobis se fecerit hostem. Utinam fuisset nobis, maxime Principum, utinam fuisset nobis contra alia signa, cum alterius sanguinis duce, et cum alia gente certamen. Ostendisset enim populus Florentinus, quantum sit nostram tentare libertatem, Commune nostrum offendere, aut bellaciter nostris in finibus insultare. Accincti quidem eramus occurrere cum apparatu mille quingentarum lancearum, infinita peditum multitudine, et balistariorum maxima quantitate. Quid autem nobis et illis quesitum est, tot periculis, totque laboribus et expensis? Nichil certe, nisi detestanda seculis futuris infamia, dedecusque nullo tempore subticendum. Sed hec omittamus, que reprehendere cum sit facillimum, impossibile tamen est, quia transiverunt, in preteritum emendare; et que restant, Princeps Clementissime, subiungamus. Donavimus autem domino Karolo supradicto quinque milia florenorum, et Magnifico Militi domino Johanni Bano Macoviensi, recipienti nomine Vestre Majestatis, mutuavimus quadraginta milia florenorum, de quibus jam viginti milia fecimus numerari, moxque decem milia in residuum, infra decimam diem Decembris, sicut convenimus soluturi. Et si ab initio, sicut ex post facto, idem dominus Johannes pro parte Vestre Majestatis, et cum litteris et mandato, nos de huiusmodi pecunia requisisset; pro honore et beneplacito Celsitudinis Vestre, eidem dictam summam libentissime, filialis nos-

tra devotio mutuasset. Hec de multis que gesta sunt collegimus intimanda, ut Regía Serenitas veram seriem rerum sciat, et saltem principaliora cognoscat. Nunc autem dominus Karolus antedictus cum suis Consilliariis, quorum suggestionibus, cum de se purus sit, sincerus et simplex, et quantum Principi potest bono animo, et quantum fert etas sua circumspecto consilio, in hanc simultatem nobiscum nullis precedentibus caussis fuit perductus, euntibus Ungaris ad servitia Januensium, Aretium est reversus, ibidem non sine magna suspicione Tuscorum aliquamdiu, sicut creditur, permansurus : et eo maxime, quia cunctorum rebelles semper auribus eius instant; quibus si detur, sicut nostris, auditus, contra gloriosum illud suum agnomen pacis, bellum facile poterit suscitare. Dignetur igitur Majestatis Vestre benignitas eidem nos, Sublimitatis Vestre devotos, et nostrum statum, atque tranquillitatem Patrie'commendare. Qui si meliori consilio, dimissis Tuschorum negotiis, ad prosequendum incepta sua et causam periclitantis Ecclesie processisset, nec se, nec nos aut alios, tantis motibus involvisset. Et eo maxime oportet, quod humilitatem nostram eidem vestra clementia recommendet; quia nón obstantibus promissionibus per eum factis, atque prestitis juramentis, tantum valent apud ipsum impura consilia, sicut tenetur et debet, nedum nostros rebelles et exules non expellit, sed maxima admiratione nostra, maximaque displicentia et suspicione, ipsos confovet et receptat, nec videtur dispositus eos a se, sicut tenetur, et sicut suus honor exigit, removere. Nec ad hoc faciendum movent ipsum pacta, non impellit honestas, non etiam inducit offensio, quam per ipsorum manus accepit, occiso per eos Magnifico Milite domino Johanne Morus dilectissimo cive et Oratore nostro, quem in maximum eius dedecus, prima die, qua intravit Aretium, peremerunt. Majestatem Vestram, cui nos humillime commendamus, dignetur Altissimus diu feliciter conservare. Data Florentie die XXVIIII. Octobris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive,« stb. XIX. köt. 69. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

192.

Vilmos győri püspöknek a florenczi kormány. 1380.

Episcopo Jauriensi.

Reverende in Christo Pater. Gratissimum nobis est, vos clarissimi Principis domini Karoli vice, tam istic, quam in alijs terris sibi subditis remansisse. Et, ut omittamus etatem natura ipsa pacis avidam; ut omittamus dignitatis gradum et professionem, quam fecistis in Domino, pro qua est iniuncta necessitas tranquillitatem et pacem modis omnibus procurandi; quis potuisset populo nostro et nobis acceptior in Aretina civitate, ex cuius propinquitate nobis est in ipsa pax utilis, remanere? Non igitur dubitet Vestra Paternitas, quod per nos debeat aliquid innovari, et quod ea que promisimus dicto Principi non servemus. Pecuniam autem eidem domino debitam taliter persolvemus, quod in nichilo violate fidei poterimus reprehendi. Data Florentie die XXXI. Octobris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. köt. 71. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

193.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a tatárországi kereskedést szabályozó privilegiuma, a magyar- és lengyelországi kereskedők számára. 1380.

In nomine Domini Amen. Nos Lodouicus Dei gracia Hungrie, Polonie, Dalmacie Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Ad perpetuam rei memoriam tam presentibus quam futuris volumus devenire, quod benignitate nostra Regia considerantes et graciosius attendentes diversa et multiplicia dampna et incommoda ac depauperationes, que fidelibus nostris Regnorum nostrorum Hungarie et Polonie Sacris Coronis subiectis ciuibus et incolis mercatoribus racione preclusionis et prohibicionis vie in Tartariam, quam ciues nostri in Lemburga in

Dominiis nostris pretenderant mercatoribus, instarent et obuiarent irrecuperabiliter; habita per Nos et Serenissimam Principem et dominam Helizabeth, genitricem nostram karissimam, ac eciam Baronum nostrorum sana et matura deliberacione, ac ex certa nostra sciencia decernentes omnino volumus, deffinimus et statuimus perpetuo et irreuocabiliter, vt vniuersi et singuli dictorum Regnorum Hungarie et Polonie ciues et incole mercatores, venientes cum eorum mercibus et mercimoniis in dictam Civitatem nostram Lemburgam, cuiuscunque generis, speciei et materiei existant, dummodo se fidedigno dictorum nostrorum Hungarie et Polonie Regnorum docuerint testimonio fore ciues seu incolas, ad plenos quatuordecim dies cum dictis mercibus in dicta Civitate Lemburga continuando, pro speciali eorundem Lemburgensium incolarum consolacione et melioracione vendicionis exposicionem tenebunt Quas quidem eorum merces predictas si vendere ibidem non possunt; tunc soluto iusto et consueto thelonio cum eisdem mercibus libere, et absque cuiusuis hominis cuiuscunque status vel condicionis impedimento, Tartariam, et ad quasuis Tartarie partes, quociescunque et quandocunque oportunum ipsis et expediens fore videbitur, vel eorum beneplaciti fuerit, transire debeant et poterunt, et redire in Civitatem Lemburgensem prenotatam. Et in reditu iterum in dicta Ciuitate Lemburgensi cum ipsorum reportatis seu adductis mercibus de Tartaria ad plenos quatuordecim dies iacentes, et easdem merces, in quantum poterint ibidem commodiosius et vtilius, vendere sunt astricti; quibus tunc elapsis quatuordecim diebus post dictam reuersionem, soluto iusto eorum et condigno thelonio, ad propria transire poterunt libere, vel quo eorundem mercatorum nostrorum fuerit voluntas. Volumus insuper et decernimus, quod omnes littere nostre aut genitricis nostre predicte ante presens privilegium impetrate per dictos Lemburgenses, quomodolibet contrarie presentibus, nullius sint penitus iugiter efficacie et vigoris. In cuius rei memoriam presentes duximus concedendas. Datum in Wissegrad in festo Beati Martini confessoris anno Domini millesimo trecentesimo LXXX.

(XVI. századi copialis könyvből, Krakkó város levéltárában.)

194.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a magyarországi határtól Prussiaba Lengyelországon keresztül űzött kereskedést tárgyazó privilegiuma. 1380.

In nomine Domini Amen. Nos Lodouicus Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque, Rex; vniuersis et singulis, presentibus et futuris quibus expedit notificamus, quod attendentes graciosius et benigno ponderantes corde multiplices depauperaciones, desolaciones, incommodositates, et dampnorum plurimorum inconueniencias, quas Ciuitates, oppida et ville nostre intermedie tocius Regni Polonie, confines viis et transitibus, fretis et seruatis tempore condam Illustrissimi Principis domini Kazimiri Regis auunculi nostri, de Ciuitate nostra Sandecensi vsque Prussiam et alias, ex Sandecensis predicte Ciuitatis nostre hominum, incolarum, ciuium et mercatorum nauigio et transitu, quem fecerunt hucusque, in aquis videlicet Dunaiecz et Visla, a tempore nostre concessionis perpessi sunt et sustinuerunt grauiter; quibus vt succurramus benigniter de Regia nostra nobis insita clementia, nostri interest graciosius, depauperacionum predictarum, desolacionum et dampnorum inconueniencias releuare: premeditata matura et sana per nos et dominam Elizabeth, genitricem nostram karissimam, ac eciam Baronum nostrorum deliberacione, ex certa nostra sciensia et voluntate decernimus, statuimus et omnino volumus perpetuo, vt omnes et singuli dicte Ciuitatis nostre Sandecensis ciues, incole et mercatores, dimissis eorum transitibus seu nauigiis in dictis aquis, et totaliter pretermissis amplius super dictis aquis factis quomodocunque, cum ferro, cupro, et aliis quibuscunqe mercibus eorum in terra, et non alias, quam per Cracouiam nostram Ciuitatem, et per alia consueta loca viarum et theloniorum nostrorum Regalium in antea iugiter transeant et redeant, per que tempore recolende memorie condam domini Kazimiri Regis Polonie auunculi nostri predicti transire et proficisci consuetum et solitum ac statutum extiterat; quemadmodum

eciam per dicte nostre Ciuitatis Cracouiensis ciues lucide et sufficienter patentibus priuilegiis fuerat demonstratum. Et vt eciam prefati nostri ciues et incole Sandecenses speciali pro ipsorum leuamine, commodo et profectu se senciant graciosius in huiusmodi recompensacionem consolatos : memoratos Sandecenses cives et incolas nostros a dacione seu solucione thelonii nostri in Alba Ecclesia absoluimus perpetuo, de eodem ipsis benigniter indulgentes; sic tamen, quod nec per dictos ciues nostros Cracouienses, quamdiu thelonia nostra Regalia seruaueriunt, velut actu seruant; nec eciam per quoscunque eorum successores, qui pro tempore nostra thelonia seruauerint, quidquam ad nostram racionem de dicto indulto thelonio imponatur. Datum in Wissegrad in festo Beati Martini confessoris anno Domini millesimo trecentesimo LXXX.

(XVI. századi copialis könyvből, Krakko város levéltárában.)

195.

Spinolo Boldizsárnak nyugtatványa 20,000 aranyforint, melyeket János macsoi bán, s Olaszországban a magyar hadak kapitánya nevében a florenczi kormánytól átvett. 1380.

In Dei nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnatione millesimo trecentesimo octuagesimo, indictione quarta, die undecima mensis Novembris. Nobilis vir dominus Baldassar de Spinolis de Janua fuit confessus et recognovit michi Viviano Notario infrascripto ut publice persone recipienti et stipulanti pro Communi Florentie, et omnibus quorum interesset, se habuisse et recepisse, et sibi integre soluta, data et numerata fuisse a Communi Florentie, et a Johanne Pauli vocato Scioccho cive Florentino solvente et dante pro ipso Communi, et de ipsius Communis pecunia decem milia florenorum boni et puri auri et recti ponderis et cunei Florentini; de quibus contentari et concordari debebat ipse dominus Baldassar ab ipso Communi. Et erant de quantitate florenorum viginti milium auri, quam olim de mense Octubris proxime preteriti dimisit, ut dicitur, Magnificus vir dominus Johannes

Banus Machoviensis, tunc pro domino Rege Ungharie Capitaneus Generalis Ungarorum existentium in partibus Tuscie penes dominum Rossum de Riccis, dominum Bettinum de Covonibus, Jacopum Michaelis del Rosso, et Silvestrum Johannis Cortennova cives honorabiles Florentinos, et Ambaxiateres ac Sindicos tunc dicti Communis, de summa quadraginta milium florenorum auri per ipsum dominum Johannem Banum procuratorio nomine dicti domini Regis Ungarie mutuo habitorum a dicto Communi Florentie; prout de predictis fit mentio, et continetur in instrumento inde confecto per ser Paulum Poncelli de Cerreto Notarium Publicum sub die nono dicti mensis Octobris; et de dicto motuo constat ex instrumento inde rogato per ser Ristorum ser Jacobi Notarium. Et de predictis florenis decem milibus dictus dominus Baldassar vocavit et dixit se bene pagatum, contentum et concordatum a Communi predicto, et liberavit et absolvit dictum Commune, et me Vivianum Notarium infrascriptum, ut supra, recipientem ab omni et toto, ad quod ipsi domino Baldassarri pro predictis, vel eorum occasione quomodolibet tenebatur seu teneri diceretur. Et de predictis etiam ad declarationem et certitudinem perpetuam veritatis, rogavit me Vivianum infrascriptum, ut conficere deberem publicum instrumentum.

Acta fuerunt predicta in palatio Populi Florentini residentie dominorum Priorum Artium et Vexilliferi Justitie Populi et Communis Florentie, presentibus Spinello Luce Alberti, ser Benedicto ser Landi Notario, et Laurentio Johannis civibus Florentinis, testibus ad premisse habitis et vocatis.

(Jegyző jegy.) Ego Maghinardus filius ser Matthei condam ser Maghinardi, Florentinus civis, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius Notariusque Publicus et nunc coadiutor providi viri ser Viviani Nerii Viviani, predicta omnia et singula in imbreviaturis et rogationibus dicti ser Viviani, quia per ipsum rogata et imbreviata fuerunt, sumpsi vigore commissionis michi ab eo facte, et hic fideliter scripsi et publicavi, ideoque me subscripsi signumque meum posui consuetum.

(Jegyzői jegy.) Ego Vivianus filius Nerii Viviani de Sambuco Civis Florentinus Imperiali auctoritate Judex Ordinarius Publicusque Notarius, predictis ante subscriptionem dicti Mainardi contentis et scriptis, dum agerentur interfui, et ea rogatus scribere in meis imbreviaturis scripsi, composui, et aliis occupatus, inde sumenda et in formam publicam redigenda commisi dicto Maynardo Notario et coadiutori meo; ideoque subscripsi, cum meo solito signo signavi.

(Eredetie bőrhártyán az »Atti publici di Napoli« XVIII. kötegében 26. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.

196.

Vilmos győri püspöknek a florenczi kormány. 1380.

Episcopo Jauriensi.

Reverende in Christo Pater. Turbatis mentibus et mestis animis, intellecta vestrarum continentia litterarum, quantum debent devoti servitores et filii clarissimi Principis domini Karoli de Dyrachio de surreptione Martiani, cum Vestra Paternitate, que vices gerit Sue Claritudinis condolemus. Nec putetis, nos pacis avidos, et concordie zelatores, novitates huiusmodi totis sensibus non horrere. Nam sicut vidit Reverentia Vestra, ut his et similibus possemus eventibus obviare, nostrum transmisimus Oratorem, et nunc etiam ob eiusdem rei effectum, duximus presentialiter remittendum. Nec intendimus labores fugere vel expensas, ut pax extendatur in patria, et gloriosum nomen prefati Principis feliciter exaltetur. Unum satis admirari non possumus, nec verum fore, nisi quatenus id Vestra Paternitas attestatur, nobis ipsis possumus persuadere; quod videlicet Magnifici fratres nostri Senenses in occupatione dicti castri fuerint conscii vel fautores, eisque, super hac materia scribimus oportune. Et si quid aliud nos

facere cupit supradicta Paternitas, secure, tamquam devotis prelibati Principis, intimetis. Data Florentie die XVIII. Novembris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. köt. 77. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

197.

A genuai köztársaságnak a florenczi köztársaság. 1380.

Januensibus.

Magnifice et Excelse Domine, frater et amice karissime. Recepimus litteras Vestras, quibus in elegantia polita verborum iusticiam vestram belli quod geritis explicantes, quantum ad pacem dispositi semper fueritis, ostenditis; adicientes in ultimo, quod sine consensu Serenissimi Principis domini Regis Ungarie, nullum tractande pacis responsum tradere poteratis. Quibus breviter fraternisque affectibus, omissa causarum disputatione, utpote que ad nos non pertineat, respondemus : Quod firmiter credimus, inconcusseque tenemus, prudentiam vestram semper pacem cum vestris hostibus exoptasse. Non enim putandum est tantum sapientie sensum, tantamque rerum omnium experientiam, quantam datur in vestris civibus reperire, sic hoc, vel alia quecunque bella gessisse, quod non semper de pace, etiam intra belli principia cogitarit. Naturali quidem inclinatione ad hunc solum finem bella gerimus, ut aliquando in pace cum securitate vivamus. Qui bellum, solum ut belletur assumit, nunquam belli vexatione carebit. Verum si tanto studio, quanto bella fiunt, concordia peteretur, raro procederetur ad sanguinem; sed discordie surgentis incendium oppressum et extinctum inter ipsa belli principia sedaretur. Oportet igitur, fratres karissimi, sic arma movere, quod aditus oblate paci in victorie limine non claudatur. Et ut ad conclusionem nostram, quia pauca sapientibus sufficiunt, veniamus; scimus Majestatem Regiam semper hanc concordiam exoptasse; scimus vobis esse facillimum, tractande pacis licentiam obtinere. Quam autem necessaria sit ista concordia, vos videtis. Placeat igitur dilectioni vestre, nos

vestros fratres et amicos vestros, pacem istam sinceris affectibus inquirentes, benignis animis axaudire, taleque per latorem, presentium exhibere responsum, quod hic desiderate pacis tractatus cum vestra benivolentia possit effectualiter incoari. Circa quam procurandam nos iterum offerimus fide pura, dilectione sincero, opeque, quanto magis poterimus efficaci. Data dei XXVII. Novembris IIII. indictione MCCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggíe, Missive« stb. XIX. kötegében 81. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

198.

A florenczi köztársaságnak I. Lajos magyar és lengyel király. 1380.

Rex Hungarie.

Amici carissimi. Litteras vestras nobis directas, cum copia in eisdem contenta, solita benignitate recepimus; et licet verborum magnam continebant perplexitatem, tamen nullo tedio affecti, tenorem earumdem, placita mente audiendo, collegimus sano intellectu. Ad quas Vestre Amicitie taliter duximus respondendum, quod ea que in ipsis litteris et copia vobis displicere cognovimus, attendendo allegationes in eisdem contentas, Nostre Majestati tedia attulerunt, cum de nostra non processerunt oppinione. Actamen premissis per vos non attentis, minime dubitamus, Vestram Amicitiam illustrem Principem dominum Karolum de Dyrachio Ducem fratrem nostrum, qui idempnitatem (így identitatem ?) nostri sanguinis representat, omni favore et assistentia, sicut vosmetipsos, qui semper commodum et honorem vestrum desiderat, prosequi et amplecti, per hec vos censebimus fore summe honoratos. Ubi autem declaratis, quod nos putatis cum dudum domina Regina Jehrusalem et Sycilie pacem et concordiam habere illibatas, quid circa hoc est, mens Nostre Majestatis non est oblita. Tamen Apostolicum mandatum, cui tamquem Christianissimus Princeps obtemperare obedienter subiecimus nos, non immerito ab ipsa divertit, et in hoc errorem, neque devium, non pu-

tamus commisisse. In favorem vero Vestri Communis eidem domino Karolo dirigimus litteras nostras, quas eidem velitis nostri amore translegare, cum idem se vestris beneplacitis obtemperabit. Super eo autem, quod vos genti nostre certas quantitates pecuniarum, tam liberaliter, tamque gratanter, pro negociorum nostrorum laudabiliori executione, ad nostram obligationem, ut littere vestre docent, dedistis, et successive ad certum numerum complendum dare vos obtulistis, Amicitie Vestre regratiamur; dispositi votis vestris complacere, ac omnia ea facere suis temporibus, in quibus vobis, ratione huiusmodi mutui, Amicitie Vestre dignoscimur obligari. Data Zolij die penultima mensis Novembris anno LXXX.

Kivül. Nobilibus et sapientibus viris Prioribus Artium, Vexillifero Justitie, Populo et Communi Florencie, amicis nostris carissimis.

(Eredetie papiron a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 93. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

199.

Károly durazzoi herczegnek I. Lajos magyar és lengyel király. 1380.

Rex Hungarie domino Karolo de Durachio.

Illustris frater karissime. Scripserunt nobis Florentini litteras suas, maximam verborum prolixitatem continentes, et in eisdem unam copiam inderclusam, sub tanto compendio verborum, in quibus collegimus, quod sentiunt propter bannitos eorum, quos acceptastis, se gravatos. Attamen, quocumque facta se habent, taliter in agendis vestris procedatis, ut exinde vobis et nobis cedat laus et honor, ac cum ipsis Florentinis, amicabilius, ut ex predictis vobis videbitur, transeatis; cum, si voluerint, boni sint adiutores et amici. Sed vos illud idem jam per experientiam magis scitis et palpastis. Ceterum admiramur, quod nobis penitus de vestro processu huc usque jam diu nichil scripsistis. Quare rogamus vos, quatinus statum processus vestri, et omnium novorum, nobis velitis creb-

rius significare. Datum Zolij die penultimo Mensis Novembris. Anno LXXX.

(Eredetie papiron a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 94. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

200.

Visconti Barnabásnak a florenczi köztársaság. 1380.

Domino Bernaboni.

— — — — — — — — — — — —

— — Ceterum, quamvis fuisset a Vobis maxima cum instantia postulatum, quod Comiti Everardo, et eundi in Ungariam, et demum Ferariam, licentiam concedere deberemus; quia ea videbamus ad finem bonum non dirigi, sed potius ad Italie dispendium ordinari, licentiam huiusmodi prorsus duximus denegandam. Comitem autem Lutium Oratorem Cesaree Majestatis, et alterum, fratrem eius, quia nobis non sunt aliquatenus obligati, non potuimus cum honestate, quin eis quo vellent pergere, non liceret, etiam si id videretur nobis utillimum, prohibere. Quod licuit fecimus, et in posterum faciemus. Comes autem Lutius nunc est Bononie, qui an in Ungariam sit iturus, certum aliquid non habemus. Data ut supra. (Florentie die primo Decembris IIII. indictione MCCCLXXX.)

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. köt. 83. sz. a , a florenczi nagy levéltárban.)

201.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1380.

Regi Ungarie.

Memores, Serenissime atque Clementissime Princeps, spes unica nostri Communis, et huius vestri devoti populi refugium singulare, quod aliquando pro tractanda pace inter Serenitatem Vestram una cum colligatis Majestatis eiusdem, et Commune Venetiarum, nostre devotionis humilitas inter-

cessit; et considerantes, quod licet hactenus insidiante totius humani generis inimico, qui sicut discordiam suscitavit in celis, ita bella seminare conatur in terris, tam pium opus perduci non potuerit ad effectum, et quod, sicut commendabile fuit incipere, sic ignavum foret, donec spei bone lumen affulget, incepta totis viribus non urgere, resumere decrevimus hanc sanctam et honestissimam procurationem, aliquandiu justis de caussis intermissam; ut experiamur, benignissime Princeps, an humanitatis et clementie Vestre presidio, quod huc usque circa hanc desideratam pacem profecto non defuit, scimusque, usque in finem, pacatis animis, nullatenus defuturum, in tanto totius Christianitatis bono possit aliquando concludi. Multis quidem rerum argumentis expertum est, tandem semel perfici, quod consuevit sepe tentari. Quod eo confidentius, mansuetissime Princeps, aggredimur, quo certius mediatores, et pacem ipsam, placituros Vestre Celsitudini non veremur. Quantum et quale sit bellum hoc, quo fervet terra, mareque infinite classis discursibus infestatur; quo destruitur Italia, et omnium gentium commertia prohibentur, quoque ipsa, proh dolor! Christiana fides lacrimanda suscipit detrimenta, cum hoc, divine Vestre mentis prudentia pene visu percipiat, et manibus tangat, non expedit declarare. Et ut de Majestate Vestra taceamus, quam ad tantam Magnitudinem Deus evexit, ut nullos fortune sevientis ictus videatur posse sentire, nonne videtis, clementissime Princeps, duas istas Italie vestre nobilissimas Civitates, duosque potentissimos populos, et maxima totius Christianitatis luminaria, urbesque commertiorum, sine quibus mundus stare non potest, matres, presides et alumnas, totis hinc inde viribus, inhesaustisque odijs decertando, ad destructionem usque consumi? Quis putasset hos duos maris principes populos per tot bellorum varietates, tantas mari classes, tantosque terra potuisse tantis sumptibus exercitus sustinere? Nonne videtis utrumque populum, tam vexatione belli, quam expensarum pondere, totaliter destrui, et sine dubitatione perire? Consueverunt hi populi, Princeps, optime, sulcare maria, et ad abditissimas mundi partes cum rerum omnium mercimoniis penetrare, totique orbi terrarum invectione necessariorum utiliter deservire, mareque superum et

inferum sub tali continere custodia, quod pene securius navigabatur in aquis, quam mediis in urbibus non degebatur in terris. Nunc autem, proh dolor! ipsis hoc exiciali bello taliter implicatis, tanto personarum et rerum periculo per mare discurritur, quod fere plura sunt que pereuut, quam que ad destinatos portus incolumia deferuntur. Nunc, proh pudor! tanta pyrratarum licentia mare turbatur, quod etiam Saracenis crevit audatia, contra Christianos pyrraticam exercere. Quique vix suis tuti manebant in portubus, nunc magno Christianitatis opprobrio, in servitutem fideles redigunt, naves spoliant, insulas circumeunt, in Christicolarumque portus seviunt et insultant. Que cum ita sint, benignissime Princeps, apponatur tot malis remedium, totque cladibus finis detur. Nolite pati, duas tantas ac tam nobiles Civitates in se ipsas hoc tam cruento, tamque lacrimabili bello tabescere. In manibus Vestris situm est, devotos et colligatos Majestatis Vestre, carissimosque fratres nostros Januenses in pace reponere, Venetosque de hostibus infestis in amicos fidelissimos commutare. Oh! quantum et quale beneficium pro bello pacem impendere, armatasque ferro manus ad remos, et meliora pacis opera revocare. O quantum et quale lucrum, o quante utilitatis, Rex benigne, commertium, pro inimicis amicos acquirere, et unde periculum minimum suscipi poterat, magnum et fidele subsidium expectare! Denique, quid tam Regium, quid tam gloriosum, quam remittere iniurias? parcere, cum possis ulcisci? Solent Reges multis cum vocabulorum ornatibus nominari; hinc illustrissimos, hinc invictos, hinc inclitos, hincque gloriosissimos appellamus. Nullum tamen majus, nullum eminentius Regibus epythetum scribimus, quam cum eos Serenissimos nuncupamus. Cetera pene quidem fortune beneficia sunt, hoc mentis bene composite nomen est; magnanimitas enim, clementia, benignitas, que etiam solent Regibus adhiberi, mediocres, et potius privatorum laudes sunt. Hec autem una Serenitas, tantam mentis ordinationem exprimit, quod omnem virtutum integritatem procul dubio comprehendit. Huius enim proprium est, mentem Regiam immaculatam ab omni viciorum labe, letam omni virtutum operatione, odio vacuam, et inconcussam perturbationibus continere. Non est serena mente qui non parcit,

qui bellum gerit, qui pacem et concordiam non suadet, qui cum potest, bella perniciosissima non extinguit. Quapropter, humanissime Principum, omni cum humilitate et reverentia supplicamus, per gloriosum Regni vestri thronum, per sacrum illud vestri capitis ornamentum, quo inter Christianitatis Principes splendore maximo refulgetis, per clementiam et mansuetudinem vestram, per illam Majestatis et mentis Vestre Serenitatem, atque per devocionem nostram, quam benignitate Vestra semper carissimam habuistis, quatenus dignetur Culmen Vestrum ad hanc concordiam inclinari, nobisque devotissimis et peculiaribus Sublimitatis Vestre filiis, benigne concedere, quod mediatores huiusmodi pacis tractatum assumere valeamus, ut tanti belli extincti gloria nostri Communis titulus Vestre Celsitudinis beneficio cumuletur. Scimus, magnum esse quod petimus, sed quis fidelius Vestre Serenitatis honorem, quam nostra devotio procurabit? Quis inter Januenses et Venetos, communes fratres et amicos singularissimos nostri Communis, convenientius se interponet? Mercatores sunt illi, et nos similiter mercatores; et inter illas duas urbes situs nostre civitatis pene medius est, ut ex locorum habitu, dispensatione quadam videatur ipsa natura nos mediatores omnis inter ipsos concordie delegisse. Accedit et his, quod cum nostri cives utroquique suas negociationes exerceant, nulla potest hos vel illos clades afficere, quin ut una cum ipsis nostra Civitas non vexetur. Quod si, ut speramus, devotioni et fidelitati nostre decreverit in hoc Vestra Serenitas complacere, quia via longa est, et multum temporis, quo nichil carius in rebus arduis assignari potest, oportet ad singula nisi simul ordinentur expendi; dignemini per Majestatis Vestre rescripta ad hanc pacem inducere Januenses, et hoc idem ceteris vestris colligatis salubriter persuadere; ordinareque locum et tempus, in quo partis utriusque legati debeant adunari, ut in oportuno tempore valeamus solemnes, et ad tantum negotium aptos nostros destinare, sicut intendimus, Oratores. Magna quidem gloriosissime Princeps ad hec ordinanda quodammodo vobis est indicta necessitas; quoniam et nos, et totus orbis manifeste cognoscimus, Januenses et alios colligatos a beneplacitis Vestre Majestatis nullatenus discessuros. Que cum ita sint, velitis dici potius avidus dulcissime pa-

cis auctor, quam belli, licet iusti etiam invitus, quod sine honore non geritur, moderator. Et postquam in manus Vestre pugillo bellum et pacem habetis, dignemini ingens bellum potius aspersione certe pacis extinguere, quam, cum periculoso Marte certetur, future concordie tempora prorogare. Data Florentie die IIII. Decembris, IIII. indictione MDCCLXXX.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX kötegében 80. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

202.

Albineai Henriknek nyugtatványa 10,000 aranyforintról, melyeket János macsói bán nevében a florenczi köztársaságtól kölcsönképen átvett. 1380.

In Dei nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnatione millessimo trecentesimo octuagesimo, indictione quarta, die vigesimo mensis Decembris. Excellens et Juris peritus vir dominus Johannes quondam domini Henrici de Albinea, Procurator substitutus a Reverendo in Christo Patre domino Guillelmo Dei gratia Episcopo Jauriensi Procuratore illustris et excelsi Principis domini Karoli de Duratio etc. prout de mandato ipsius domini Episcopi sibi concesso a dicto domino Karolo constare vidi ego Vivianus Notarius infrascriptus ex publico instrumento per me lecto et publicato sub signo et subscriptione Jacobi Ghelfi de Civitate Castelli Notarii ac Cancellarii tunc Communis Aretii, et sub die vigesimo sexto mensis Octobris proxime preteriti; et de substitutione dicti domini Johannis apparere vidi per publicum instrumentum per me lectum et publicatum sub signo et subscriptione Johannis filii olim Bartoli Niccoluccii civis Aretini sub die quinta presentis mensis Decembris, procuratorio nomine dicti domini Karoli, et eius nomine, virtute mandatorum de quibus supra fit mentio; petens nominibus antedictis sibi dari et solvi, et habuit et recepit in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum realiter et in florenis in duobus marsupiis sigillatis sigillo saggii Communis Florentie in una parte, decem milia florenorum auri de quantitate et occasione quantitatis viginti milium florenorum auri,

quam de mense Octobris proxime preteriti, ut dictur, dominus Johannes Banus Machoviensis tunc pro dicto Rege Ungharie Capitaneus Generalis Ungarorum in partibus Tuscie existentium, dimisit de summa quadraginta milium florenorum ipsi Capitaneo ut procuratori dicti domini Regis per Commune Florentie mutuatorum penes dominum Rossum de Ricciis, dominum Bettinum de Covonibus Milites, et Jacopum Michaelis del Rosso et Silvestrum Johannis Cortenuova cives Florentinos tunc Ambaxiatores et Sindicos ipsius Communis Florentie, et que decem milia florenorum dictus dominus Johannes dixit dari velle dicto domino Karolo, prout de his constat ex Publico instrumento inde confecto per Paulum Poncelli de Cerreto Notarium Publicum sub die nono mensis Octobris proxime preteriti; et de dicto mutuo constat ex publico instrumento scripto et rogato per ser Ristornm ser Jacobi Notarium Florentinum. Et que decem milia florenos domini Priores Artium et Vexillifer Justitie dicti Populi et Communis promiserant solvere ipsi domino Karolo per eorum litteras datas Florentie die XVI. dicti mensis Octobris, et in alia parte simul cum dicta summa decem milium florenorum habuit et recepit in dictis marsupiis dictus dominus Johannes procurator dicto nomine florenos duo milia quingentos auri pro complemento solutionis quinque milium florenorum auri de dicto mense Octobris, viva voce, ut adseritur, promissorum dicto domino Karolo per dictos Ambaxiatores Communis Florentie. Et de predictis quantitatibus dictus dominus Johannes procurator dicto nomine, se bene pagatum contentum et concordatum a dicto Communi et ab ipso Johanne pro ipso Communi solvente vocavit et dixit; absolvens, liberans et quietans Commune Florentie et me Vivianum Notarium infrascriptum ut publicam personam recipientem et stipulantem pro ipso Communi et pro omnibus et singulis quorum interest, aut posset quomodolibet interesse, ab omnibus supra distis, et ab omnibus et singulis, ad que ipsum Commune occasione eorum, de quibus supra fit mentio, quomodolibet tenetur vel teneri dicoretur; et rogavit dicto nomine me Vivianum Notarium iam dictum,ut de predictis publicum conficerem instrumentum etiam ad perpetuam declarationem veritatis et memoriam predictorum.

Et predicta omnia facta fuerunt presente, intelligente et consentiente nobili viro domino Leonello de Vivaldelis de Janua Florentie commorante, et dicente se esse contentum, quod supradicti duo milia quingenti floreni darentur et solverentur dicto domino Johanni procuratori predicto et confitenti a dicto Communi sibi solutos fuisse etiam florenos duo milia quigentos ex causa antedicta, et absolvente, et qui absolvit dictum Commune Florentie, et me Vivianum Notarium ut supra stipulantem ab omni et toto eo, ad quod ex causa predicta et seu occasione aliquarum litterarum dicti domini Karoli transmissarum dicto Communi de mense Octobris proxime preteriti, aut alicuius promissionis ipsi propterea facte, dictum Commune esset eidem quomodolibet obligatum, seu modo aliquo teneretur.

Acta fuerunt predicta Florentie in palatio Populi Florentini, presentibus Spinello Luce Alberti, Laurentio Cecchi Cionis, ser Bindo Cardi Notario, Laurentio Johannis civibus Florentinis, et Andrea Magistri Teghiuzzi cive Aretino, et aliis pluribus testibus ad premissa habitis et vocatis.

(Jegyzői jegy.) Ego Maghinardus filius ser Matthei condam ser Maghinardi, Florentinus Civis Imperiali auctoritate Judex Ordinarius, Notariusque Publicus, et nunc coadiutor providi viri ser Viviani Nerij Viviani Notarii Scribe Reformationum Consiliorum Populi et Communis Florentie, predicta omnia ex imbreviaturis et rogationibus dicti ser Viviani, quia per ipsum imbreviata et rogata fuerunt, sumpsi vigore commissionis michi ab eo facte, et hic fideliter scripsi et publicavi, ideoque me subscripsi, signumque meum posui consuetum.

(Jegyzői jegy.) Ego Vivianus filius Nerii Viviani de Sambuco Civis Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius, Publicusque Notarius predictis ante subscriptionem dicti Maynardi contentis et scriptis, dum agerentur, rogatus interfui, et ea imbreviavi, et in meis

imbreviaturis scripsi et posui, et aliis occupatus, inde sumenda, et in formam publicam redigenda commisi Maynardo Notario antescripto, ideoque subscripsi, et meo solito signo signavi.

(Eredetie bőrhártyan az »Atti publica di Napoli« VIII. kötetében 28· sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

203.

VI. Orbán pápának vigasztaló levele I. Lajos magyar és lengyel királyhoz, anyja Erzsébet királyné halálának folytán. 1381.

Vrbanus Episcopus etc. carissimo in Christo filio Ludovico Regi Vngarie illustri salutem etc. Rumor, qui de obitu clare memorie Elisabet Regine Vngarie matris tue nuper apud Apostolicam Sedem insonuit, multam mesticiam attulit cordi nostro. Cum enim paterna consideratione pensamus, quod ipsa Regina, dum viveret, Regalium virtutum claritate prepollens, Deo se reddebat amabilem, dicte Sedi devotissimam filiam, et Regno tuo multipliciter fructuosam; merito de ipsius subtractione dolemus, tibique, fili carissime, paterne compatimur dilectissime matris solatio, et prudentisime assistricis auxilio destituto. Verum quia mors est lex communis hominibus, quam etiam ipse auctor vite, Dominus noster Jesus Christus, dignanter est passus, ipsaque Regina preclaris meritis communita de hac vita finibili, prout pie credendum est, ad infinibilem pertransivit; decet prudenciam Regiam, casum istum, licet digne flebilem, cum patientia tolerare. Ideoque Magnitudinem Tuam hortamur et rogamus attente, quatenus premissa prudenter considerans, tuo gementi, prout decet, populo fortem animum Principis exemplum imitationis consolatorie prebiturus. Datum Avinione IIII. idus Februarii, Pontificatus nostri anno tertio.

(VI Orbán pápa regestáiból.)

204.

I. Lajos magyar és lengyel király Brazza dalmatiai szigetnek birtokában. 1381.

In Christi nomine Amen. Anno a Nativitate eiusdem millesimo trecentessimo octuagesimo primo, indictione quarta, die duodecimo mensis Maij. Regnante Domino domino nostro Ludovicho Dei gratia Serenissimo Rege Vngarie, Polonie et Dalmatie; temporeque Reverendi in Christo Patris et Domini domini Stephani Dei et Apostolice Sedis gratia Bracensis et Farrensis Episcopi; et Egregii et potentis viri domini Simonis de Auria de Janua honorabilis Comitis Bracensis et Farensis; ac nobilis viri domini Bilse Cipriani ciuis Spalatensis eius Vicarii; atque nobilium virorum dominorum Judicum Michee Nigociury, Michoij Vuladinicy, Yuan Niuchouiby. In Neresi presentibus signore Nicolao, Luca et Yurcho Radoslauicy testibus et aliis — — — Balue Rupzity de Dol vendidit jure proprii in perpetuum Maroe Gostmicy de Climatio de subtus vnam terram vuretenorum trium uel circa, uel quantumcunque sit, subtus Gasische penes terram Vsechimicy penes viam publicam, et penes Jago Dinorich, cum omnibus suis juribus et circumstantiis et pertinentiis ad habendum tenenoum et possidendum, et quidquid placuerit ipsi emtori, et suis heredibus et successoribus hinc inde perpetuo faciendum. Et hoc pro pretio librarum quinquaginta parvorum; quod totum pretium dictus venditor contentus et confessus fuit habuisse et recepisse a dicto emptore, de quibus clamavit se fore bene solutum et integre satisfactum, faciens eidem finem, quietationem, remissionem et pactum de ulterius dictos denarios non petendo. Quam terram promissit dictus uenditor per se et suos heredes et successores ipsi emtori et suis heredibus et successoribus legittime deffendere et ex calumpnia ab omni persona, et de ea litem non inferre, nec inferenti consentire, sub obligatione omnium suorum bonorum presentium et futurorum, ac reffectione dampnorum omnium, interesse et expensarum litis et extra; et juraverunt dicte partes secundum for-

mam Statutorum. Eodem die retulit Juane Prosticy cridasse dictam terram secundum formam Statutorum.

Ego Augustinus de Auria Vicarius Bracensis manum misi.

(Jegyzői jegy.) Et ego Dragota Radini ciuis Sibenicensis, Imperiali auctoritate Publicus Notarius et Judex Ordinarius, et nunc Communis Bracensis Juratus Cancellarius premissum instrumentum, prout in quaterno Ulwerii condam Jacobi Cancellarii Communis Bracie inueni, hic conscripsi meumque signum consuetum apposui ad cautelam premissorum.

(Hiteles másolat a bécsi császári titkos levéltárban.)

205.

I. Lajos magyar és lengyel király Zavissius krakói püspököt Petczyska helység birtokában erősíti meg. 1381.

In nomine Domini Amen. Nos Lodouicus Dei gracia Vngarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex notum facimus vniuersis tam presentibus quam futuris, quod in nostra constitutus presencia Reuerendus in Christo Pater dominus Zauissius Diuina et Apostolice Sedis prouidencia Episcopus Cracouiensis stb. (kérésére megerősíti anyja Erzsébet királynénak Petczyska helységre vonatkozó privilegiumát, mint fentebb 148. sz. alatt.) Datum in Wyslicia quarta feria Pentecostes anno Domini millesimo tercentesimo octuagesimo primo.

(Eredetie bőrhártyán a királynak függő pecsétje alatt, a krakkói káptalannak levéltárban. Zavissius krakkói püspök Erzsébet anyakirálynénak halála után lett I. Lajos királynak Lengyelországban kormányzója.)

206.

I. Lajos magyar és lengyel király egyességet közvetít Lipót austriai herczeg és Carrarai Ferencz paduai fejedelem közt. 1381.

Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungarie, Polonie, Dalmatie etc; notum facimus vniuersis presentes inspecturis, quod dum solempnes Ambasiatores Serenissimi Principis domini Leopoldi Ducis Austrie, Stirie, Karinthie etc. fratris, et etiam Magnifici viri et potentis domini Francisci de Carraria pro Sacro Romano Imperio Ciuitatis et Districtus Padue Vicarij Generalis amici nostrorum carissimorum, ad Nostre Majestatis de presenti venissent presenciam, asserentes et affirmantes, tam ex parte eiusdem domini Leopoldi Ducis, quam ipsius domini Francisci de Carraria, Dominorum ipsorum nominibus, iamdictos dominos eorum, inter quos racione Teruisij et Marchie Teruisane discordie erant exorte, a nostra non velle discrepare voluntate, nec a monitis et intencione nostra separari, sed in omnibus premissis nostris disposicionibus se conformare; Nos volentes, eosdem fratrem et amicum nostros dilectos sub pacis stabilire et firmare vnitate, habita deliberacione vnacum Prelatis et Baronibus nostris, ne inter eosdem durante presenti guerra inter Nostram Majestatem et colligatos nostros ex vna, parte vero ex altera Venetos emulos nostros, aliqua dissensionis amplioris super facto Teruisij et Marchie Teruisane materia seu discordia oriretur, ymmo orta sedaretur, vt per hoc tucius nos et nostri colligati ad continuandam guerram nostram predictam adversus Venetos emulos nostros intendere valeremus, pro bono agendorum deliberamus et ordinamus, volentibus et consencientibus eisdem Ambasiatoribus disponentes: Quod prefatus dominus Leopoldus Dux, et memoratus dominus Franciscus de Carraria, a modo amicabiliter et beniuole durante presenti nostra guerra contra Venetos vniri debeant. Et si contingeret dicto domino Leopoldo Duci aut suis subditis in Ciuitate Teruisij constitutis, et Marchia eiusdem, vltra composicionem nostram premissam per prefatum dominum Franciscum de Carraria vel

suas gentes aut subditos aliqua dampna, nocumenta vel iniurias irrogari vel inferri; hoc ipsum Capitaneus nominati domini Leopoldi Ducis in predicta Ciuitate Teruisij constitutus ipsi domino Francisco de Carraria debeat significare et intimare; qui dominus Franciscus de Carraria tunc debet et tenetur absque omni occasione, retractatione, seu mora aliquali, eidem domino Leopoldo Duci et suis subditis condignam, decentem, et congruam emendacionem et satisfaccionem procurare, ac facere et exhibere, dolo et fraude quibuslibet procul motis. Vbi vero ipsi domino Francisco de Carraria, suisque gentibus vel subditis, ex parte memorati domini Ducis, aut suorum subditorum alique enormitates, aduersitates seu offense inferrentur seu acciderent; tunc ipse dominus Franciscus de Carraria Capitaneo tunc in ipsa Ciuitate Teruisij existenti hoc idem significare modo simili debeat et intimare; qui eciam viceuersa eidem domino Francisco de Carraria et suis gentibus ac subditis satisfaccionem plenam et sumpmariam debeat et teneatur exhibere. In casu uero quo aliquis eorumdem Dominorum, videlicet ipse dominus Leopoldus Dux, aut prefatus dominns Franciscus de Carraria per amplius et inantea in ipsa amicicie vnione, ac in nostra disposicione premissa perseuerare et permanere nollet; tunc hoc vnus alteri suis litteris patentibus denunciare et manifestare ac intimare teneatur; et demum ipsa denunciacione facta per tres menses integros se inuicem continue sequentes, sub vera et tranquilla pacis amenitate ac pristina stabilitate stare, viuere et inuiolabiliter debeat permanere. Vbi autem aliqua predictarum partium sine manifesta denunciacione seu diffidacione, ut premittitur, durante presenti guerra aliquam iniuriam, molestiam seu offensam inferret et irrogaret; tunc nos volumus, debemus et tenemur parti iniuriam et dampnum sic indebite pacienti astare auxilio, consilio, subsidio et fauore iuxta posse; declarantes, ut exspirata presenti guerra contra iam dictos Venetos, emulos nostros, facta et conuenciones alias firmata et inite inter sepedictos dominos Leopoldum Ducem, et Fransiscum de Carraria tempore obtencionis Feltri et Veluni per ipsum dominum Ducem Leopoldum facte, simulcum litteris de et super hoç confectis, sint firma atque rata, et suis in vigori-

bus permaneant, harum nostrarum testimonio litterarum. Datum in castro nostro Gyosgewr XXVI. die mensis Junij anno Domini M. trecentesimo octuagesimo primo.

(Eredetie bőrhártyán a királynak függö pecsétje alatt, a bécsi császári titkos levéltárban.)

207.

A velenczei kormánytanács Loredano Lajos hajókapitányt 7 gályával küldi a magyarok ellen Dalmatiába. 1381.

Anno MCCCLXXXI. indictione quarta die XXVII. Junii. Capta: (Ludovico Lauredano Capitaneo Culphi) — — — cum aliis septem galeis vadat ad partes Sclauonie ad faciendum omnia maiora damna, que poterit, nostris inimicis, faciendo postea viam per partes Marchie stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVI. köt. 239. lev.; a bécsi császári titkos levéltárban.)

208.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1381.

Regi Ungarie.

Serenissime atque clementissime Princeps, spes unica nostri Communis, et huius nostri devoti populi refugium singulare. Diu est quod nobilissimus Dominus dominus Johannes Banus Macovie, Serenitatis Vestre Vicarius, et gentis Regie in Italia Capitaneus Generalis, ad hanc civitatem accessit, et per mensem et ultra, sine littere Regie presentatione permansit. Post cuius adventum Nobilis et egregius miles dominus Everardus Comes de Lando, stipendarius noster, ducentarum lanceanum Capitaneus, dimitti atque licentiari a nostris stipendiis postulabat. Cumque causam subiti sui discessus amicabiliter peteremus, idem Comes nobis exposuit, quod tres Societates, videlicet Italicorum, Teuthonicorum et

Britonum, debebant in corporis unius congeriem adunari, seque sibi velut Capitaneo velle submittere gubernandas. Et quoniam huiusmodi Societates, quasi quedam exicialis pestis, pacem patrie violantes, solummodo predandi studio hinc inde discurrunt, rapinas, incendia, capturas et homicidia committendo; civitatesque et miseros populos ad asperas redemptiones impellunt, ut nichil infestius possit, nichilque molestius cogitari, nolentes huiusmodi Societatum effici causa vel auctores, et quia etiam nos ipsos oportebat ab eis omnia mala, sicut et alios formidare, postulatam licentiam duximus denegandam. Quis enim sane mentis gentes suas, quas ad sua stipendia tenuerit in hyeme, in congregatione hostilis exercitus, ad partem contrariam profecturas tempore estivo dimitteret, et tunc, cum maxime viribus opus est, hostes augendo, suam a se potentiam separaret? Post que prefatus dominus Johannes duas nobis Majestatis Vestre litteras presentavit, unas credentie, et alteras, per quas devotionem nostram Vestra Sublimitas requirebat, quatenus cum Aretinis, qui se gubernationi atque dominio Serenissimi Principis domini Karoli Tertii Jherusalem et Sicilie Regis tradiderant, pacifice vivere deberemus. Et credentialium litterarum vigore Comitem Everardum prefatum licentiari a nobis ad servitia Majestatis Regie postulavit. Addendo, quod tam ipse dominus Johannes, quam etiam Comes, se solemniter obligarent, quod ille gentes sub domino Comite congregande, nos et nostrum territorium nullatenus infestarent; imo si forte casus accideret, pro nobis et conservatione nostri status gratiosissime militarent. Quibus, ut premittitur, postulatis non parva contrarietate perplexi, cepimus diligentiori consilio super hac materia cogitare. Cumque non solum relatione Comitis Everardi, sed etiam aliunde Societates predictas uniri in perniciem totius Italie sentiremus, mirum et incredibile visum est, talia nomine Regie Celsitudinis ordinari. An credendum est, Majestatem Vestram velle feralem predonum congeriem, que sit in omnium Italicorum exicium grassatura, quasi Regium exercitum adunari? Scimus pietatem, scimus et clementiam Vestram, scimusque Vestram humanitatem huiusmodi Societatum flagicia detestari. Quid igitur respondendum fuit, nisi quod, cum hec res foret magno

nostri status periculo, et turbationi totius Italie processura, postulatam huiusmodi licentiam negaremus; ne ingruente potentia gentium predictarum, quibus nulla fides, nulla pietas, nulla justicia, queve fas ibi statuunt, unde prede spes maxima preparatur, Commune nostrum denudatum gentibus, et opulentia nostri territorii, supra se totam hanc predatorum manum cunctis respectibus provocaret. Nec putet Vestra Serenitas, has posse gentes quavis auctoritate aut reverentia cohiberi. Tanta quidem rapiendi consuetudo mores istarum gentium depravavit, adeoque semper recentes convectare predas juvat et vivere rapto, quod vix eas Vestre Majestatis presentia contineret. Non igitur admiretur Regia Celsitudo, si, quod sine status nostri periculo consentire non poteramus; si, quod summe dementie fuisset, videlicet se gentibus in necessitatis articulo spoliare; si, quod fuisset nostri dedecoris et pudoris, causam videlicet exhibere congregationibus Societatum; si denique, quod omnino putamus, a Vestre Majestatis consilio nullatenus emanare, nostra devotio censuit denegandum. Et quoniam hanc nostram deliberationem Circumspectionem Regiam certi sumus modis omnibus laudaturam; his dimissis, ad illas alias Majestatis Vestre litteras veniamus. Quibus breviter respondemus, quod cum nostri moris sit pacifice cum omnibus circumstantibus vicinare, ob reverentiam Vestre Serenitatis, atque devotionem quam habemus ad dominum Karolum Regem novum, taliter intendimus cum Aretinis, et aliis subiectis Sue Majestatis in omnibus nos habere, quod a nobis principium nulle prorsus habebunt injurie, sed ipsorum tranquillitati et paci, iuxta posse, cum fideli consilio, diligens studium apponemus. Majestatem Vestram, cui nos devotissime commendamus, dignetur omnium rerum Opifex, cum felicibus successuum incrementis, mundo ad gloriam, celo autem ad eternam beatitudinem conservare. Data Florentie die X. Julii IIII. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. köt. 129. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

209.

Visconti Barnabás milanói fejedelemnek a florenczi köztársaság. 1380.

Domino Bernaboni.

Magnifice et Excelse Domine, frater et amice karissime. Requisivit nos cum instantia dominus Johannes Banus Macoviensis pro parte Serenissimi Principis domini Regis Ungarie, quatenus strenuum militem dominum Everardum Comitem de Lando licentiare a nostris stipendiis deberemus, ut in servitiis prefati domini Regis posset cum aliis conducendis gentibus militare. Nos autem volentes scire, quod bellum sub Regio nomine gerendum esset; cum audivimus, si pax Venetorum et Januensium non sequatur, hanc belli molem fore contra vos et vestrum territorium convertendam; licet necessarium nobis sit expensas demere; licet nos vellent, tam dictus dominus Johannes, quam Comes a future Societatis gentibus securare: nos urget requisitio Regis, cui nihil possibile potest nostra devotio denegare. Licentiam tamen postulatam, quanto magis rationabilius fieri potuit, contradiximus indulgere. Et cum inter alias non concedende licentie causas per nos fuisset specialiter allegatum, quod periculosissimum nobis esset, hoc presertim tempore, quo multa videbantur in Italia preparari, nos nostris gentibus exarmare; obtulerunt illi se tam proprio nomine, quam vice Majestatis Regie solemne promissuros, quod si ingrueret nobis periculi quid vel terroris, cum omni potentia quam haberent ad nostra subsidia, sine more dispendio properarent; nos replicando respondimus, referendo gratias et oblationes ipsorum letis animis acceptando, quod boni consilii non foret, ex diminutione potentie, sub spe futuri subsidii contra nos alios provocare. Que quidem, sicut pure et realiter gesta sunt, Vestre Magnificentie intimare decrevimus, quo fraternitatem eamdem predictam de cunctis que novimus (certiorem) reddemus. Data Florentie die XVIIII. Julii IIII. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 151. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

210.

Castello városnak a florenczi köztársaság. 1381.

Castellanis.

Amici karissimi. De vestro statu, tamquam de nostro proprio curiosi, dominum Johannem Banum, qui gentes illas, cum quibus erat Johannes Azi, conduxit ad stipendia Regie Majestatis, obnixe rogavimus, quatenus ad vestra damna non permitteret ipsas gentes accedere, sed vos deberet et nostros fines, non aliter quam nostrum territorium conservare. Qui quidem affectione sincera respondit, se nobis in hoc libentissime placiturum. Verumtamen in Johannem Azi dixit se nullam penitus habere potestatem; de aliis autem, quantum foret necessarium, ordinaret : moxque per suas litteras scripsit Comiti Corrado de Lando, quod omnino deberet gentes prefatas a vestris damnis et offensionibus abstinere. Ceterum dum hec per nos agebantur, Comes Everardus conquestus est, quod vestra Communitas se eidem in mille ducentis florenis alias obligavit, et conatus est hanc vestram securitatem modis omnibus impedire, nisi quod eidem promisimus, vobis super hoc facto scribere, quantum pro negocio suo viderimus expedire. Et sic eodem postea favente, a predicto domino Johanne, quod supradictum est, impetravimus gratiose. Quocirca prudentiam vestram sinceris affectibus exhortamur, quatenus cum prefato Comite velitis de hac quantitate modica concordare. Promissum quidem est, et ex promissione Commune vestrum est, donec solverit, obligatum. Mementote igitur, et ante mentem ponite illam sententiam Cordubensis : »Arma tenenti omnia dat, qui justa negat« ; et sicut in veteri proverbio habetur, stultus paciscitur post jacturam. Satis enim est verisimile, quod aliquando post illata vobis damna sit promissorum observantiam extorturus. Data Florentie die XXVIIII. Julii IIII. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 155. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

211.

A cortonai fejedelemnek a florenczi köztársaság. 1381.

Domino Cortonensi.

Magnifice Domine, amice karissime. Dominus Johannes Banus, nomine Regie Majestatis, quasi gentes omnes, que ad Senensium servitia militabant, ad stipendia sua conduxit, que se debeant sine more dispendio congregare. Dubitantes igitur, quod hec adunatio fieret in territorio Cortonensi; cum instantia porreximus preces nostras, quod vestros fines deberet amore nostri a vexatione congregationis huiusmodi conservare. Qui siquidem benigne respondit; et credimus, quod vestris damnis in nostram complacentiam abstinebit. Data Florentie die XXVIII. Julii IIII. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 155. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

212.

Visconti Barnabás milanói fejedelemnek a florenczi köztársaság. 1381.

Domino Bernaboni.

Magnifice et Excelse Domine, frater karissime. Quantum littere Magnificentie Vestre, quas nuper in forma breviculi transmisistis nobis insinuant, videtur Vestra Caritas informata, quod nos debeamus multas gentes a nostris stipendiis cassavisse, ex quibus per dominum Johannem Banum et Comitem Everardum Magna Societas debeat congregari, nobis fraternis affectibus suadendo melius et utilius fore, gentes ipsas ad stipendia retinere, quam mox bella gesturas contra totam patriam, a jam factis promissionibus liberare. Quibus breviter respondemus, quod sicut alias Claritati Vestre scripsimus, tam Comiti Everardo, quam domino Johanni Bano, timentes illud quod Vestre littere profitentur, et maxime quod gens ista posset, sicut innuebant, ad damna vestra converti; omnino negavimus licentiam postulatam. Sed quoniam idem Comes plurimum conquerebatur aperte, quod dicebat se nobis, si casus necessarius eveniret, inutiliter serviturum; decrevimus eum

paucis, si vos et Tuscos securare vellent, in sua libertate dimittere; ne sic videremur suis invitis servitiis indigere. Tandemque, promissione recepta, quod durante tempore, quo nobis servire debebat, quod protenditur usque ad tertiam diem Septembris, nec vos nec Tuscos offenderet, suam personam cum tredecim lanceis Domus sue, duximus a nostris stipendiis dimittendum. Et quamvis totam cohortem suam ducentarum lancearum vellet secum licentiam obtinere; nos tamen, illud quod scribitis metuentes, noluimus hoc sibi quomodolibet consentire, et licentiam, quam sibi dedimus, ne putaret nos sine eo non posse vivere, et non ob aliud, decrevimus indulgere. Occurrebat etiam nobis, quod licet ipsum, usque ad sue conducte finem, in suis obligationibus teneremus; non videbamus propterea, quod ex hoc possemus congregationem istarum gentium impedire. Addite, quod longe maius inconveniens sequebatur. Nam huiusmodi gentibus in nostris circumstantiis adunatis, interim fines sociorum fuissent cum molestia damnose vexati, et finita conducta Comitis antedicti, promptiores ad damna cunctorum infallibiliter extitissent. Nunc autem oportet, quod a vobis et nobis hoc spatio medii temporis elongentur, et quantum comprehendere possumus, in aliis partibus sua negocia procurabunt. Data Florentie die prima Augusti IIII. indictione MLCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 157. sz, a., a florenczy nagy levéltárban.)

213.

Turini békekötés I. Lajos magyar és lengyel király és szövetségesei, s a velenczei köztársaság közt. 1381.

(Ezen békekötés okmánya minden mellékaktáival együtt általunk már ki volt adva a »Történelmi Tár« XI. kötetében, Pest 1862. 1—124. ll.; miért ezen okmányoknak itt részint tartalmát röviden részint csak lajstromát közöljük.)

A fő okmány.

In nomine Sancte et Individue Trinitatis, stb. Anno Dominice Nativitatis millesimo trecentesimo octagesimo pri-

mo, indiccione quarta, die Jovis, octavo mensis Augusti, ante et circa horam hesperorum, in Civitate Thaurini Provincie Pedemoncium stb.

Inprimis stb. dicte partes inter se mutuo et vicissim, firmaverunt bonam et veram pacem Deo propicio perpetuis temporibus inviolabiliter duraturam. Item fuit actum inter dictas partes, quod omnes et singuli captivi, carcerati, et detempti parcium predictarum et cuiuslibet ipsarum, ac subditi ipsarum ubicunque sint, et penes quemcunque capti vel detempti sint, et quicunque sint, sive capti fuerint per ipsas partes vel gentes ipsarum, vel per singulares personas seu stipendiarios ipsarum parcium, et cuiuslibet earum, sive eciam si fuerint detempti in virtute seu potestate ipsarum parcium, vel quarumcunque singularum personarum, cuiuscunque condicionis et gradus sint, libere et sine aliqua redempcione, exaccione vel impedimento quocunque reali vel personali relaxentur, liberentur et expediantur et restituantur pristine libertati infra tempora, prout inter dictas partes extiterit ordinatum. Successive cum guerre, lites, discordie, questiones et controversie verterentur, verti spectarentur, et in futurum verti possent inter prefatum Serenissimum dominum Regem ex una parte, et dictum Commune Veneciarum ex altera, super eo, quod prefatus Serenissimus Rex Hungarie dicebat bucchas fluminum Gulfi ad se spectare et pertinere, et quod sibi et suis subditis licebat libere et impune ad dictas bucchas et in eis navigere, intrare et exire, immittere et exportare sal et alias quascunque merces pro sue libito voluntatis, sicut et quemadmodum in aliis partibus dicti Gulfi habet, sic eciam dicebat habere a Pulmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias, nec dicto Communi Veneciarum competere ius prohibendi ipsi domino Regi vel eius subditis introitum et exitum dictarum buccharum cum quibuscunque navigiis, rebus, et mercibus. Ac eciam diceret ipse Serenissimus Rex, quod ad aperiendum dictas bucchas et libere permittendum, ipsum dominum Regem et suos subditos, dictas bucchas et quamlibet earum intrare, exire, immittere et extrahere erat et est Commune Veneciarum eidem expresse et specialiter obligatum vigore pacis alias facte et firmate inter dictas partes, de qua apparent publice littere ipsorum dominorum Regis et Du-

cis date, Regie videlicet Jadre millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo die XVIII. Februarii, et Ducis die XXV. Februarii, ac eciam vigore juris communis et multis aliis racionibus et causis. Ex adverso vero prefatum Commune Veneciarum diceret dictas bucchas ad se pleno jure spectare, sibique legitime competere jus prohibendi et vetandi dictas bucchas et accessum ad eas, in eis, per eas, et usum earum, et quod ipsi Serenissimo domino Regi, nec eius subditis licebat contra dicti Communis Veneciarum voluntatem ad dictas bucchas accedere vel navigere, vel in eis quidcunque immittere, vel de eis extrahere contra ipsius Communis voluntatem; ac negaret dictum Commune vigore dicte pacis prefato Serenissimo Regi vel suis subditis ad predicta se fore aliqualiter obligatum, et dicto domino Regi vel subditis suis seu alicui alii in dictis bucchis jus aliquod competere quovis modo seu occasione qualibet sive causa. Finaliter dicte partes sub tractatu prefati illustris domini Amadei Comitis Sabaudie ad infrascriptam transaccionem, composicionem et pacta solempnibus stipulacionibus hinc inde intervenientibus pervenerunt in forma infrascripta, videlicet: Quod pro omni iure ipsi domino Regi et eius successoribus et subditis quocunque et qualiterunque competente navigandi per gulfum, scilicet inter dictos confines, videlicet a Pulmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias, et ad dictas bucchas, et in eis, et immittendi quascunque res et merces, et inde extrahendi ex exportandi, et pro quocunque interesse ipsius domini Regis et subditorum suorum, pro eo quod per dictum Commune Veneciarum prohibeantur uti dictis bucchis, et pro omni jure, peticione, accione et requisicione, que in eis bucchis, vel pro eis, vel earum occasione competeret dicto domino Regi, successoribus et subditis suis quomodocunque et qualitercunque, et occasione qualibet sive causa, et ut ipsi domino Regi et eius successoribus et subditis in dictis bucchis perpetuum scilencium imponatur sic et taliter, quod intra dictos limites, videlicet a Pulmentorio et ab Arimino exclusive versus Venecias navigare cum mercibus seu aliis quibuslibet victualibus sive rebus, exceptis tamen hiis, que pro victu et vestitu ipsorum quemlibet expediret, alio quam Venecias non valeat, nec possit; sine mercibus autem, victualibus et rebus predictis, cum

hiis tamen, que pro victu et vestitu ipsorum expedierint, ut supra, intra dictos limites navigare valeat et possit. Deinde Commune Veneciarum dare et solvere debeat dicto domino Regi et ejus successoribus in Regno et Corona, et ipsi Corone representanti dictum Regnum, et presidentibus pro ipsa Corona, in perpetuum annuatim ducatorum septem millia boni auri in auro et boni et justi ponderis, solvenda dicto domino Regi et ejus successoribus, et Corone, et presidentibus predictis vel thesaurariis ipsorum, et cuilibet alii habenti idoneam potestatem recipiendi solucionem predictorum septem millium ducatorum, et de ipsa solucione quietacionem, absolucionem et liberacionem debitam faciendi, per procuratorem seu sindicum dicti Communis in festo Sancti Regis Stephani vigesima die Augusti cujuslibet anni, vel ante dictum festum. Qua solucione facta quietacionem et liberacionem de receptis facere teneatur et teneantur nuncio et sindico Venetorum. Quod si nullus predictorum ibi esset, tunc consignent et deponant dictam pecunie quantitatem vel pignora aurea vel argentea infrascripta infra viginti dierum terminum inferius descriptorum. Et quod dicta pecunia risico et periculo Communis Veneciarum portetur usque ad civitatem Jadre; et ibi et ab inde in antea usque ad civitatem Bude, et in Buda per officiales et gentes dicti domini Regis, successorum et Corone debeat salva fieri, sociari et conduci risico et periculo dicti domini Regis, successorum et Corone predictorum. Sic tamen, quod si, postquam dicta pecunia pro parte dictorum Venetorum in Jadra conducta fuerit, ut prefertur, aliquo casu fortuito perderetur; intelligatur et sit dictum Commune Veneciarum liberatum penitus et quietatum de ipsa quantitate predicta. Conducatur tamen expensis dicti Communis Veneciarum, quantum de vectura et nuncio, seu sindico Venetorum. Et si dicta solucio dictis loco et tempore facta non fuerit, tunc procurator vel sindicus nomine dicti Communis Veneciarum teneatur et debeat se presentare coram supra scriptis vel aliquo eorum, quibus, ut supra, dicta solucio fieri debetur infra viginti dies proxime subsequentes, et ponere et conducere et realiter consignare eo modo, quo dicta pecunia conduci debetur, ut supra, in Buda tot pignora aurea vel argentea equivalencia dicte quantitati septem millium ducato-

rum, que pignora communi extimacione vendi possint usque ad quantitatem septem millium ducatorum. Que si facta non fuerint, ut supra, tunc incurrat Commune Veneciarum in penam ducatorum decem millium pro qualibet vice seu anno. Et si tribus annis, seu per tres vices in solucione, deposicione, et consignacione predictis dictum Commune Veneciarum cessaverit, tunc per dictum Regem, ejus successores, Coronam, et presidentes predictos singula singulis referendo, seu pro ejus parte fieri debeant protestaciones et denunciaciones contra dictum Commune Veneciarum tres, et per temporum intervalla; videlicet pro unaquaque denunciacione inter protestacionem et denunciacionem sex mensium. Que protestaciones et denunciaciones fiant coram infrascripto judice, sic tamen et taliter, quod per dictum judicem dicte tres denunciaciones et protestaciones ad noticiam dictorum Ducis et Communis Veneciarum deducantur. Et si tribus vicibus seu tribus annis continuis vel interpolatis cessatum et contrafactum fuerit, et facte fuerint, ut supra, dicte protestaciones et denunciaciones, et non fuerit soluta sors predicta in loco predicto, vel facta non esset consignacio pecunie et deposicio pignorum predictorum cum solucione dictarum penarum dicto domino Regi, vel suis successoribus, vel Corone, vel alicui predictorum nomine ipsorum recipienti, ut prefertur, et elapsa forent tempora omnia predicta; tunc duntaxat et non antea intelligentur presens pax rupta dicto domino Regi. Item quod dicto casu liceat dicto Serenissimo domino Regi et successoribus ejus in Regno et Corona petere et exigere dictas sortes sive prestaciones pro dictis annis, quibus solucio facta non esset, et dictas penas, in quas dicta occasione esset incursum. Et ultra liceat dicto domino Regi et successoribus ejus predictis uti quibuscunque juribus suis sibi competentibus in dictis bucchis, et ad eas et usum earum contra Commune Veneciarum, non obstante in aliquo presenti transaccione, nec pactis, perinde ac si facta non essent, et prout poterat ante presentem guerram. Sane tamen intellecto, quod dicto casu, occasione presentis pacis vel transaccionis, vel aliquorum contentorum in eis, sive occasione solucionis sive prestacionis dicte quantitatis septem millium

ducatorum, ad quam dicti Veneti se obligaverunt, seu aliqua occasione vel causa ex presenti pace vel transaccione, seu aliquorum contentorum in ea, dicto domino Regi nullum jus in ipsis bucchis vel aliqua ipsarum acquiratur, augeatur, vel amplietur, ultra quam haberet ante proximam presentem guerram, nec ipsi Communi Veneciarum in ipsis vel aliqua ipsarum, seu juribus suis aliquod prejudicium generetur, nec jus aliquod rupta pace, prout supra, per dictos Venetos acquisitum intelligatur dicto Communi Veneciarum, nec dicto domino Regi in aliquo diminutum. stb. Demum pro stabilimento predictorum, et ut predicta omnia et singula firma sint, et effectum et execucionem debitam assequantur, dicte partes super omnibus et singulis in presenti pace et instrumento contentis eligunt et assumunt in judicem, cognitorum et executorem omnium predictorum Sanctissimum dominum nostrum Papam, in quem et cujus jurisdiccionem et tribunal expresse consenciunt, eius jurisdiccionem expresse et solempniter prorogando. Cujus cognicioni et declaracioni dicte partes stare promittunt, et sibi invicem dare, facere et observare omne, et quicquid per ipsum Sanctissimum dominum nostrum Papam dictum, sentenciatum seu declaratum fuerit, et solucionem in terra seu loco tribunalis et judicii prefati Sanctissimi domini nostri Pape sibi invicem facere promittunt, per quem pro omnibus et singulis in presenti pace contentis voluerunt contra dictas partes et quamlibet earum realiter et personaliter, temporaliter et spiritualiter posse et debere procedi stb. Item cum in pace antiqua alias facta inter prefatum Serenissimum dominum Regem et Commune Veneciarum contineatur, quod dominus Dux et Commune Veneciarum renunciet de facto in manibus prefati domini Regis Hungarie et successorum ejus toti Dalmacie; nuncque dicti Sindici, procuratores et Ambaxatores domini Ducis et Communis Veneciarum nomine dictorum dominorum Ducis et Communis Veneciarum in pace presenti renunciant effectualiter de jure et de facto in manibus supradictorum dominorum Episcoporum, procuratorum et actorum dicti domini Regis recipiencium nomine dicti domini Regis et successorum suorum in Regno et Corona, toti Dalmaciae, a medietate scilicet

Quarnarii usque ad confines Duracii tanquam ab antiquo de jure Regno et Corone Hungarie spectanti et pertinenti. Item fuit actum inter dictas partes, quod super facto Stendalis Sancti Marci de Segna et jurisdiccionis Consulatus quam Commune Veneciarum in loco Segne obtinet, sit et esse debeat in eleccione Serenissimi domini Regis et dominorum Comitum Segne simul in hac forma videlicet: Quod si disposuerint vel elegerint Stendale et Consulatum de Segna tolli, quod hoc casu dicti domini Comites de Segna carere debeant omnibus et singulis beneficiis, honoribus, privilegiis, pactis et convencionibus, que haberent in Veneciis et cum Communi Veneciarum, nisi tamen ipsi domini Comites Segne ostenderint se in Veneciis et cum Communitate Veneciarum habere alia privilegia, honores, beneficia pacta et convenciones alia occasione, quam occasione dictorum Stendalis et Consulatus, que dicti de Veneciis habent in loco Segne. Quo casu illa alia, que alia occasione ostenderent se habere, et in posterum habeant non obstante remotione dictorum Stendalis et Consulatus. Item fuit actum et solemniter conventum inter dictas partes, quod omnes subditi Regis, et precipue Jadratini, tam in Civitate Veneciarum, quam in quibuscunque terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari et mercaciones facere, et alia quecunque, que et prout ante presentem guerram facere poterant. Et quod dicti subditi Regii, et precipue Jadratini, per Commune Veneciarum et ejus officiales benigne et favorabiliter tractentur, sine aliqua injuria, vel offensa. Sane semper intelligendo, quod per presens capitulum, nec aliqua in ipso contenta, non intelligantur dicti subditi Regii seu Jadratini navigare seu mercari posse in dictis bucchis, nec aliis locis in presenti instrumento prohibitis. Et versa vice dicti Veneti et subditi eorum in Regno Hungarie, et terris et locis sibi subditis, possint et valeant tute et secure mercari et mercaciones facere, et alia quecunque, que et prout ante presentem guerram facere poterant. Et quod dicti Veneti et eorum subditi per prefatum Serenissimum Regem et ejus officiales benigne et favorabiliter tractentur sine aliqua injuria vel offensa. Et ultra predicta, quod dicti Jadratini usque ad annos viginti singulis annis et quolibet anno, et alii Dalmatini usque ad dic-

tos annos viginti singulis annis et quolibet anno, possint et valeant, et eis conceditur et concessum esse intelligatur per dictum Commune Veneciarum, portare vel portari facere ad dictam Civitatem Veneciarum tot res seu merces ex illis, que nascuntur vel extrahuntur de territorio dicti domini Regis, que valeant ducatorum triginta quinque millia auri, videlicet dicti Jadratini valorem ducatorum viginti millium, et alii Dalmatini valorem ducatorum quindecim millium. Qnas res et merces ad dictam Civitatem Veneciarum per dictos Jadratinos et Dalmatinos delatas vel transmissas, vendere et vendi facere, et alio quocunque titulo alienare possint in dicta Civitate Veneciarum quibuscunque personis eis placuerit, eciam non Venetis. Et in dicta civitate Veneciarum dicti Jadratini et Dalmatini emere et alio quocunque titulo acquirere possint singulis annis et quolibet anno ex dictis annis viginti tantam quantitatem mercium mobilium, que valeant dicta triginta quinque millia ducatorum, dividenda inter dictos Jadratinos et Dalmatinos pro rata predicta, a quibuscunque personis etiam non Venetis. Et ipsas merces portare possint Jadram et Dalmaciam, et ad alias partes subditas dicto domino Regi, ipsis Jadratinis et Dalmatinis solventibus tam portando quam extrahendo, et tam ementibus quam vendentibus gabellas, dacia, pedagia, et alia onera consueta, que per Venetos tantum solvuntur. Et quod per dictum Commune Veneciarum licencia concedatur quibuscunque non Venetis emendi a dictis Jadratinis et Dalmatinis, ut supra, et similiter eisdem vendendi absque aliquo banno sive pena. Et hoc singulis annis pro quantitatibus et usque in quantitates contentas in presenti capitulo; dummodo per predicta non intelligatur, quod dicti Jadratini et Dalmatini possint Venecias portare salem, nec immittere vel extrahere de Veneciis ea, que Veneti proprii immittere vel extrahere non possunt. Et sic predicta fiant sine dolo, et tali cautela adhibita, quod salvis predictis et concessione predicta Commune Veneciarum defraudari non possit. Item per dictum Commune Veneciarum conceditur et concessum intelligatur in perpetuum dictis Jadratinis, quod eisdem liceat emere in Veneciis et inde extrahere cupos, seu tegulas et matrones tantum pro construccione et reparacione edificiorum suorum absqe

solucione alicujus pedagii, dacii vel gabelle. Item fuit solemniter conventum et actum inter partes predictas nominibus antedictis, quod Commune Veneciarum, nec aliquis officialis ejusdem, non possit facere aliquod statutum, decretum vel provisionem specialem contra subditos dicti domini Regis, et precipue contra Jadratinos, seu in ipsorum prejudicium, generaliter vero statuere et ordinare liceat pro libito voluntatis. Item fuit actum et conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod bona immobilia singularum personarum existencia in Veneciis vel territorio dicti Communis Veneciarum, que tempore inchoacionis presentis guerre erant aliquorum subditorum dicti domini Regis, seu per eos possidebantur, restituantur eisdem, et in eo jure possessionis et dominii, quo tenebantur tempore inchoationis presentis guerre. Et eodem modo omnia bona immobilia singularum personarum de Veneciis vel eorum territorio existencia in territoriis prefati Serenissimi domini Regis dictis singularibus personis restituantur in eo jure possessionis et dominii, quibus tenebantur ante presentem guerram. Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod de debitis, ad que subditi unius partis tenebantur subditis alterius partis tempore inchoacionis presentis guerre, fiat justicia perinde ac si presens guerra non occurrisset. Item quod Veneti cum aliqua galea vel galeis armatis intrare non possint aliquem portum de catena dicti domini Regis seu subditorum suorum contra voluntatem habitancium seu tenencium dictum portum. Item fuit actum et specialiter conventum inter dictas partes dictis nominibus, quod dicto domino Regi restituantur omnes terre, loca et castra, que per Commune Veneciarum tenentur, que dicto Domino Regi ablate fuissent per Venetos tempore presentis guerre, et specialiter civitas et castrum Chatari. Et versa vice dictis domino Duci et Communi Veneciarum restituantur omnes terre, loca et càstra, que per dictum dominum Regem tenentur, que dicto domino Duci seu Communi Veneciarum ablata fuissent tempore presentis guerre stb.

B) Mellekokmányok.

1. A magyar király és a velenczei köztársaság követei közti egyesség, hogy a kötött békesség iránt vitatkozás ne

támasztathassék, mig az egyház egysége helyreállitva nem lesz, Turinban 1381. augusztus 8-kán.

2. A magyar király és a velenczei köztársaság követeinek egyessége Cattaro városról. Turin 1381. augusztus 16-kán.

3. Amadé Savoyai gróf nyilatkozata a turini békekötés körüli azon kétség iránt, ha vajjon a békesség megszegése esetében a szövetségesek kölcsönös segitségre köteleztetnek-e? Turinban 1381. augusztus 22-kén.

4. Contareno Endre velenczei dogénak de Ripa Jakab cattaroi parancsnokhoz intézett parancsa, hogy a várt és várost a magyar király meghatalmazottjának átadja. Velencze 1381. september 7-kén.

5. De Georgiis Pál, a magyar király meghatalmazottjának elismerése, hogy Cattaro vára és városa neki átadatott. Cattaro 1381. september 26-kán.

6. De Ripa Jakab velenczei parancsnok ellenirata. Cattaro 1381. september 27-kén.

7. A velenczei köztársaság ratificalja a turini békekötést. Velenczében 1381. october 4-kén.

8. A velenczei köztársaság elfogadja Amadé savoyai herczeg intézkedését, hogy a 7000 aranynyi első évi fizetését 1381-re nézve ne szent István, hanem karácson napján tegye. Velenczében 1381. october. 11-kén.

9. A magyar király követeinek elfogadása. Velenczében 1381. october 11-kén.

10. A velenczei doge és nagy tanács, a magyar királyhoz követeket küldvén, nekik részletes utasitást ád. Velenczében 1381. october 25-kén.

11. I. Lajos magyar király ratificálja a turini békekötést. Diósgyőr, 1381. november. 26-kán.

12. I. Lajos király helybenhagyja a követei és a velenczei követek közti egyességet, hogy a turini békekötés iránt vitatkozás ne támasztathassék, mig az egyház egysége helyreállitva nem lesz. Diósgyőr, 1381. november 26-kán.

13. I. Lajos magyar király ünnepélyes elismerése, hogy Cattaro vára és városa neki átadatott. Diósgyőr 1381. november 26-kán.

14. I. Lajos magyar király megbizása Bálint pécsi és

Pál zágrábi püspökök számára, hogy a velenczei követekkel tárgyaljanak. Diósgyőr 1381,

15. I. Lajos magyar király Bebek Imre dalmát és horvát bánnak meghagyja, hogy a velenczei köztársaság emberei iránt ezen túl barátsággal legyen. 1381.

16. I. Lajos magyar király Bebek Imre dalmát és horvát bánnak meghagyja, hogy a velenczei köztársaság embereinek a tőlök elfoglalt földek vissza adattassanak. 1381.

17. I. Lajos magyar király Bebek Imre dalmát és horvát bannak meghagyja, hogy pénzbeli követeléseik tekintetében a velenczei hitelezőknek elégtétel történjék 1381.

18. I. Lajos magyar király levele a velenczei köztársasághoz Tenedosra nézve a turini békekötése tárgyában. Budán, 1382. martius 21-kén.

19. A velenczei nagytanács határozata, midőn I. Lajos magyar haláláról értesült.

20. Azon követek utasitása, kiket a velenczei köztársaság I. Lajos magyar király halála után Mária királynéhoz küldött.

21. Mária és Erzsébet magyar királynék Györgyöt boszniai püspököt követül küldik Velenczébe, kinek jelenlétében a velenczei dogé és annak tanácsa a turini békességet esküvel megerősitsék. Budán 1383. april 25-kén.

22. A velenczei nagy-tanács végzése a köztársaság Magyarországból visszatért követeinek jelentésének folytán. 1383. Május 4-dikén.

23. A velenczei dogé és annak tanácsa Mária és Erzsébet magyar királynék követének jelenlétében a turini bekességet esküvel erősitik meg. Velenczébeen 1383. május 15.

24. A velenczei nagy-tanács Dandolo Saraczént választja követnek Magyarországba, kinek jelenlétében I. Mária magyar királyné a turini békekötést esküvel megerősitse.

25. A velenczei nagy-tanács Dandolo Saraczént küldi Magyarországba, hogy annak jelenlétében Mária és Erszébet magyar királynék a turini bekességet esküvel erősitsék meg. Velenczében 1383. julius 6-kán.

26. I. Mária és Erzsébet magyar királynék a turini békességet esküvel erősitik meg, Budán 1383. september 5-kén

27. Zsigmond magyar király Demetert csazmai prépostot és Zánfői Jánost küldi követekül Velenczébe, kiknek jelenlétében a velenczei doge és tanácsa a turini békekötést esküvel megerősitsék. Budán 1387. april 23-kán.

28. Zsigmond király esküvel kötelezi magát a turini békesség megtartására, Csazmán 1387. augusztus 23-kán. stb. stb.

(A velenczei államkönyvekből, névsz. a »Liber Pactorum« VI. a »Copia de Commemoriali» II. és VIII. sz. a., s a »Misti« XXXVII. és XXXVIII. köteteiből.)

214.

Bologna városnak a florenczi köztársaság. 1381.

Bononiensibus.

Fratres karissimi. De intentione gentium, que congregate inveniuntur in Tuscia sub titulo Regie Majestatis Hungarie, nichil certum habemus, nichilque vobis et aliis possumus affirmare; nisi quod processus ipsarum ex hoc pendere videntur, quod si pax inter Januenses et dominum Bernabonem speratum sortiatur effectum, ad servitia Serenissimi Principis domini Karoli Terti Jerusalem et Sicilie Regis sunt in Apuleam profecture. Si autem contingat, prefate pacis tractatui desiderate conclusionis impedimentum afferri, creduntur in Lombardiam, nisi forsan aliud obstiterit, ascensure. Que licet ita ferantur, sicque velint harum gentium capita reputari; nos tamen videmus, ob defectum pecunie, que res magnis obstare consuevit inceptis, nisi festinanter remedium apponatur, omnem hunc apparatum intra sue fame principia constituturum. Nichilominus tamen, sicut petitis, nostras gentes ad militandum accingere curabimus et parare, ne vobis aut aliis colligatis possit ex ipsarum congregatione vel transitu aliquod damnum aut periculum imminere. — — — — — — — — — — — — — — — —

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 158. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

215.

A velenczei köztársaságnak a florenczi köztársaság. 1381.

Venetis.

Magnifice et Excelse domine Frater et amice karissime. Ineffabili jocunditate perfuse gaudio, quod explicare non possumus, exaltaverunt mentes nostre, visis Fraternitatis Vestre litteris, que pacem inter glorisissimam Majestatem Regis Hungarie, fratres nostros Magnificos Januenses, Dominum Paduanum ac alios ex una parte, et Commune Vestrum ex altera fuisse conclusam, nobis spetialiter nuntiaverunt. Quid enim gratius, quidve iocundius potuit intimari, quam audire, Fraternitatem Vestram, honorabiliter presertim, sicut scribitis, ex tam ancipitis belli periculis ad securitatem pacis et concordie pervenisse? Lete sunt victorie, gloriosi sunt triumphi, nec non magnificum est ulcisci iniurias, et hostem Marte judice superare; set longe letius, gloriosius, et magnificentius est, simul cum hoste recondere gladios, exultare im pace, et a bellaci strepitu se in tranquillitatis dulcedinum vendicare. — — — — — — — — — — — — — —

(Eredeti fogalmazvány a »Signore, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 161. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

216.

János macsói bánnak a florenczi köztársaság. 1381.

Domino Johanni Bano Macoviensi.

Magnifice Domine, amice karissime. Audivimus ea que nostri Oratores pro parte Vestre Nobilitatis nobis verbotenus retulerunt, circa id quod potebamus per Vestram Amicitiam declarari, si nos oporteret durante termino, pro quo gentes ille ad servitia Regia sunt adstricte, quomodolibet dubitare. Nec alia fuit responsio, quam totus noster Populus cogitaret: quid enim hostile, quidve damnosum formidare debemus de gentibus, que Vestro ductu, Vestrisque consiliis gubernantur. Gratias igitur referimus Nobilitati Vestre, quod in hoc nostra spes fuit et nostra confidentia non frustrata. Unum dolemus,

quod illam pecuniam, quam mutuo petebatis, non videmus ad presens, quomodo sit nobis possibile facere mutuari. Pro stipendiis siquidem cassatorum et conducendorum persolutionibus sumus ad presens expensis taliter onerati, quod nullo modo, quod nobis summe displicet, vobis possumus complacere. Super quo placeat Caritati Vestre excusationes et impotentiam nostram benigne et amicabiliter acceptare. Paratos nos offerentes, quantum possibilitas ipsa permitteret, vobis in omnibus complacere. Data Florentie die XVIIII. Septembris IIII. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 169. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

217.

I. Lajos magyar és lengyel királynak a florenczi köztársaság. 1381.

Regi Hungarie.

Sereuissime atque Invictissime Princeps, et huius Vestri devotissimi populi spes atque refugium singulare.

Contineri non potuit ille vividus ardor et sincerus innate devotionis affectus, quo tota nostra Civitas, et quicquid per universum terrarum orbem Florentini nominis sparsum est, ad Culmen Vestre Serenitatis afficitur, quoque totius gloriosissimi Sanguinis Vestri seriem cum reverentia veneratur; contineri quidem non potuit, intuens felicissimos successus victoriosissimi Principis et Domini domini Karoli Tertij incliti Jerusalem et Sicilie Regis, quin apud Sublimitatem Vestre Celsitudinis exultemus. Quid enim devotioni nostre jocundius, quidve letius potuisset occurre, quam videre prefatum Serenissimum Principem, gloriosam memoriam Karoli Primi progenitoris Vestri, eodem Dei favore, paribusque victoriis, ne dicamus maioribus renovare? Ille quidem Manfredum vicit, et Corradinum victoriosissime superavit. Hic autem peritissimum rei bellice Principem dominum Ottonem Ducem Brunsvicensem cum valida Theutonicorum manu castra tenentem, et maxima sui suorumque fiducia pugnam audacissime postulantem, prima castrorum appropinquatione prostravit; de-

mumque cum omni suarum virium apparatu obsesse coniugi ferre subsidium molientem, maximo fuso exercitu cepit et vicit; et debitum sanguini Vestro Regnum sexaginta trium dierum spacio mirabiliter acquisivit; ut tanta terrarum spacia, tot gentes, tot castra, tot urbes pugnando devicerit, quod difficile foret, nullis etiam obstantibus in eorum dierum numero circumire. In quibus, cum plurima tanti Principis merita videamus, utpote qui tantum bellum, tam dubium, tamque arduum negocium audacter inceperit, prudenter direxerit, et fortiter consummarit, ut nec animus videatur eidem, nec consilium, nec incepta prosequendi constantia defuisse. Omittamus felicitatem, ipsam pro certo celeritatem satis non possumus admirari. Cumque manifestissime cognoscamus, ea supra mortalium vires fore; quis dubitare potest, hec omnia a sola Dei clementia provenire? Ex quo nullus debet, qui rationi consentire voluerit, dubitare, omnium rerum conditorem Deum in hoc sui vicarii causam, vestramque repetendi Regni justiciam declarasse. Ipsi itaque Deo, qui gregem suum, gregisque pastorem et gloriosissimum vestrum sanguinem non reliquit, sed hunc exaltans, illum contra scismathicam apostasiam confirmavit, sit laus et gloria, non quanta potest a nobis concipi, sed quantam cognoscimus ei deberi. Videmus enim intra Regie stirpis genus, que semper fuit et erit populi nostri presidium, dominationem terrarum Ecclesie citra Farum, sicut semper desideravimus, confirmatam: videmusque hunc gloriosissimum Regem novum se talem Communi nostro, cunctisque Florentinis, benignis affectibus exhibere, quales se sui progenitores gloriosissimi prebuerunt. In quo proposito dignetur Serenitatis Vestre clementia, cum commendatione ceptorum, et recommendatione devotionis nostre per vestras litteras confirmare. Ceterum expectat forsitan Vestra Sublimitas, quod de gentibus quas Magnificus Dominus dominus Johannes Banus Macoviensis sub Vestre Majestatis nomine congregavit, aliquid nostrarum litterarum officio referamus. Super quo noverit Vestra Serenitas, quod ab eodem domino Johanne vice Vestre Celsitudinis requisiti, licet omnis adunatio gentium sit toti patrie solito suspiciosior et damnosa, sciamusque conflari exercitus cunctis circumstantibus displicere, quod in urbe

nostra tractaret, de quibuscumque vellet gentibus conducendis non solum patientiam dedimus, sed assensum. Et quod plus est, Comitem Everardum, in quo multum nostra Communitas confidebat, a stipēndio nostro dimisimus, quem idem dominus Johannes Banus, vice Vestra specialiter et instantissime postulabat, ut preficeret gentibus adunandis. Hinc igitur magna pars hominum, hinc prefatus Comes, et dominus Johannes Hauend maximi ductores gentium sunt assumpti; hic soluta stipendia, et denique dici potest, hic fuisse factum quicquid in hoc extitit ordinatum. Tanta quidem fuit et est huius populi ad Celsitudinem Serenitatis Vestre devotio, quod contra morem nostrum permisimus hec fieri, qui consuevimus, gentium congregationibus, dictis et factis obsistere, easque modis omnibus prohibere. Sed devotioni nostre nefas inexpiabile visum est, jussiones Majestatis Vestre negligere, aut adunationem Regalis exercitus, quasi raptorum manum, que coniurarent in patriam, obviare; putantes huiusmodi gentes honorem et negocia Regia debere viriliter prosequi, non in miserorum dispendium adunari. Miramur tamen, quod tum idem dominus Johannes, exercitus Vestre Majestatis Capitaneum in Italia se prescribat, quod magno cum populorum dispendio, sicut solent pestifere societates, hinc inde discurrat; dubitamusque, quod has gentes sub illis maximis societatum ducibus in fine dimittat, que per Italiam debachantes, compellant ad redemptionem populos et affligant. Eapropter Vestre Clementie cum humilitatis clementia supplicamus, quatenus ne Vestre Majestatis requisitionibus obsequentes, reddamur cunc- Italie Dominis atque populis odiosi; dignemini eidem domino Johanni et gentibus vestris injungere, quod se debeant ab huiusmodi vexationibus abstinere, et quod nobiscum, Celsitudinis Vestre peculiaribus filiis, se amicabiliter habeant, et finitis stipendiis vestris, nostrum territorium non offendant; nex pro Serenitatis Vestre beneplacitis adunationem huiusmodi permittentes, offensionis bellice premia referamus. Data Florentie die XXIII. Septembris IIII. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 175. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

218.

A genuai köztársaságnak a florenczi köztársaság. 1381.

Januensibus.

Magnifice et Excelse Domine, frater et amice karissime. Pacem contractam inter Serenissimam Majestatem Domini nostri domini Regis Ungarie, vos et colligatos vestros ex una parte, et Magnificos fratres nostros, Commune Venetiarum ex altera, nobis per vestras litteras ad jocunditatis cumulum nuntiatam, et jam pridem, et in vestrarum scriptionum presentatione, leta mente percepimus, et in ea vobiscum maxima gratulatione nostrarum mentium exultamus. Que quidem tanto letior sensibus nostris accessit, quanto molestior nobis. quam aliis erat illa feralis belli discordia, que tot annis cum totius Christianitatis dispendio vos involvit. Quid erat videre, fratres karissimi, tot hinc inde terrestres exercitus, tantosque per utrumque mare classium bellicos apparatus? Quid erat aspicere vos et illos duos Italie potentissimos populos, terra marique tanti sanguinis impensa, tanto pecuniarum profluvio, tamque obstinatis odiis decertare? stb. — — — — — — Data Florentie in reversione cursoris die VI. Octobris V. indictione MCCCLXXXI.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XIX. kötegében 177. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

219.

A florenczi köztársaságnak egyezkedése a János macsói bán parancsnoksága alatt Olaszországban harczoló magyar sereg vezéreivel. 1381.

In Christi nomine Amen. Anno Domini ab eius Incarnatione millesimo trecentesimo octogesimo primo, indictione quinta, die trigesimo mensis Octobris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini domini Urbani Pape Sexti. Magnifici Milites, dominus Johannes Augud Anglicus, et dominus Everardus Comes de Lando Capitanei; Henricus Al-

timbergh, et Yvon Johannis Marescalli Societatis ad presens existentis in loco infrascripto, et dominus Ubfus de Calisten, Gianichinus Frichil, Robinus Bus et Amerigus Ungarus Consiliarii ad infrascripta per dictos Capitaneos deputati pro se ipsis et quolibet eorum, et vice et nomine Magnifici Domini, domini Johannis Bani Macoviensis, Sacre Regie Majestatis Ungarie in partibus Italie Locumtenentis, eiusque exercitus Capitanei Generalis; ac Comitis Corradi de Lando et Petri de Veris, et omnium et singulorum qui in dicta Societate sunt, seu in ipsa erunt vel intrabunt, durante tempore infrascripto, pro quibus et quolibet eorum, de rato et ratihabitione promiserunt et convenerunt, ex parte una: et nobilis vir Spinellus Luce Alberti Ambaxiator Communis Florentie, vice et nomine Communis ipsius ex parte alia, pro utilitate et comodo dictarum partium, infrascriptam concordiam, conventiones et pacta fecerunt; videlicet: Imprimis namque prefati dominus Johannes, dominus Everardus, Henricus Yvon, dominus Ulfus, Gianichinus, Robinus et Amerigus, considerantes amorem, quo afficiuntur a Commune Florentie, promiserunt et convenerunt stipulatione solempni Spinello Luce supradicto, recipienti et stipulanti vice et nomine Communis Florentie, et omnium et singulorum quorum interest, aut posset quomodolibet interesse, non offendere, gravare vel molestare, per se vel alium seu alios, aliqua ratione, modo, jure vel causa, de jure vel de facto, directe vel indirecte, tacite vel expresse, aut aliquo colore quesito, aut per dictam Societatem, seu ad requisitionem vel instantiam alicuius Communis, domini Regis, vel Principis, etiam si tales forent, qui de jure non possint, aut non intelligantur in verbis generalibus comprehendi, qui ex nunc, cuiuscumque gradus vel dignitatis, aut preeminentie existant, habeantur pro expressis et nominatis, et tamquam si de ipsis facta foret mentio specialis; Communitatem, Comitatum vel Districtum Florentie, aut terras vel territoria in quibus dictum Commune Florentie habet aliquam juridictionem, preheminentiam sive custodiam, aut censuarios, vel recommendatos prefati Communis, et maxime Civitates et Communia Pistorii et Vulterrarum, Collis Vallis Else, Mutiliane et Galeate, aut cives, comitatinos, districtuales, vel incolas predictarum Civi-

tatum, Communium et locorum, aut alicuius eorum, ac etiam contra predictos vel aliquem eorum, damnum, iniuriam, molestiam vel offensam, etiam ad petitionem vel instantiam alicuius non inferre, vel inferri facere; sed Commune Florentie et omnes alios supradictos amicabiliter pertractare, in modum Societatis, vel tamquam Societatis hinc ad decem octo menses proxime futuros; et in modum stipendii aut provisionis, vel alio quovis modo hinc ad tres menses proxime venturos, et infra ipsos terminos et tempora. Item si casus accideret, dictam Societatem velle transire, durantibus dictis temporibus, per territoria supradicta vel aliquod eorum; quod Capitanei eiusdem teneantur et debeant ante eorum ingressum in territoria supradicta notificare dicto Communi Florentie per quinque dies ante eorum adventum, ita quod dictum Commune possit suorum subditorum indemnitatibus providere; et tunc ire teneantur gentes Societatis predicte per vias eisdem assignandas per Commune predictum, et non aliunde, stando et transeundo in totum per duos dies et non ultra; ita quod infra duos dies, incipiendo die qua intraverint territorium vel territoria alicuius dictorum locorum, debeant vocuasse Civitates, terras et territoria supradicta; et in huiusmodi transitu habere debeant victualia pro pretio competenti, emendando omne damnum, quod per eos vel eorum aliquem inferretur. Item quod Commune Florentie possit, sibique liceat observare omnes eius colligationes et pacta cum quocumque et seu quibuscumque facta et inita, ac etiam prestare omne auxilium et favorem, etiam suarum gentium armigerarum, cuilibet colligato et amico Communis eiusdem etiam contra predictam Societatem et gentes ipsius, prout dicto Communi placuerit. Item quod Commune Florentie in recompensationem omnium predictorum, teneatur et debeat dare et solvere dictis Capitaneis, Marescallis et Consiliariis, aut aliquibus ex eis, recipientibus pro se ipsis et Societate predicta, florenos auri quinquemilia. Item quod Commune predictum teneatur dare et concedere transitum quibuscumque gentibus accedere volentibus ad Societatem predictam per sua territoria; ita tamen, quod huiusmodi transire volentes teneantur et debeant facere promissiones et obligationes similes suprascriptis; alias transitus

possit ipsis talibus gentibus denegari; dummodo pro huiusmodi promissione et obligatione nullam debeant habere pecunie quantitatem. Item quod omnes et singuli suprascripti Capitanei, Marescalli et Consiliarii teneantur et debeant eorum sigilla inferius apponere ad maius robur promissionum dictarum. Que omnia et singula supra et infra scripta promiserunt et convenerunt dicte partes sibi invicem et vicissim stipulatione solempni, videlicet una alteri, et e converso nominibus antedictis, perpetuo firma, rata et grata habere, tenere, observare et adimplere, et contra non dedisse vel fecisse, nec modo aliquo facere vel venire per se vel alium aut alios, aliqua ratione, occasione, modo, jure vel causa, de jure vel de facto, directe vel indirecte, tacite vel expresse, aut aliquo colore quesito, sub pena et ad penam florenorum auri mille in singulis capitulis huius contractus in solidum promissa stipulatione solempni. Que pena toties committatur, peti et exigi possit, quotiens fuerit in aliquo contrafactum; qua pena commissa, soluta vel non, predicta omnia firma perdurent. Renuntiantes in predictis beneficio et exceptioni non sic celebrati contractus, exceptioni doli, conditioni sine causa et ex iniusta causa, in factum actioni, omnique alii legum et juris auxilio. Pro quibus omnibus et singulis observandis et adimplendis, obligaverunt prefati Capitanei, Marescalli et Consiliarii se ipsos et eorum quemlibet, et Societatem predictam, et omnes, quorum nominibus agunt, et eorum et cuiusque ipsorum heredes, equos, arma, res et bona presentia et futura; et dictus Spinellus obligavit Commune Florentie, ipsiusque jura et bona omnia. Acta fuerunt predicta in Comitatu Assisii, loco dicto in Sala Romanesca, in claustro Ecclesie fratrum Minorum Beati Francisci; presentibus testibus Petro domini Jacobi de Tolomeis, et Francisco Materaze civibus et Ambaxiatoribus Communis Senarum; Angelino de Osterich Theutonico, Guillelmo Rimbalduccij Mazerio dominorum Priorum Civitatis Florentie, et pluribus aliis ad predicta vocatis, habitis et rogatis.

(Jegyzői jegy.) Ego Benedictus filius olim ser Landi quondam Fortini civis Florentinus Imperiali auctoritate Judex Ordinarius ac Notarius Publicus, predictis

omnibus dum agerentur et fierent modo et forma premissis interfui; eaque rogatus scripsi et publicavi una cum ser Jacobo infrascripto; ideoque me subscripsi et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy.) Ego Jacobus Taddey Simonis de Re — — — — — — Vicariatus Perusie (?), Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Judex Ordinarius, predictis omnibus, dum agerentur et fierent modo et forma premissis, interfui, et licet scripta manu prefati Notarii (?) supradicti, una a cum eodem rogatus scribere subtus me in testimonium subscripsi, signo quoque meo consueto et nomine publicavi.

(Eredetie, a kapitányok pecsétjei hiányoznak; »Atti pubblici Archivio delle Riformagioni« XXXIX. köt. 40. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

220.

I. Lajos magyar és lengyel király meghatározza a Staniantzi lengyelországi zárda kmeteinek (jobbágyainak) szabadságát. 1381.

In nomine Domini Amen. Gloriosus Deus in Sanctis suis, et mirabilis in Mayestate, etsi cunctos suos ministros magnificet, altis decorat honoribus, et celestis efficiat beatitudinis possessores; illos tamen, vt dignis digna rependat, pociorıbus attollit insignijs dignitatum, et premiorum vberiori retribucione prosequitur, quos digniores in diligenti promotione ipsarum religionum, ac in benigna Divini cultus augmentacione agnoscit. Proinde Nos Ludovicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, etc. huius Sacri Eloquij exemplo docti pariter et informati, ad cunctorum noticiam volumus deuenire, ob remedium salutis nostre et successorum nostrorum, solliciti de Divini cultus salubri multiplicacione, in ipsis religionibus, et cum Ecclesia Sanctimomalium Conuentus et Monasterij in Stananthki, Ordinis Sancti Benedicti, Dyocesis Cracouiensis, ingenti meritorum excellencia apud nos recommendetur; nos cum eadem volentes agere generose,

ipsam et eius bona hereditaria, et omnes ac singulos eorum kmethones seu iobagiones ubilibet constitutos, ex nostra munificencia Regali ab omnibus exaccionibus, seruicijs, solucionibus, collectis, angarijs et perangarijs, quibuscumque nominibus censeantur, si quas uel que per consuetudinem seu quocumque alio iure nostri predecessores et nos habuerunt et habuimus in eisdem, absoluimus, liberamus, et eximimus nos penitus harum serie litterarum. Sed dumtaxat in signum dominij Regie Majestatis volumus pro nobis habere et nostris successoribus a quolibet kmethone villarum seu hereditatum Monasterij predicti, de manso quolibet seu laneo possesso singulis annis in festo Sancti Martini Confessoris, quatuor grossos monete in Regno Polonie communiter decurrentis pro nostra Camera Regia et successorum nostrorum, cum vna mensura siliginis, et duabus auene, debito modo planatis et non cumulatis, iuxta modum Cracouiensem, quas predicti kmethones seu iobagiones in dicto festo Sancti Martini tenebuntur dare, exsolvere et firmiter assignare. Ceterum ijdem kmethones seu iobagiones prefati Monasterij, pro nostra Curia Regali, ipsis tamen propinquiori, duos dies infra vnius anni spatium singulis annis, vnum scilicet tempore messis ad metendum, recolligendum et recollecta in horreo reponendum; et alium ad falcandum, falcata congregandum et debito modo in allodio ordinandum sint astricti. Hoc tamen adiecto, quod cum personaliter nos aut successores nostros, vna cum incolis dicti Regni Polonie, ad aliquam generalem expedicionem extra limites Regni ire contigerit, extunc ab hominibus seu iobagionibus predicti Monasterij pro nobis et successoribus nostris caritatiuum subsidium licite postulabimus; dummodo talis generalis expedicio suum sortiretur effectum. Si vero ad aliquam talem expeditionem generalem edictam fuerit postulatum et receptum caritatiuum subsidium per nos et successores nostras, et aliquo casu seu impedimento eadem expedicio non deduceretur ad finem, seu aliquo quouis modo inpediretur; extunc pro futura et sequenti simili expedicione nichil penitus dare debebunt, nisi prius dicta pecunia pro expedicione tali generali fuerit per dictos nobiles exposita et deseruita. Similiter autem caritatatiuum subsidium postulabimus, si et quan-

do filium seu filiam nostram maritare, aut nupcias pro liberis nostris, vel successores nostri pro ipsorum faciemus, seu facient; vel ipsos seu alterum eorum coronari ad Coronam dicti Regni acciderit et contingat. Homines vero seu iobagiones Monasterij predicti pro eo subsidium caritatiuum per omnia, ut supra, tenebuntur dare, et sine contradiccione assignare. Volumus etiam, et ex innata nobis benignitate decernimus, pretextu recolligende pecunie nullus Rotariorum (igy) seu eciam ministerialium quicquam exigat seu requirat, nisi vnum grossum de qualibet villa. Preter autem premissa nichil omnino ab Ecclesia Monasterij et Conuentus predictorum in Stananthki Sanctimonialium, vel hominibus et personis eorundem volumus exigere seu extorquere. In quorum omnium testimonium presentes litteras fieri iussimus, et sigilli nostri autentici munimine roborari. Actum Cracouie in crastino Beate Katherine Virginis et martiris gloriose, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo. Datum per manus venerabilis viri Johannis Radlicye Cancellarij Supremi Regni nostri Polonie predicti.

(Eredetie bőrhártyán, a Staniautzi zárda levéltárban.)

221.

I. Lajos magyar és lengyel király első évi nyugtatványa azon 7000 aranyról, melyeket a velenczei köztársaság a turini békekötésnél fogva a magyar koronának évenként fizetni tartozott. 1381.

In Christi nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indiccione quarta, die Martis vigesimo sexto mensis Novembris. Cum in contractu pacis nuper, scilicet die octavo mensis Augusti proxime elapso facte et firmate in Civitate Taurini, interventu et laudabilibus operibus Excelsi et Illustris Domini domini Amadei Comitis Sabaudie inter Reverendos Patres dominos Valentinum Quinque-Ecclesiarum et Paulum Zagrabiensis Ecclesiarum Episcopos, procuratores et legatos Serenissimi et Invictissimi Principis, Domini domini Ludovici, Dei gracia Hungarie etc. Regis, pro-

curatorio nomine prefati domini Regis ex una parte; et nobiles ac sapientes viros Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno, Procuraturem Ecclesie Sancti Marci, honorab iles Ambaxiatores, Syndicos et procuratores Excelsi et Illustris Domini domini Andree Contareno, Dei gracia Ducis Veneciarm etc. et Communis Veneriarum, syndicario et procuratorio nomine ejusdem domini Ducis et Communis Veneciarum ex altera parte, inter cetera contineatur, quod dictum Commune Veneciarum dare et soluere debeat dicto Serenissimo domino Regi et ejus successoribus in Regno et Corona, et ipsi Corone representanti Regnum, et presidentibus pro ipsa Corona in perpetuum annuatim ducatorum septem millia boni auri et in auro, et boni et justi ponderis, solvenda dicto domino Regi et eius successoribus et Corone, et presidentibus predictis vel thesauraiis ipsorum, et cuilibet alii habenti ydoneam potestatem recipiendi solucionem predictorum septem millium ducatorum, et de ipsa solucione quietacionem, absolucionem et liberacionem debitam faciendi per procuratorem seu syndicum dicti· Communis in festo Sancti Regis Stephani vigesimo die Augusti cuiuslibet anni, vel ante dictum festum; qua solucione facta, quietacionem et liberacionem de receptis facere teneantur et debeant nuncio et syndico Venetorum. Verum de prestacione dictorum septem millium ducatorum fienda prefato domino Regi pro anno presenti, quia propter temporis brevitatem non poterat fieri ad terminum ordinatum, conventum et contentatum fuit per utramque partem, quod prelibatus dominus Comes Sabaudie de termino dicte prestacionis fiende posset statuere sicut vellet; qui dominus Comes statuit et ordinavit, quod dicta solucio primi anni fieret in festo Nativitatis Domini proximo vel ante, si fieri posset, sub modis et formis contentis in capitulo dicte solucionis. Idcirco prefatus Serenissimus dominus Rex pro se et Majestate sua Regia et successoribus suis et sponte ex certa sciencia fuit confessus, contentus et manifestus, se et dictam Majestatem suam habuisse et recepisse, et Magnifico militi domino Nicolao Zambo thesaurario et nuncio suo data, soluta et numerata integre fuisse septem millia ducatorum boni auri et in auro, et bonni et justi ponderis, a nobilibus et sapientibus

viris Leonardo Dandulo et Fantino Georgio militibus, ambaxiatoribus, syndicis procuratoribus et nuuciis prefati domini Ducis et Communis Veneciarum ad hec et alia exercenda specialiter constitutis, ut constat instrumento syndicatus eorum scripto manu Leonardi de Lanzoletis Imperiali auctoritate Notarii et Ducatus Veneciarum scribe suprascriptis anno, indiccione, die Lune septimo mensis Octobris ibi a me Notario infrascripto viso et lecto; dantibus, solventibus, et numerantibus syndicario et procuratorio nomine snprascripto, et de propria pecunia predicti Communis Veneciarum pro primo anno solucionis predicte completura in fcsto Sancti Regis Stephani vigesimo die Augusti, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo proxime venturi. Renuncians ipse dominus Rex excepcioni non habitorum, receptorum et numeratorum ac designatorum suprascriptorum septem mille ducatorum, et spei future, et excepcioni doli mali et in factum. Unde prefatus Serenissimus dominus Rex pro se et successoribus suis supradictis dominis ambaxiatoribus et syndicis prelibati domini Ducis et Communis Veneciarum recipientibus nominibus, quibus supra, per Aquilianam stipulacionem precedentem et acceptilacionem legitime substitutam, fecit finem, remissionem, quietacionem et pactum de ulterius non petendo de supra scriptis septem mille ducatis, et de omni eo et toto, quod prefata Majestas Hungarie petere vellet seu posset causa et occasione soluciones primi anni. Quam quidem contentacionem, finem, et remissionem, et omnia et singula suprascripta prelibatus dominus Rex pro se et successoribus suis promisit suprascriptis syndicis et procuratoribus dicti domini Ducis et Communis Veneciarum stipulantibus et recipientibus nominibus, quibus supra, attendere et observare, et non contrafacere vel venire aliqua racione vel causa, de jure vel de facto, sub pena duppli damni et interesse, et sub obligacione bonorum Regie Majestatis Hungarie mobilium et immobilium, presencium et futurorum. Actum in Diosgeur in castro prefati domini Regis, in camera penes stupam parvam, presentibus Reverendis in Christo patribus dominis Valentino Quinque-Ecclesiarum Decretorum Doctore, Ladislao Varadiensis, Paulo Zagrabiensis, Johanne Chanadiensis Ecclesiarum Episcopis, venerabili-

bus viris dominis Georgio Boznensis, Nicolao Chazmensis Ecclesiarum Prepositis; Magnificis viris dominis Petro Zudar Ruzie Regni Vajvode, Georgio Bubek Magistro Tavernicorum Reginalium, Emerico Bubek Regnorum Dalmacie et Croacie Bano, et aliis pluribus ad premissa vocatis et rogatis.

Ego Galuanus quondam ser Bartholomei de Castro Baldo Civis Paduanus Publicus et Imperiali autoritate Notarius et Judex Ordinarius, ipsiusque domini Episcopi Quinque-Ecclesiarum scriba, premissis omnibus interfui et ipsa per prefatum Serenissimum dominum Regem requisitus fideliter scripsi et in hanc formam publicam redegi sub meo signo et nomine consuetis.

(A »Libri Pactorum« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 94. l.)

222.

I. Lajos magyar és lengyel királynak adománya Zavisius krakkói püspök számára. 1381.

In nomine Domini Amen. Ineffabilis Diuiue altitudo sciencie stb. Nos Lodouicus Dei gracia Rex Vngarie, Polonie, Dalmacie, Croacie etc. (villam Persezecz cum allodio dicto Crusicza in Terra Sandomiriensi, Districtu Noue Ciuitatis Corczyn prope Biechow sitam; et domum ligneam cum turri lapidea in Castro Cracouiensi situatam Zauisio Episcopo Cracouiensi perpetuo donat, et instar aliorum bonorum Episcopalium elibertat). Actum Cracouie in vigilia Concepcionis Sancte Marie Virginis Gloriose anno Domini MCCCLXXXI. Presentibus stb.

(Eredetie bőrhártyán, a pecsét elveszett, a krakkói káptalan levéltárában.)

223.

I. Lajos magyar és lengyel király utasitása István titkára és itélőmestere számára, kit követül küld Velenczébe. 1381.

Primo laudabilem et amicabilem Regie Maiestatis salutacionem offerat Magnifico et potenti domino Duci, Consilio et Communitati Veneciarum amicis suis, et eo honore, quo decet.

Secundo dicat, quomodo ipse dominus Rex de amicicia inter ipsos utrumque ex novorum pactuum unione contracta indubius manet, firmus stat et confisus minime hesitans, quin ipsi Veneti amici sui ad complacencias eidem domino Regi exhibendas benevolos et gratos se offerant in his signanter, que amicie sunt et hononis; quod vice reciproca ab eodem domino Rege sperare habent indubitantes. Verum quia memoratus dominus Rex Magnifico Domino Paduano, communi amico, sit in quinquaginta mille vel paulo plus florenorum summa obligatus, de quibus eidem satisfacere omnino dispositus habetur; considerans, quod ipse Paduanus certa pecuniarum quantitate obligatus existat eisdem Venetis; Veneti autem domino Regi singulis annis in festo Beati Regis Stephani septem millia ducatotum solvere sunt astricti, ut pacta demonstrant; ideo petit ipse dominus Rex, quatenus Dux, Consilium et Commune Veneciarum septem annorum solucionem in antea fiendam, que summam faceret quadraginta novem millium ducatorum, nomine hujusmodi solucionis debende Domino Padue in sua solucione Venetis fienda, defalcare velint contemplacione domini Regis. Super quibus septem annorum integre revolvendorum solucione ipse dominus Rex eisdem Venetis quietancias dabit sufficientes; subjungendo, quod expletis et terminatis hujusmodi annis ad solucionem deinde faciendam, prout in pactis continetur, sint adstricti et alligati in premissis et omni dicto domino Regi gratam complacenciam et sinceram amiciciam ostendent. Ceterum hujusmodi quietacionum litteras dominus Rex eisdem transmittet ad Venecias in termino eis placido et convenienti, et si consencient in hoc Regie Majestati, extunc Domino Padue non velint instare de tanta pecu-

nia solvenda ipsis et eorum Communitati. Datum in Diosgueur penultimo die mensis Decembris anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo.

(A »Copia de Commemoriali« czimű államkönyv VIII. kötetéből 112. l.)

224.

I. Lajos magyar és lengyel király titkárat Czicher Istvánt követül küldi Velenczébe. 1382.

Ludovicus Dei gracia Vngarie, Polonie, Dalmacie etc. Rex.

Carissimi amici. Mittimus ad vestri presenciam fidelem nostrum Secretarium Protonotarium honorabilem virum Stephanum dictum Czicher harum oblatorem, de certis intencionibus nostris vestre amicicie fiducialiter exponendum sufficiencius informatum; summis dexideriis deprecantes, quatenus eidem Stephano in dicendis nostris pro parte ista vice fidem credulam et indubiam velitis adhibere. Minime dubitamus, quin ea que dixerit, effectui gratuito et desiderato mancipetis. Data die secunda mensis Januarij anno millesimo trecentesimo octuagesimo secundo.

Kivül : Magnifico potenti Domino domino Andree Contareno Duci, nec non nobilibus et sapientibus viris Consilio et Communitati Veneciarum, amicis nostris carissimis.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VIII. köt. 112. lap.)

225.

III. Durazzoi Károly siciliai királynak adománya Miklós Magyarországból vele jött udvarnoka számára. 1382.

Karolus Tertius Dei gratia Jerusalem et Sicilie Rex, Prouincie et Forcalquerij ac Pedimontis Comes uniuersis presentis priuilegij seriem inspecturis tam presentibus quam futuris. Regalis Excellentie dignitas eo laudanda titulis subli-

matur immensius, quo obsequentium sibi merita gratiarum prosequitur exhibitione. Condigna est enim inter alia, que per Regiam munificentiam impenduntur gratia retributionis; acceptior, que tanto potius recipientium mentes in obsequiorum impendio et fidei deuotione corroborat, quanto ipsorum merita dignis rependijs recompensat. Actendentes igitur et in nostre mentis examine reuoluentes sincere deuotionis et fidei merita Nicolosi Johannis Vngarj Cubicularij, familiaris et fidelis nostri dilecti, grata quamplurimum vtilia et accepta seruitia per eum Maiestati nostre fideliter prestita tam intra quam extra Regnum, nullis persone sue parcendo periculis, laboribus et expensis, queue prestare non desinit, et speramus eum inantea de bono semper in melius prestiturum; ex quibus idem Nicolosus beneficium gratitudinis nostre promeruit et congrue retributionis nostre sibi gratiam uendicauit, vt ipsius obsequiositatis impendium dignum agnoscamus rependio premiorum: eidem Nicoloso ac suis vtriusque sexus heredibus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, inperpetuum feudum quod dicitur de Caleno, alias Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitanj; ac fuedum Limate, quod alias fuit quondam Santie de Madalono, ad manus nostre Curie ex justis causis legitime et rationabiliter deuoluta; et feudum Casalitellj, quod fuit quondam nobilis mulieris Francisce de Sancto Flamundo, ad manus nostre Curie per ipsius Francisce obitum sine legitimis liberis decedentis, vt ponitur, rationabiliter deuolutum, situm et positum in Ciuitate Calerj et eius pertinentijs et Districtu; siquidem fendum ipsum Casalitellj per ipsius Francisce obitum absque legitimis heredibus ut prefertur, uel ex alia causa quacunque sit ad manus nostre Curie rationabiliter deuolutum, cum omnibus vassallis, juribus, rationibus et pertinentijs suis omnibus, ac sub consueto et prestari solito feudali seruitio seu adoha etc.; prout tota forma scriptum est in alio quaterno priuilegiorum presentis anni quinte indictionis vsque sub data Neapolj per virum Magnificum Johannem de Vrsinis Comitem Manuppellj Logothetam et Prothonotarium Regni nostri Sicilie, Consiliarium, collateralem nostrum dilectum, anno Domini millesimo

CCC.LXXXII. die XIII. mensis Januarij quinte indictionis Regnorum nostrorum anno primo.

(Ugyanazon Durazzoi III. Károly királynak 1382. mártius 13-ki megerősitéséből mint alább 230. sz. a.)

226.

III. Durazzoi Károly siciliai királynak összeszámítása bizonyos kereskedőkkel, Magyarországból eltávozasa óta tett költségekre nézve. 1382.

Certis mercatoribus.

Significamus vobis, quod iuxta informationem datam nostre Curie per te Angelum pro toto preterito tempore, numerando silicet a primo die redditus nostri de Vngaria quo in alio statu eramus, qui fuit infra annum quartedecime indictionis proximo preterite, et usque per totum mensem Januarij anni quarte indictionis nuper elapse, visam et examinatam per Thesaurarium nostrum invenitur te recepisse — — — — etc. Die XXII. Januarij V. indictionis Regnorum nostrum anno primo.

(A »Registri Angioini« 358. számú kötetéből, Reg. Caroli III. 106. l.)

227.

A velenczei nagytanácsnak válasza I. Lajos magyar és lengyel királynak követségére. 1382.

Anno MCCCLXXXI. indictione V. die XXX. Januarii. Capta: Cum Serenissimus dominus Rex Hungarie per Secretarium Prothonotarium suum Stephanum cum suis litteris credulitatis nobis exponi fecerit ambaxiatam suam in hac forma, videlicet:

Quia ipse dominus Rex est Magnifico Domino Padue obligatus in quinquaginta mille florenis vel paulo plus, de quibus dominus Rex ipse est omnino dispositus satisfacere ipsi Domino Padue; considerans ipse dominus Rex, quod Dominus Padue est nobis obligatus in certa pecuniarum quantitate per formam pacis, et quod nos et Commune nostrum Veneciarum

sumus obligati ipsi domino Regi singulis annis in festo Sancti Stephani solvere ducatos septem mille, sicut in pactorum et pacis forma continetur etc. Ideo requirit et petit, quod nobis placeat solucionem septem annorum in antea fiendam, que summa capiunt quadraginta novem millia ducatorum nomine huiusmodi solucionis debende per dominum Regem Domino Padue in solucione nobis et Communi nostro fienda in Veneciis per Dominum Padue difalcare pro contemplacione domini Regis, quia ipse dominus Rex nobis et Communi nostro dabit de predictis quitancias sufficientes etc. Vadit pars, quod respondeatur dicto Ambaxiatori et Nuncio domini Regis intellecta ambaxiata sua predicta nobis sapienter exposita, quod disposicio nostra est sincerissima et optima in complacendo Serenissimo domino Regi Hungarie in omnibus possibilibus et cum leto et bono corde; sed quantum ad factum pecunie, in qua tenetur nobis et nostro Communi Dominus Padue vigore pacis nuper celebrate, sic dicimus et est veritas : Quod primam pagam pecunie antedicte recepimus ad terminum ordinatum et in pace contentum, scilicet de mense Octobris proxime elapsi M.CCC.LXXXI., que pecunia sive prima paga fuit statim distributa et posita in expensis neccessariis pro factis nostris; secundam vero pagam fiendam ad Pascha de mense Aprilis proximo jam cum maximis solemnitatibus, stricturis et obligacionibus inrevocabilibus deputavimus multis, quibus tenemur, qui mutuarunt denarios nostro Communi in guerra proxime preterita, nec possemus eis deficere de promissis, nisi cum manifesto preiudicio et onere nostri Dominii; quod sumus certissimi, quod dominus Rex nollet ullo modo. De tercia vero paga nobis fienda per Dominum Padue ad Pascha de mense Aprilis proximo usque unum annum proximum, sumus contenti ipsi Domino alacriter complacere secundum requisicionem Sue Regie Maiestatis, sicut in cedula ambaxiate continetur; que tercia et ultima paga est ducatorum septemdecim millium vel circa.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVII. kötet. 102. l.)

———

228.

I. Lajos magyar és lengyel királynak üzenete ezen válaszra. 1382.

Primo qualiter Serenissimus Princeps dominus Ludovicus Rex Hungarie etc. pridie de mense Februarii significabat domino Duci et Communitati Veneciarum amicis suis, quomodo ipse obligabatur domino Francisco de Padua communi amico in quinquaginta millibus ducatorum vel paulo plus racione ejusdem mutui contracti; ipse vero dominus Rex senciens, quod idem dominus Paduanus ex pactis pacis Communitati Veneciarum certis terminis solvere habet quinquaginta millia ducatorum; ideo rogabat prefatus dominus Rex ipsam Communitatem Veneciarum amicabiliter, quatenus eadem Communitas de solucione annuali, qua ex pactis et conclusione pacis inite sibi, heredibus et successoribus suis, ac Corone Regni Hungarie singulis annis in festo Beati Stephani Regis de mense Augusti, et in perpetuum septem millia. ducatorum solvere sunt astricti, septem annorum solucionem dicto domino Regi faciendam, que in summa se extendit ad quadraginta novem millia ducatorum, eidem Domino Paduano in solucione domini Regis facienda diffalcare placeat amore Regie Majestatis. Ad quem passum Regi sic responderunt per litteras bullatas, videlicet quod libentissime complacuissent dicto Regi in premissis et in toto; sed quia ipse Dominus Paduanus primam pagam persolverat; et secundam pagam per ipsum de mense Aprilis modo preteriti faciendam certi cives Veneciarum sub firmis condicionibus promiserant et diviserant, quam honore ipsorum salvo revocare non valebant, et de hoc impossibilitas eos redderet excusatos. Sed de tercia et ultima paga, quam ipse Dominus Paduanus dicte Communitati Veneciarum facere haberet, in summa videlicet sedecim millium sexcentorum sexaginta sex ducatorum et duabus terciis de ducato, eidem domino Regi ad racionem solucionis annorum eidem faciende volentes animo alacri complacere; imo id ipsum liberaliter obtulerunt, prout eorum littere bullate, que hic habentur, clare testantur. Que summa ducatorum se extendit ad annos, videlicet septem millium duca-

torum, Domini millesimum trecentesimum octuagesimum tercium; item residua duo millia sexcenta sexaginta sex ducati et due tercie de ducato pro parte aliqualis solucionis sunt anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto.

Quam oblacionem Rex prefatus animo gratanti acceptavit et acceptat, et de tam amicabili oblacione domino Duci et Communitati Veneciarum, amicis suis, refert graciarum acciones, dispositus eisdem grate vicissim in his, que amiciciam et honorem respiciunt, complacere.

Et super premissa oblacione, videlicet sedecim millium sexcentorum sexaginta sex ducatorum et duarum terciarum de ducato littere domini Regis quietacionis et absolucionis, prout petere possunt in litteris Ducalibus bullatis, hic habentur et exhibebuntur sufficientes. Item vero, quia hujusmodi solucio sedecim millium sexcentorum sexaginta sex ducatorum et duarum terciarum de ducato se extendunt ad duorum annorum soluciones et partem solucionis anni ex tunc sequentis; videtur dicto domino Regi magis clarum fore, ut sibi complaceant in tribus annis sese immediate sequentibus, videlicet de secunda solucione septem millium ducatorum pro anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo; item de tercia solucione pro anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo tercio; item de quantitate solucionis pro anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, ne unus predictorum annorum in solucione dividatur, petit ipse dominum Rex, quatenus condescendant sibi ad dictos tres annos, que faciunt summam viginti unius millium ducatorum. Ex quibus millibus Dominus Paduanus difalcet ultimam eis faciendam, et de residuo eidem Domino Paduano satisfaciant in anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto nomine domini Regis; et de hujusmodi satisfaccione velint ipsum Paduanum certificare.

Item ubi ipsa Communitas volet complacere domino Regi ad tres annos, ut premittitur, de quo ipse Rex non affidat, sed pocius sperat; extunc velint attendere amicabiliter ad ea concludenda, que obtulerant per litteras bullatas eorum, et ipsum Paduanum habere quietum et absolutum de ultima paga eis facienda per litteras, ut moris est.

Item tam super prima oblacione difficacionis page Domi-

no Padue fiende juxta oblacionem domino Regi factam, quam eciam super peticione et absolucione trium annorum per dominum Regem petitorum, littere Regie Majestatis habentur sufficientes et idonee, que in specie, quando placebit, exhibebuntur.

Item petit dominus Rex, quatenus velint ipsum per litteras eorum certificare de integritate corporis Sancti Pauli primi heremite. Nam in una manu dicti corporis tres digiti non habentur.

Super premissis dignetur facere responsum domino Regi amico eorum, quod eis videbitur et mihi Regio Ambaxiatori.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 138. l.)

229.

III. Durazzoi Károly siciliai királynak adakozása De Bace Lőrincz Magyarországból vele jött udvarnoka számára. 1382.

Laurentius Stephani Thebachi de Vngaria »familiaris et fidelis noster dilectus pro gratis, fructuosis et obsequiose devotionis et fidei meritis vtilibusque servitijs prestitis, queve prestare non desinit« habet pro se et »heredibus suis« vncias auri centum triginta annuas.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Carolo III. 54. l., a k. olasz nápolyi nagy levéltárban.)

230.

III. Károly sicilia király megerősíti azon adományt, melyben udvarnokát Miklóst részesítette. 1382.

Karolus Tertius etc. Justitiario Terre Laboris et Comitatus Molisij uel eius Locumtenentj fideli nostro gratiam et bonam voluntatem. Scire te uolumus quod Nicoloso Johannis Vngaro Cubiculario familiarj et fidelj nostro dilecto pro se et

suis heredibus priuilegium nuper concessimus subscripte per omnia seriei.

Karolus Tertius stb. (következik a király adomány levele mint fentebb 225. sz. a.)

Vt itaque jamdictus Nicolosus ac dicti sui heredes assequantur realiter huiusmodi concessionis et gratie nostre fructum; volumus et fidelitati tue de certa scientia nostra harum serie mandamus expresse, quatenus eundem Nicolosum seu personam aliam legitimam pro eodem in possessionem dictorum feudorum per nos vti predicitur concessorum, cum hominibus, vassallis, juribus, rationibus et pertinentijs suis omnibus supradictis et in prescripto nostro priuilegio declaratis inducas seu induci mandes et facias auctoritate presentium corporalem, tenendorum et possidendorum per eos in feudum inmediate et in capite a nobis ac dictis nostris in Regno nostro heredibus et successoribus sub feudalj seruitio supradicto iuxta prescripti priuilegij seriem et tenorem; et recepto prius per te ab hominibus et vassallis eisdem pro nobis et heredibus et successoribus ipsis nostris fidelitatis debito juramento, deinde mandes et facias eidem Nicoloso uel suo pro eodem procuratori seu nuncio ab hominibus et vassallis eisdem, iuxta vsum et consuetudinem dicti Regni nostri, assecurationis debite sacramenta prestari, sibi intendj et responderj de omnibus, in quibus rationabiliter tenentur et debent, iuxta eiusdem priuilegij seriem atque mentem fidelitate nostra, dicto quoque feudali seruitio Curie nostre debito nostris alijs et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. Facturus fierj de executione presentium cum forma earum tria puplica consimilia instrumenta; quorum vno tibi retento, alio dicto Nicoloso uel eius procuratori seu nuncio tradito, reliquum ad Curiam nostram mictas inibi pro cautela ipsius Curie conservandum. Datum Neapolj per eundem virum Magnificum Johannem de Vrsinis Comitem Monuppellj Logothetam et Prothonotarium Regni Sicilie, collateralem, Consiliarium et fidelem nostrum dilectum. Anno Domini millesimo CCC.LXXXII. die XIII. Martij V. indictionis, Regnorum nostrorum anno primo.

(A »Registri Agioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 43. l.; a kir. olasz nápolyi nagy levéltárban.)

231.

III. Károly királynak adakozása János Magyarországból vele jött udvarnoka számára. 1382.

Johannes Petri Vngari familiaris et devotus habet pro gratis et plurimum acceptis servitijs per eum tam infra quam extra Regnum Sicilie fideliter prestitis cum persone sue periculis et oneribus expensarum, queue prestat ad presens, vncias viginti quatuor annuas vita sua durante. 1382. 13. Martij.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 153. l., a kir. olasz nápolyi nagy levéltárban.)

232.

III. Károly siciliai királynak adakozása udvarnoka Székely Mihály számára. 1382.

Karolus Tertius etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Exaltat potentiam Principum munifica remuneratio subiectorum; quia recipientium fides crescit ex premio, et alij ad obsequendum deuotius animantur exemplo. Actendentes igitur sinceritatem deuotionis et fidei Seclimigalis Vngarj familiaris nostri deuotique dilecti, grata quamplurimum acceptaque seruitia per ipsum Seclimigalem Maiestati Nostre fideliter prestita, tam intra quam extra Regnum nostrum Sicilie, cum persone sue periculis et oneribus xpensarum, queue prestat ad presens et speramus eum i nantea nostro culmini de bono in melius prestiturum. Vt proinde ipsum prosequamur grato rependio premiorum; eidem Sedimigali ex nunc inantea vsque ad nostrum beneplacitum de annuis vncijs auri viginti ponderis generalis, percipiendis per eum anno quolibet, dicto nostro beneplacito perdurante atque mandato, in et super juribus, redditibus et prouentibus cabelle pilorum seu lane terre nostre Baroli duximus harum serie proprij motus iustinctu liberalitate mera, certa nostra scientia et specialj gratia prouidendum, lege seu constitutione contraria, et presertim ea que alienationem rerum seu jurium demanialium siue fiscalium fieri prohibet, quam in hoc casu de certa

nostra scientia tollimus ac viribus et efficacia vacuamus, aliquatenus non obstante, quibuscunque etiam literis et mandatis in contrarium factis et quomodolibet faciendis sub quacunque forma serie et expressione verborum, per quas seu que effectus presentium impediri posset in aliquo uel differrj, presenti nostre gratie dicto nostro durante beneplacito valituro nullatenus obstituris. Ita quidem, quod ipse Seclimigalis predictus vncias viginti per annum percipiat et habeat dicto nostro beneplacito perdurante in et super juribus et prouentibus antedictis, ipsasque teneat inmediate et in capite a nostra Curia, nullumque alium preter nos in superiorem et dominum exinde recognoscat, seruireque proinde teneatur et debeat nobis et nostre Curie cum vna lancea, si et quando per Maiestatem Nostram fuerit propterea requisitus; quod seruitium dictus Seclimigalis in nostri presentia constitutus sua bona et gratuyta uoluntate facere sicut predicitur obtulit et promisit. Inuestientes dictum Seclimigalem de presenti nostra prouisione et gratia per anulum nostrum modo premisso presentialiter, vt est moris; quam inuestituram vim et efficaciam vere ac realis perceptionis ac habitionis dictarum annuarum vnciarum viginti in et super juribus, redditibus et prouentibus antedictis dicto nostro perdurante beneplacito volumus et decernimus obtinere. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fierj, et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Datum Neapolj per virum Magnificum Johannem de Vrsinis Comitem Manuppolli Logothetam et Prothonotarium Regni Sicilie, anno Domini millesimo CCC.LXXXII. die XIIII. Martij V. indictionis, Regnorum nostrorum anno primo.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 19. l., a kir. olasz nápolyi nagy levéltárban.)

233.

III. Károly siciliai királynak adakozása Magyarországból vele jött udvarnoka Balázs számára. 1382.

Karolus Tertius etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Benemeritis Principem

prouidere fidelibus etsi gratie plenitudo suadeat, obsequiorum quodamodo gratitudo compellit. Actendentes igitur, et in nostre mentis acie delectabiliter intuentes vtilia, grata plurimum et accepta seruitia Nostre Maiestati tam intra qnam extra Regnum nostrum Sicilie fideliter et cum animi promptitudine prestita per Balaxum Vngarum familiarem et devotum fidelem nostrum, nullis suis parcendo periculis, laboribus et expensis, queue prestat ad presens, et speramus eum inantea continuacione laudabilj prestiturum; ex quibus ipsum dignum dominica nostra prosecutione censemus: eidem Balaxio de vncijs auri viginti quattuor ponderis generalis per annum percipiendis per eum, quamdiu scilicet vixerit, super juribus, redditibus et proventibus cabelle scannagij seu sanguinis animalium buczarie terre nostre Barolj duximus de certa nostra scientia et speciali gratia tenore presentium prouidendum. Ita quidem, quod dictus Balaxius ipsa sua vita durante huiusmodi prouisionem annuam vnciarum vigintiquattuor de supradictis juribus, redditibus et prouentibus inmediate et in capite a nostra Curia teneat et possideat, nullumque alium preter nos ac heredes et successores nostros superiorem et dominum exinde recognoscat, seruireque teneatur perinde nobis seu nostre Curie cum lancea vna etc. (ut supra in privilegio Seclimigalis). Datum Neapoli per virum Magnificum Johannem de Vrsinis. etc. Anno Domini M.CCC.LXXXII. die XV. Martij V. indictionis, Regnorum nostrorum anno I.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 19. l. a kir. olasz nápolyi nagy levéltárcan.)

234.

A velenczei köztársaságnak I. Lajos magyar és lengyel király. 1382.

Carissimi Amici. Ex litteris vestris nobis oblatis sane colligimus, quomodo Johannes Mudatio Baiulus et Capitaneus vester de Tenedo ipsum locum Tenedi juxta vestra promissa et formam pacis firmatam Ambaxiatoribus Magnifici domini Comitis Sabaudine minime curaverit assignare, sed ductus nequam

spiritu ipsum locum Tenedi contra proprium juramentum et fidelitatis vinculum vobis debitum in suum dominium usurpavit, de quo immensam displicenciam et cordialem suppressissetis dolorem etc. Super quo Amicicie Vestre vobis plurimum clare respondemus : Quod omni dubio semoto non hesitamus, id, quod per dictum Capitaneum in facto Thenedi accidit contra formam pacis, non immerito inducit nobis materiam displicencie et doloris; ac revera credimus, talia non de vestro animo processisse, cum semper firmi et constantes soliti estis manere et stare in pactis et promissionibus vestris. Subjungentes vobis cedi ad honorem, omnia ea, que in pactis firmata habentur, duci debitum ad effectum. Date Bude XXI. mensis Marcii M.CCC.LXXX. secundo.

Ludovicus Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Rex.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 120. lev.)

235.

I. Lajos magyar és lengyel királynak utalványa, hogy a velenczei köztársaság a neki a turini békekötésnél fogva az 1382. 1383. és 1384. évekre járó külön külön 7000, összesen 21,000 aranyt, meghagyásának folytán Carrarai Ferencz paduai fejedelemnek fizesse. 1382.

Nos Lodovicus Dei gratia Hungarie, Pollonie, Dalmatie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Commanie, Bulgarieque Rex, Princeps Salernitanus et Honoris ac Montis Sancti Angeli Dominus, notum facimus universis presentes literas inspecturis pro nobis heredibus et successoribus nostris, publice recognoscentes, quod Illustris et Magnificus dominus Andreas Contareno Dux, Consilium et Communitas Venetiarum, amici carissimi nostri, ac Regni Hungarie perpetui debitores annis singulis in septem millibus ducatorum boni auri justique ponderis in festo Beati Stephani Regis in singulo mense Augusti nobis, heredibus et successoribus nostris persolvendis obligati juxta formam pactorum pacis hinc inde vi-

gentis initorum pro tribus annis, videlicet pro secunda solutione septem millium ducatorum Nostre Maiestati per ipsos fienda in festo Beati Stephani Regis de mense Augusti proxime venturo anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, item de tertia solutione septem milium ducatorum similiter fienda in dicto festo de mense Augusti de millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, item de quarta solutione septem millium ducatorum in eodem festo Beati Stephani Regis de mense Augusti fienda de millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, que quidem tres solutiones dictorum trium annorum ascendunt summam viginti et unum millia ducatorum boni auri ac justi ponderis. Que quidem viginti unum millia ducatorum in nostris, heredum et successorum nostrorum personis Magnifico et potenti domino Francisco de Carraria seniori domino Padue amico communi vice et nostrorum nomine recipienti, et in compensam aliqualem debiti, quod nos eidem sumus debitorie obligati acceptanti, dederunt et plenarie satisfecerunt de eisdem. Super quibus quidem viginti et uno millibus ducatorum auri vice et nomine nostris per prefatum Dominum Padue in compensam aliqualem debiti sui receptorum et integre habitorum memoratos dominum Andream Contareno Ducem, Consilium et Communitatem Veneciarum in nostra, heredum et successorum nostrorum personis quietamus, absolvimus, liberamus et reddimus pro dictis tribus solutionibus, ut supra, expeditos; spondentes pro nobis, heredibus et successoribus nostris predictis bona fide absque omni dolo et fraude, prefatos dominum Ducem, Consilium et Commune Venetiarum pro dictis tribus annis superius expressatis, facientibus viginti unum millia ducatorum, ratione solutionis dictorum trium annorum, ut supra, nostris in personis Domino Padue facte, amplius non impetere seu ullo modo, ingenio, colore vel causa inquietare qualibet occasione et exceptione remota, sub Nostre Maiestatis sigilli appensione testimonio literarum. Presentibus Reverendissimo in Christo Patre domino Demetrio tituli Sanctorum IV Coronatorum Presbitero Cardinali, Gubernatore Metropolis Strigoniensis, Supremo Cancellario Regni Hungarie, domino Nicolao de Gara eiusdem Regni Comite Palatione, nec non domino Nicolao de Zeech Judice

Curie Nostre Maiestatis, qui huiusmodi quietationis testes sunt pro certitudine ampliori. Datum Bude prima die mensis Aprilis in predicto anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo secundo.

(A »Copia de Commemorali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 163. l.).

236.

A velenczei kormánytanácsnak engedélye, hogy Pál zágrábi püspök számára egy gálya felszereltessék, melyen a szent földre utazhasson. 1382.

Anno MCCCLXXXII. die X. Aprilis. Capta. Cum Reverendissimus in Christo Pater dominus Isagrabiensis cum maxima instancia rogaverit alias nostros Ambaxatores, qui fuerunt ad partes Hungarie, quod dicerent nostro Dominio, quod ipse posset armare in Venecia unam galeam ad suas expensas pro eundo ad Sanctum Sepulcum pro sua maxima devocione, mutuando ei solum corpus galee cum furnimentis; vadit pars pro omni bono respectu: Considerata optima dispositione sua ad honorem nostri Dominii, quod concedatur sibi, quod possit ad suas expensas armare unam galeam in Veneciis secundum suam requisitionem, si placebit Sne Paternitati; et ultra hoc ordinetur ex nunc in casu quo vellet armare ipsam galeam, et nollet ire cum aliis navigiis disarmatis, quod galee nostre, que mittentur hoc anno ad viagium Alexandrie, Baruti vel illarum partium, in suo redditu versus Venetias, reperiente se domino Episcopo predicto in partibus illis, debeant illum levare cum familia sua, et conducere versus Venecias ad partes Sclavonie, vel in illis aquis vel partibus sine sinistro galearum nostrarum libere et sine aliquo nabulo. Et cum ista conditione incantari debeant galee viagiorum predictorum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVII. kötetéből 136. l.)

237.

III. Károly siciliai király fizetést rendel a szolgálatában lévő s Magyarországból vele jött Staffai György számára. 1382.

Georgius Vngarus de la Staffa pro servitijs etc. habet vncias auri viginti annuas 1382. 10. Aprilis.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 285. l., a kir. olasz nápolyi nagy levéltárban.)

238.

III. Károly siciliai királynak Cellini várat tárgyazó adománya a vele Magyarországból jött kamarása Florenczei Ferencz számára. 1382.

Franciscus Florentie Vngarus Cambellanus et fidelis noster habet Castrum Cellini in Aprutijs, quod erat Antonij de Rellano rebellis et proditoris etc. 1382. 12. Aprilis.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 100. l., a kir. olasz nápolyi levéltárban.)

239.

III. Károly siciliai királynak adománya a vele Magyarországból jött udvarnoka Fábián számára. 1382.

Karolus Tertius etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Delectat nos benemeri'orum votis beneficijs respondere condignis, ut deuotiori mente possit obsequi, qui sua cognoscit seruitia votiuis premijs compensarj. Sane actendentes sincere deuotionis et fidei merita Fabiani de Stephano familiaris et fidelis nostri dilecti, ac grata, vtilia et accepta seruitia per eum Maiestati Nostre fideliter prestita, queue prestat ad presens, et speramus eum inantea prestiturum, ex quibus gratus nobis redditur et acceptus; eidem Fabiano, ac suis vtriusque sexus heredibus ex suo corpore legitime descendentibus natis iam et inantea nascituris,

subscripta bona feudalia, que fuerunt Petri Theotonici, Militis domini Octonis Ducis Brunsuicensis, sita in territorio Tranj et Vigiliarum etc. (prout tota forma scripta est in vno alio quaterno priuilegiorum presentis anni quinte indictionis sub data). Neapolj per nobilem virum Gentilem de Merolinis de Sulmona etc. Anno Domini M.CCC.LXXXII. die XV. mensis Aprilis V. indictionis, Regnorum nostrum anno I.

(III. Károly 1382-ki megerősitő privilegiumból mint alább 241. sz. a.)

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 355. l. a kir. olasz nápolyi nagy levéltárban.)

240.

III. Károly siciliai királynak több nápolyi házat tárgyazó adománya a Magyarországból vele jött szakácsa Pál mester számára. 1382.

Karolus Tertius etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Sicut potentiam Principis exaltat remuneratio subiectorum; sic consueuit interdum de infidelium spolijs suis fidelibus prouidere, ut illi de commissis improbe meritam penam sentiant, et isti virtutis decore et fidelitate conspicui pro impensis laudabiliter seruitijs letentur premia suscepisse. Sane dato nobis intelligi, quod Gulielmus Roncella cum filijs de Neapolj sue salutis immemor, nec diuine nec humane metuens vltionis flagellum, scienter penam et notorie in anime sue perniciem adhesit Antipape et Illustri olim Regine Johanne post priuationem eius de Regno Sicilie factam per Sanctissimum Patrem et Dominum nostrum dominum Vrbanum Sextum Sacrosancte Romane ac Vniuersalis Ecclesie dominum Summum Pontificem, ac multa nequiter commisit uerbis et opere contra Nostre Maiestatis honorem, propter que rebellionis culpam et lese Nostre Maiestatis crimen noscitur rationabiliter incurrisse. Cuius rei causa ipsius Gulielmi domus site in platea Sancte Barbare de platea Ciuitatis Neapolis, iuxta domos Nicolaj Roncelle, iuxta domos Cicci Viole, iuxta domos Gisoldi Pannizate, iuxta uias publi-

cas a duabus partibus, et alios confines; que domus ascendunt seu ascendere possunt ad summam seu valorem vnciarum aurj triginta uel circa, et ipsius Gulielmi notorię rebellionis culpa esse dicuntur ad manus nostre Curie delate, et aquisite fuisse ponuntur ac iuste et rationabiliter deuolute, et in ipsius nostre Curie manibus existere dinoscuntur ad presens. Nos considerantes grata, vtilia et accepta servitia, merita quoque sincere deuotionis et fidei Nostre Maiestati a iam diu fideliter et vtiliter prestita per Paulum Magistrum, cocum, familiarem dilectum et deuotum nostrum Vngarum, quibus ipsum dignum nostra gratuita prosecutione censemus; eidem Paulo ac suis heredibus utriusque sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, predictas domos cum iuribus et pertinentijs earum omnibus, que fuisse ponuntur dicti Gulielmi, siquidem ex premissa notorie rebellionis culpa et lese Maiestatis crimine sint ad manus eiusdem nostre Curie iuste et rationabiliter deuolute, damus donamus et de nono concedimus inperpetuum de certa nostra scientia instinctu motus proprij harum serie gratiose. Ita quidem, quod idem Paulus Magister cocus noster, ac dicti sui heredes, predictas domos a nobis et nostra Curia inmediate et in capite teneant atque possideant, nullumque alium preter nos ac ipsos heredes et successores nostros superiorem et dominum exinde recognoscant, inuestientes proinde dictum Paulum pro se et dictis suis heredibus ex nunc prout ex tunc de huiusmodi nostra gratia per anulum nostrum presentialiter, ut est moris. Quam inuestituram vim et vigorem vere traditionis et realis assecutionis dictarum domorum in casu et modo predictis volumus et decernimus obtinere, fidelitate nostra, nostris alijs et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Data Neapolj per virum Nobilem Gentilem de Merolinis de Sulmona etc. Anno Domini M.CCC.LXXXII. die XXIII. Aprilis V. indictionis Regnorum nostrorum anno primo.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 75. l., a kir. olasz nápolyi levéltárban.)

241.

III. Károly siciliai király udvarnoka Fábián számára megerősiti előbbi adományát. 1382.

Karolus Tertius etc. Justitiario Prouincie Terre Barj Cambellano et fidelj nostro gratiam et bonam voluntatem. Significamus tibi quod nouiter Fabiano de Stephano Vngaro familiarj et fidelj nostro priuilegium nostrum concessimus in hec verba :

Karolus Tertuis stb. (következik a királynak 1382-ki adománya, mint fentebb 239. sz. a.)

Vt itaque memoratus Fabianus, dictique sui heredes assequantur predicte concessionis et gratie nostre fructum; volumus et fidelitatj tue presentium tenore mandamus expresse, quatenus eundem Fabianum, uel suum pro eo procuratorem aut nuncium in possessionem predictorum bonorum feudalium et feudi superius particulariter annotatorum cum rationibus et juribus ad bona ipsa feudalia et dictum feudum pertinentibus et spectantibus quoquomodo, siquidem ex premissa rebellionis causa et lese Maiestatis crimine bona ipsa feudalia iuste et rationabiliter sint ad manus ipsius Curie nostre deuoluta, iuxta predicti priuilegij nostri continentiam et tenorem inducas ac induci mandes et facias auctoritate presentium corporalem, tenenda et possidenda deinceps per eundem Fabianum et dictos eius heredes iuxta predicti nostri priuilegij seriem atque formam, sibique intendi et responderj de iuribus, redditibus et prouentibus bonorum predictorum feudalium et feudi predicti, fidelitate nostra, nostris alijs et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. De executione uero presentium cum forma earum fierj facias tria publica consimilia inctrumenta quorum vno tibi retento, alio prefato Fabiano uel suo pro eo procuratori uel nuncio tradito, tertium Magistris Rationalibus Magne nostre Curie mictas in archiuio pro cautela ipsius Curie conseruandum. Data Neapolj per eundem nobilem virum Gentilem de Merolinis etc. Anno Domini M.CCC.LXXXII. die XXII. mensis Maij V. indictione, Regnorum nostrum anno primo.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 355. l., a kir. olasz nápolyi levéltárban.)

242.

A velenczei köztársaság és Tvartko II. István szerb király. 1382.

Anuo MCCCLXXXII. die XXIX. Aprilis. Capta: Cum nobilis vir ser Jacobus de Rippa exposuerit Dominio, quod existens de nostro mandato Castellanus Catari, recepit magnam et notabilem subventionem a domino Rege Rascie, tam de gentibus quam victualibus et aliis rebus taliter, quod mediante subventione sua sustinuit locum ad honorem Dominii; vadit pars, quod possint scribi littere prefato domino Regi, hostendendo habere ad bonum et ad complacentiam subventionem predictam, in illa forma, que videbitur Dominio.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVII. köt. 148. l.)

243.

A velenczei köztársaság elfogadja I. Lajos magyar király fentebbi 235. sz. a. utalványozását. 1382.

Anno MCCCLXXXII. die X. Maii. Capta: Quod respondeatur isti Nuntio Serenissimi domini Regis Hungarie, quod intellecta Ambaxata sua nobis sapienter exposita et in scriptis exhibita pro parte Serenissime Regie Maiestatis etc. sumus contenti et parati eidem Regie Maiestati secundum requisitionem suam liberaliter complacere; utendo hiis et aliis verbis, que pro honore nostri Dominii utilia videbuntur. Et pro ista causa fieri possint instrumenta necessaria tam nomine Regis, quam Domini Padue et nostri Communis ad plenum, ut fuerit necessarium.

Factus fuit Sindicus ad predicta complenda et fienda dominus Cancelarius, et rogatus fuit de inscriptione ser Johannes Vido Notarius Curie Maioris, presentibus providis viris ser Amadeo, Johanne Plumatio et Petro dela Costa Notaris Curie Maioris, testibus ad premissa vocatis et rogatis, et allis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVII. köt. 154. l.)

244.

De Caresinis Rafain velenczei kanczellárnak meghatalmazó levele, hogy beszámítva a magyar koronának fizetendő három évi adót, a velenczei köztársaság és Carrarai Ferencz paduai fejedelem közti adóssági viszonyt rendezhesse. 1382.

In Christi nomino Amen. Anno Nativitatis eiusdem millesimo trecentesimo octuagesimo secundo, indictione quinta, die sexto decimo mensis Maij. Excelsus et Illustris Dominus dominus Andreas Contareno Dei gratia Dux Veneciarum etc. unacum suis Consilijs Minorum, Rogatorum, XL et Zonte ad infrascripta omnia et singula et alia exercenda specialiter deputatis, et ad sonum campane et voce preconia vocatis more solito et congregatis; et ipsa Consilia una cum ipso domino Duce unanimiter et concorditer nemine discrepante pro se et successoribus suis, ac nomine et vice Communis Veneciarum, et omnibus modis, jure, forma et causa quibus melius potuerunt, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suum et dicti Communis Veneciarum Sindicum, Actorem, procuratorem, et negociorum gestorem et Nuncium Specialem, et quiquid amplius dici potest, Nobilem et sapientem virum dominum Raphaynum de Caresinis Cancellarium Veneciis, absentem velut presentem, in omnibus eorum et dicti Communis Veneciarum causis, litibus, controuersijs et querelis civilibus ac criminalibus, presentibus et futuris. Et specialiter ad faciendum finem, quietationem, liberationem et pactum de amplius non petendo, Magnifico et potenti domino Francisco de Carraria, Civitatis Padue et Districtus Imperiali Vicario Generali et Communi Padue, seu procuratori et sindico prefati Domini et Communis Padue de ducatis XVI^{M} VI^{C} LXVI auri et duabus tercijs de ducato, quos prefatus Dominus et Commune Padue tenentur prelibato domino Duci et Communi Veneciarum pro tercia et ultima paga unius debiti ducatorum L milibus auri, in quo idem Dominus et Commune Padue tenebantur prefato domino Duci et Communi Veneciarum vigore unius sententie late per Illustrem Principem dominum Amadeum Comitem Sabaudie etc. et Egregios viros dominos Leonardum de Montealto Legum Doctorem,

Franciscum Embriachum, Neapolionem Lomelinum et Matheum Maruffum, Cives et Ambaxadores Illustris domini Ducis et Comunis Janue, scripte manu Johannis Ranayrij Imperiali auctoritate Notarii et dicti domini Comitis Secretarij anno Domini MCCCLXXXI. indictione quarta die Jovis XXII. mensis Augusti. Quos quidem ducatos XVI^{M} VI^{C} LXVI et duo tercia de ducato ad amicabiles requisiciones Serenissimi Domini domini Ludovici Dei gracia Hungarie etc. Regis Illustris prefatus dominus Dux et Commune Veneciarum defalchaverunt et remisserunt prefato Domino et Communi Padue, computandos in parte debiti, quo Regia Majestas Hungarie est eidem Domino Padue obligata; item ad promittendum prefato Domino et Communi Padue seu Sindico et procuratori suo, dare et solvere ipsi Domino et Communi Padue in festo Sancti Regis Stephani de mensis Augusti anno Domini MCCCLXXXIIII. ducatis IIII^{M} CCCXXXIII et unum tercium de ducato, quos idem dominus Dux et Commune Veneciis ad amicabilem requisicionem et complacenciam prefati domini Regis, ut suprascriptum est, promittunt solvere prelibato Domino et Communi Padue ad terminum suprascriptum, pro conplendo ad summam ducatorum XXI^{M} auri computatis suprascriptis ducatis XVI^{M} VI^{C} LXVI et duobus tercijs de ducato. Qui ducati XXI^{M} debent computari in solucione annuali ducatorum VII^{M} auri, videlicet, pro secunda solucione de MCCCLXXXII., et de tercia solucione de MCCCLXXXIII. et de quarta solucione de MCCCLXXXIIII. Quos ducatos VII^{M} prefatus dominus Dux et Commune Veneciarum solvere tenentur prefato domino Regi et heredibus et successoribus suis, singulis annis in festo Sancti Stephani Regis de mense Augusti; cartas et instrumenta pro predictis et singulis et quolibet predictorum necessaria rogandum, faciendum et recipiendum, cum stipulacionibus, promissionibus pactis, convencionibus, terminis, modis et formis ac obligacionibus, penarum adjeccionibus, renunciacionibus, cautelis et clausulis oportunis stb.

(A Syndicatusok könyvéből I. köt. 148. l., a velenczei nagy levéltárban.)

245.

III. Károly siciliai királynak adakozása a Magyarországból vele jött János lovag számára. 1382.

Johannes Georgij Miles Vngarus de Castro Pechi pro gratis plurimum et acceptis servitijs Majestati Nostre in oportunis et arduis casibus constanter et fideliter cum animi promptitudine prestitis, habet pro se et heredibus suis annuam provisionem florenorum de auro quingentorum boni et justi ponderis (1382. 3. Junij.)

(A »Registri Angioini« 358. sz. a kötetéből Reg. Caroli III. 333. l.; az olasz. kir nápolyi levéltárban.)

246.

III. Károly siciliai királynak rendelete, hogy udvarnokának de Bace Lőrincznek jutalma kifizettessék. 1382.

Magno Regni Camerario necnon Justitiario Provinceie Capitanate. Quia Laurentius Stephani de Bace de Vngaria familiaris et fidelis noster dilectus nichil de annuis vncijs centum triginta ponderis generalis stabilitis sibi pro se et suis heredibus super quacunque fiscali Curie nostre pecunia percipere potuit uel habere: Nos nolentes dominum Laurentium illarum reali perceptione carere decernimus etc. (1382. 14. Junij.)

(A »Registri Angioini« 353. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 326. l.; az olasz. kir. nápolyi levéltárban.)

247.

A velenczei köztársaság I. Lajos magyar király kivánatára III. Károly siciliai királynak segitséget határoz. 1382.

Anno MCCCLXXXII. indictione V. die XXVII. Junii. Capta: Quod respondeatur domino Regi Hungarie per litteras nostras in forma infrascripta, et sic dicatur Nuntio suo, qui est hic et expectat reponsionem, videlicet :

Serenissime Regie Maiestatis literas datas in Castro Sygeth die XVI. mensis Maii super requisitione nobis facta per eandem Serenissimam Regiam Miestatem Vestram ad facta Serenissimi domini Regis Karoli Jerusalem et Sicilie Regis et domini Duche Andegaviensis etc. nuper recepimus et intelleximus diligenter, ad quas Excellentie Regie presentibus respondemus, quod sumus dispositi ad omnia, que habeant nos conservare in amore et pace cum Serenissima Regia Maiestate Vestra et cum prefato Serenissimo domino Rege Karolo carissimis et amicis nostri Dominii.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVII. kötetéből. ʒ382.)

248.

III. Károly siciliai király udvarnokát de Bace Lőrinczet bizonyos megbízással küldi Magyarországba. 1381.

Karolus TertiusDei gratia Rex etc. vniuersis et singulis tam amicis et deuotis quam fidelibus nostris intra et extra Regnum nostrum Sicilie constitutis quocunque titulo ac denominatione notentur presentes licteras inspecturis salutem etc. Cum virum nobilem Laurentium de Bace Vngarum, Cambellanum, familiarem et fidelem nostrum dilectum ad partes Vngarie pro certis nostris expediendis negotijs presentialiter destinemus; propterea amicos rogamus, vos deuotos requirimus, vobis alijs fidelibus nichilominus iniungentes, quatenus eundem Laurentium, cum per partes, terras et loca vestra transitum fecerit, suscipientes amabiliter commendatum, nullam sibi ac familiaribus ac socijs suis numero quindecim circa, si videantur ad arma in eundo, stando et redeundo, inferatis nec inferri permittatis ab aliis molestiam, iniuriam aliquam vel noxiam nouitatem; quinnimo ipsum cum dictis familiaribus et socijs, balisijs et rebus suis per terras et loca vestra transire, morarj et redire libere et sine contradictione aliqua permittetis, provideatis eidem de securo conductu de loco ad locum, prout expediens suadetur et vos duxerit requirendos; vt idem Laurentius commissa sibi per Majestatem Nostram exequi possit et valeat, ac secure abire, morari et redire. Data

Neapoli per virum nobilem Gentilem de Merolinis de Sulmona etc. Anno Domini millesimo CCC.LXXXI. die II. Julij V. indictionis, Regnorum nostrorum anno secundo.

(A »Registri Angioini« 358. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 342. l., a kir. olasz nápolyi levéltárban)

249.

A velenczei köztársaság megtagadja a szerb királytól, hogy két hajót Velenczéből országába kivihessen. 1382.

Anno MCCCLXXXII. indictione sexta die XXV. Julii. Capta: Quod respondeatur istis Ambaxatoribus domini Regis Raxie, qui cum magna instantia nomine dicti domini Regis requisiverunt a nobis duos brigentinos fulcitos suis rebus et arnesiis pro sua pecunia etc., lutanando nos a facto pro multis bonis respectibus cum illis verbis, que videbantur collegio vel maiori parti, mostrando, quod ipsi brigentini sunt nobis neccessarii pro factis nostri Tencdi,

(A velenczei »Misti« czimű államkönyv XXXVII. köt. 297. l.)

250.

A velenczei köztársaságnak határozata, hogy I. Lajos magyar király kivánatához képest VI. Orbán pápa, III. Károly siciliai király és egész Olaszhonnak segitséget az Anjoui herczeg ellen nem adhat. 1382.

Anno MCCCXXXII. indictione sexta, die XXI. Septembris. Capta: quod respondeatur ad ultimum capitulum Ambaxiate domini Regis Hungarie super facto auxilii et consilii, quod petunt eidem preberi per nos pro subsidio domini Pape et Ecclesie Romane, ac domini Regis Karoli et totius Italie contra dominum Ducem Andegaviensem, gentem eius ac colligatos suos etc., quod novit Deus, cui cuncta sunt cognita, nos tanquam Catholici et devotissimi fidei semper habuimus et habere intendimus singularem reverentiam et honorem ad Sanctam Matrem Ecclesiam, et in speciali ad Sanctissimum dominum Papam Urbanum. Habemus etiam et habere inten-

dimus intimam et precipuam devotionem et affectionem ad honorem et statum Serenissime Regie Maiestatis Hungarie, et ad Serenissimum dominum Regem Karolum; sed prefate Regie Maiestatis Hungarie et toti mundo noti sunt immensi labores nostri et expense, quos et quas passi sumus pro maximis guerris nuper elapsis, que licet Deo dante sopite sunt, tamen adhuc Commune nostrum gravatum est valde debitis, quibus tenetur civibus et fidelibus nostris, et restat adhuc exequi istud factum Thenedi, pro quo fecimus et facimus ac facere incessanter intendimus totum posse nostrum pro observatione promissorum ver nos, sicut est de naturali more nostro. Etiam misimus potentes exercitus nostros maritimos et terrestres ad dictas partes Thenedi cum maximis et gravissimis expensis nostris, et pro maiori parte omnes galee nostre sunt extra Venecias, tum ad obsidionem dicti loci Thenedi tum pro mercatoribus in diversis partibus. Quibus omnibus attentis et consideratis non videmus, quod ullo modo possimus nos impedire nec attendere ad ista facta. Sed debemus apud prefatam Serenissimam Regiam Maiestatem Hungarie et totum mundum esse rationabiliter excusati. Et cum hiis et aliis verbis et rationibus lutanemus ab hoc facto per illud modum, qui videbitur utilior. Et si aliqua alia verba per Ambaxatores Regios dicerentur circa predicta vel dependentia a predictis tam super facto consilii, quam super aliqua alia re in speciali, respondeatur eis cum illis pulcris verbis et racionibus, que videbuntur, lutanando nos omnino a dictis factis per illum modum, qui Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus vel maiori parti utilior videbitur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVII. kötetéből 148. l.)

251.

I. Lajos magyar és lengyel király halálának hirére, a velenczei köztársaságnak határozata 1382.

Anno MCCCXXXII. indictione sexta, die VII. Octobris. Quia nedum utile, sed necessarium est pro bono nostro et agendorum nostrorum providere de mittendo solemnem Ambaxia-

tam nostram in Hungariam ad Serenissimam dominam Reginam pro condolendo de morte Illustrissimi domini Regis Hungarie, et pro aliis, que huic Consilio videbuntur; vadit pars, quod in bona gracia fiant duo solemnes Ambaxiatores, qui eligentur per scruptinium in hoc Consilio Rogatorum etc.

Capta: Quod pro modo supersedeatur de faciendo hanc Ambaxiatam, et scribatur domine Regine Hungarie, et filiabus et aliis, qui videbuntur Domino, Consiliariis, Capitibus et Sapientibus Consilii vel majori parti, condolendo de morte domini Regis, et notificando eis, quod pro hac causa mittemus ad ipsam Ambaxiatam nostram.

Anno MCCCXXXII. die XII. Novembri.

Ezen tárgyról ismét volt tárgyalás, melynek folytán »quia sincerum propositum et optimam intencionem nostram per litteras plenimode exprimere non valemus, deliberavimus ad Excellenciam Reginalem nostram solemnem trasmittere ambaxiatores.« Azonban többen választatván, a követséget el nem vállalták.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXXVII. köt 235., és 243. ll.; a velenczei nagy levéltárban.)

252.

Lipot ausztriai herczegnek követségére a velenczei köztársaság válasza. 1382.

Anno MCCCLXXXII. indictione sexta, die XXVII. Octobris. Capta: Quod respondeatur istis Ambaxiatoribus domini Ducis Leopoldi, et primò stb. Ad factum autem lige fiende cum domina Regina Hungarie et ipso domino Duce Leopoldo et cum Furlanis contra omnes excepto Imperio etc. respondeatur: Quod cum Serenissima domina Regina et Corona Hungarie ac ipso domino Duce et Furlanis sumus et esse semper intendimus in perfecta pace et bona et sincera amicitia, quantum plus fieri potest, et sumus dispositi vivere cum ipsis quiete, amicabiliter et fraterne toto posse, et in omnibus nobis possibilibus semper sumus et erimus prompti ad onores suos. Preterea nuper cum Januensibus et Domino Padue fecimus

et firmavimus bonam et perpetuam pacem, et similiter habemus cum aliis Principibus, Communibus et Dominis mundi pacem et pacta cum instrumentis, iuramentis et solemnitatibus opportunis, propter quod non videmus, quod ullo modo cum honore nostro possemus ad istam ligam generalem attendere, quia veniremus ad contrafaciendum. Verum si diceretur vel ostenderetur aliqua via, ad quam possemus attendere iuste et rationabiliter et cum honore et bono nostro ita, quod non contra faceremus fidei et sacramento nostro, id libenter audire parati sumus.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVII. kötetéből 240. l.)

253.

A velenczei kormánytanácsnak rendelete bizonyos Cataro vidékén okozott tengeri károsodás tárgyában Márton rimini-i kereskedő számára. 1382.

Anno MCCCXXXII. indictione sexta, die XII. Novembris. Capta: Cum per armatam nostram, cuius fuit Capitaneus vir nobilis ser Victor Pisani tempore captionis Catari per ipsas galeas in aquis Catari repertum fuerit quoddam navigium oneratum frumento ad partes Briegi cuiusdam Martini de Arimino habitatoris Durachii, quod conducebatur ad partes Antivari, et ipsum navigium conductum fuerit per ipsam armatam Catarum, ac de mandato Collegii datum et distributum fuerit ipsum frumentum cum certa quantitate biscoti nostri Communis partim inter homines dicte Civitatis Catari, partim in Castro pro munitione eiusdem, et de ipso nulla unquam satisfactio facta fuerit Martino predicto; et propterea ad petitionem ipsius omnes Veneti cum bonis et mercationibus suis fuerunt in Durachio intromissi, quam intromissionem postea ipse Martinus revocari fecit, volens tanquam fidelis servitor huius Dominii stare potius ad omnem declarationem, que fieret per Dominationem super hoc, et ideo huc accessit petens et requirens satisfactionem predictorum; vadit pars per informationem habitam per sapientes nostros Consilii a quam pluribus, et specialiter a nobili viro Jacobo de

Ripa, olim Castellano dicti loci Catari, quod exposita per dictum Martinum vera sint, et quod plus est, Martinus fuerit causa conservationis dicti Castri de tempore in tempus propter subventionem continuam exhibitam nostris, qui ibi erant; attenta etiam maxima devotione et bona dispositione quam semper habuit et habet erga nos, quod tam pro solutione dicti frumenti, quam pro expensis, damno et interesse eidem Martino exhinde secutis, dentur ei de denariis nostri Communis ducati quadringenti auri, faciente ipso finem et remissionem nostro Communi de toto eo, quod petere posset tam pro dicto frumento, quam pro quacunque alia ratione vel causa usque in diem presentem, salvis et reservatis nostro Communi omnibus iuribus, quas haberet in denariis sequestratis pe butino Catari.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVII, kötetéből 242. l.)

254.

II. Károly siciliai király a vele Magyarországból jött udvarnokát Orboczi Imrét nevezi ki Trani-i várnagynak. 1382.

Aymericus filius viri nobilis Johannis de Orbocz de Vngaria miles familiaris etc. pro se et suis heredibus habet Castellaniam Castri nostre Civitatis Trani cum prouisione annua etc. (1383. 22. Novembris.)

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. Reg. Caroli III. kötetéből 34. l.; a kir. olasz nápolyi levéltárban.)

255.

III, Károly siciliai király Orboczi Miklóst Imrének fiát nevezi ki királyi kápolnája énekesének. 1382.

Vacante subcantoria Regalis Capelle per obitum presbiteri Nicolosi Vngari eadem subcantorria confertur Clerico Nicolao filio Emerici Arbocij Vngari. (1382. 27. Novembris.)

(A »Registre Angioini« 359. sz. a. Reg. Caroli III. kötetéből 276. l.: a kir. olasz nápolyi levéltárban.)

256.

Velenczei követség a magyar királynékhoz. 138²/₃.

Anno MCCCLXXXII. indictione sexta, die tertio mensis Decembris. Capta: Quod Ambaxator, qui est electus ad partes Hungarie, et etiam acceptavit, et ille etiam, qui elligetur loco illius, qui refutavit, si elligerentur in posterum ad aliquod regimen, teneantur nichilominus ire et prosequi Ambaxatam istam pro non impediendo facta terre, reservando ei vel eis regimen, ut est iustum.

Ellectus Ambaxator ad partes Hungarie: Ser Bertucius Contareno, refutavit cum pena. Ser Petrus Aymo Advocator, refutavit propter infirmitatem. Ser Bernardus Bragadino, refutavit cum pena. Ser Marinus Memo, refutavit cum pena.

Die VI. Decembris. Capta: Quod nobilis vir ser Petrus Aymo, electus Ambaxator ad Serenissimas dominas Reginas absolvatur a dicta Ambaxata pro gravitate persone, iurante ipso causam esse veram.

Die XVI. Decembris. Capta: Cum omnino sit necessarium nostris Ambaxatoribus ituris ad Serenissimas dominas Reginas habere unum interpretem pro bono Ambaxate, sine quo facere non possunt ullo modo, et tres saumas; vadit pars, quod expense dicti interpretis et saumarum fieri possint, et sint ultra expensas dictis nostris Ambaxatoribus limitatas.

Die secunda Januarii. Capta: Quia est de necessitate dare expeditionem Ambaxatoribus nostris ituris ad Serenissimas dominas Reginas Hungarie et non perdere tempus; vadit pars, quod dicti Ambaxatores omnino teneantur recedere et ire ad suam Ambaxatam usque medium mensis presentis Januarii sub pena libarum C pro quolibet, quam exigant Advocatores Communis, habendo partem, ut de aliis sui Officii.

Die IV. Februarii. Capta: quod Ambaxatores ad partes Hungarie teneantur recedere usque dies novem mensis Februarii sub pena librarum centum pro quolibet, quam exigunt Advocatores Communis, habendo partem ut de aliis sui Offitii iste terminus amplius ellongari, nec de pena eis fieri

gratia sub pena ducatorum centum pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium; et illis, qui ponerent vel consentirent partem vel gratiam contra hoc, non possit fieri gratia de pena ullo modo usque in infinitum sub pena predicta ducatorum centum pro quolibet ponente vel consentiente partem in contrarium.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVII. kötetéből 252. sk. ll. és XXXVIII. kötetéből 3. l.)

257.

Magyar harczosok III. Károly siciliai király szolgálatában. 1383.

Nos Karolus Tertius stb. Franciscus Dentice dictus Naccarella de Neapoli miles, Regni nostri Sicilie Marescallus nostrique hospitij Senescallus, Consiliarius et fidelis noster dilectus confert se presentialiter ad Apulie partes cum lanceis centum quinquaginta octo Vngarorum militaturus ibidem cum lanceis ipsis usque ad nostrum beneplacitum stb. (De solutione ipsorum armigerorum. 1382. 6. Januarij.)

(A »Registri Angioini« 259. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 109. l.; az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

258.

III. Károly siciliai királynak adománya a Magyarországból vele jött kamarása Kiss Ferencz számára. 1383.

Nos Karolus Tertius stb. Nobilis vir Franciscus filius Petri Martini dictus Chisflorentia (Kiss Ferencz) Vngarus Panectarie nostre Prepositus, Cambellamus, familiaris et fidelis dilectus, pro gratis et acceptis servitijs per eum Majestati Nostre fideliter prestitis in quocunque rerum turbine, cupiens in quantum in eo fuit et est exaltare conditiones nostras, subeundo difficultates et pondera ac pericula intrepide et constanter etc. (habet cum heredibus suis Castrum Civitequane

cum Casali Genestrule, que fuerunt Francisci de Lecco rebellis in prouincia Aprutij etc. (1382. 25. januarij.)

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 93. l.; az olasz. kir. nápolyi levéltárban.)

259.

Garazda Tamás Erzsébet királynénak követe III. Károly siciliai királyhoz. 1383.

(Magno Camerario Regni Sicilie, Secretis et Magistris Portulanis, Magistris Salis partium Apulie, Cabellotis etc. notificantur patentes littere nuper concesse Thomasio Georgij dicto Garazda de Neguelich de Posega). — — — Et considerantes proinde, quod Thomasius Georgij dictus Garazda de Neguelich de Posega deuotus noster ad Nostram missus nouiter Majestatem per Serenissimam Helisabeth Reginam Vngarie cum suis licteris, coronationem Illustris Marie Regine Vngarie ejus filie nostreque sororis carissime nobis ad gaudium nuntiauit. Vt idem Thomasius vacuus a liberalitate nostra non reddeat, sed ex assumptis per nos digne exultationis gaudijs munus nostre sibi gratificationis accedat, eidem Thomasio annuos florenos de auro ducentos percipiendos et soluendos sibi in et super juribus, redditibus et prouentibus dohane, et in ejus defectu super cabella salis ciuitatis Manfridonie, premissorum consideratione suasi eius vita durante concedimus et donamus, harum serie de certa nostra scientia proprij motus instinctu liberalitate mera et gratia speciali stb. (1383. 7. Februarii.)

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 208. l., az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

260.

Azon követek utasitása, kiket a velenczei körtársaság I. Lajos magyar király halála után Mária királynéhoz küldött. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione sexta, die quarto mensis Februarii Capta: Quod fiat commissio Ambaxatoribus nostris ituris ad partes Hungarie in hac forma.

Nos Antonius Venerio stb. committimus vobis nobilibus viris Paulo Mauroceno et Petro Bragadino dilectis civibus et fidelibus nostris, quod cum nostris litteris credulitatis, quas vobis fieri fecimus comparere debeatis coram Serenissimis et Excellentissimis dominabus Reginis Hungarie cum illo bono ordine, qui videbitur sapiencie vestre; quibus facta reverencia et salutacione, sicut convenit pro honore nostri Dominii, exponere debeatis, quod cum maxima cordis amaritudine, sicut alias scripsimus Excellencia Sue, intelleximus de obitu felicissime et recolende memorie Serenissimi et Excellentissimi domini Ludovici olim Regis Hungarie, de quo teste Deo, cui cuncta sunt cognita, dolorem maximum et displicenciam singularem sensimus et sentimus in intimis nostris, tum ob dampnum inextimabile toti Christianitati exinde secutum, tum ob intrinsecam affeccionem, quam gerebamus et gerere intendebamus inposterum Sue Regie Majestati, utendo his et aliis verbis, que vobis utilia videbuntur.

Subsequenter exponetis, quod de promocione et coronacione Serenissimarum et Excellentissimarum dominarum Reginarum Hungarie, et bono statu et salute earum recepimus et recipimus in cordis nostri (igy) maximam leticiam et consolacionem, supplicantes humiliter Summo Creatori, a quo bona cuncta procedunt, quod dignetur Serenissimas et Excellentissimas Reginales personas suas in bono et pacifico statu per longissima tempora feliciter conservare, ad laudem ipsius Creatoris nostri, consolacionem nostram et omnium amicorum; utendo eciam circa hoc hiis et aliis verbis, que sapiencie vestre utilia videbuntur.

Ultimo debeatis offerre ipsis Serenissimis et Excellentissimis dominabus Reginis nos et Commune nostrum leta

mente paratos ad sua beneplacita et honores cum omnibus verbis amoris et dileccionis, sicut convenit pro honore nostri Dominii.

Et si per Serenissimas dominas Reginas Hungarie vel aliquam earum, vel Barones suos, vel alias personas tangerentur vel moverentur nobis aliqua verba notabilia, que tangerent honorem et statum nostri Dominii, tunc relinquimus in libertate vestra, confidentes plenissime de personis vestris, respondendi per verba generalia, ut vobis videbitur pro honore et bono nostri Dominii, et trahendi quicquid poteritis de earum intencione. Et si res videbitur vobis notabilis, et cum honore et bono nostri Dominii, quod sit in libertate vestra scribendi et expectandi nostrum mandatum, mittendo nobis ordinate omnia, que traxeritis pro nostra informacione. Si vero non tangerentur et non viderentur vobis notabilia, ut est dictum, tunc, accepto honorabili commeatu a Serenissimis et Excellentissimis dominabus Reginis et Baronibus et omnibus aliis, qui vobis videbuntur pro honore nostri Dominii, Venecias redeatis de omnibus plenissime informati.

Fecimus ad habundantem cautelam vobis fieri litteras credulitatis in personis vestris Serenissime et Excellentissime domine Elisabeth Regine Hungarie; item litteras credulitatis Serenissime et Excellentissime domine Marie Regine Hungarie; et litteras ambabus Reginis predictis insimul; et alias litteras alteri filie quondam domini Regis Hungarie, quas litteras et quamlibet earum, illas, que vobis videbuntur, presentare debeatis cum illo ordine, qui vobis videbitur pro utilitate et bono agendorum nostrorum.

Item fecimus vobis fieri multas alias litteras credulitatis multis Prelatis et Baronibus de inde, de quibus disponatis et faciatis in presentando eas et quamlibet earum, sicut sapiencie vestre utilius et melius apparebit; utendo omnibus predictis Prelatis et Baronibus his et aliis illis verbis generalibus amoris et dileccionis, que vobis pro honore nostri Dominii utilia videbuntur.

Et tenemini habere vobiscum quatuor famulos pro quolibet, unum Notarium Curie cum uno famulo, duos ragacios pro quolibet, unum expensatorem, unum cochum et unum mare-

schalcum inter ambos. Et potestis expendere in omnibus expensis quomodocunque occurrentibus pro vobis et tota familia vestra ducatos sex in die pro quolibet, exceptis scortis et nabulis navigiorum.

Item concedimus vobis, quod debeatis ultra predicta habere unum interpretem, et tres saumas, et quod expense dicti interpretis et saumarum sint ultra dictas expensas vobis limitatas. Jurastis etc. VIII. Februarii.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVIII. kötetéből 6. lev.)

261.

A velenczei köztársaságnak válasza a magyar királynék követségére. 1383.

Anno MCCCLXXXII. indictione sexta quarto mensis Februarii. Capta: Quod respondeatur isti Ambaxatori Hungarie ad factum subsidii, quod petit a nobis pro domino Papa et Ecclesia Romana ac domino Karolo contra dominum Ducem Andegaviensem etc. quod novit Deus, cui cuncta sunt cognita, nos tamquam Catholici et devotissimi fidei semper habuimus et habere intendimus singularem reverentiam et honorem ad Sanctam Matrem Ecclesiam, et in speciali ad Sanctissimum dominum Papam Urbanum, habemus etiam et habere intendimus intimam et precipuam devotionem et affectionem ad honorem et statum Serenissime Reginalis Maiestatis Hungarie, et ad Serenissimum dominum Regem Karolum. Sed prefate Reginali Maiestati Hungarie et toti mundo noti sunt immensi labores nostri et expense, quos et quas passi sumus pro maximis guerris nuper elapsis, que licet dante Deo sopite sint, tamen adhuc Commune nostrum valde gravatum est debitis, quibus tenetur civibus et fidelibus nostris, et restat adhuc exequi factum Tenedi, pro quo fecimus et facimus ac facere intendimus posse nostrum pro observatione promissorum per nos, sicut est de naturali more nostro; et alias misimus potentes exercitus nostros maritimos et terrestres ad dictas partes Tenedi, et nunc de novo refreschare et mittere intendimus ad ipsum exercitum in terra et in mari cum maximis

et gravissimis expensis nostris. Quibus omnibus consideratis non videmus, quod ullo modo possimus nos impedire nec attendere ad ista facta, sed debemus esse apud omnes rationabiliter excusati; lutanando nos a facto cum hiis et aliis verbis, que utilia videbuntur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. kötetéből 8. l.)

262.

III. Károly siciliai király párviadalra hívja ki Anjou-i Lajos franczia herczeget. 1383.

Nos Karolus Tertius Dei gratia Rex Jerusalem et Sicilie, Prouincie et Forcalquerij ac Pedimontis Comes; notumfierj volumus tenore presentium vniuersis, quod nos pro nobis nostrisque proceribus, stipendiarijs, vassallis, fidelibus et subditis nostris quocunque titulo uel nomine fulgentibus, assecuramus et securos reddimus et tenemus Illustrem virum dominum Amadeum Comitem Sabaudie Principem, Ducem Thablaisy et Auguste, et in Italia Marchionem nominatum; nec non Magnificos viros Johannem dominum Bullij, et Ludouicum Dominum Montisgaudij Milites; vt dictus Comes, et prefati duo Milites cum sexcentis equis et totidem personis, et dictus Comes sine dictis duobus Militibus cum dictis sexcentum equis seu vsque ad numerum sexcentorum equorum et totidem personarum; uel dicti duo Milites, seu subrogandus uel subrogandi ab eis seu eorum altero cum trecentis seu vsque ad numerum trecentorum equorum et totidem personarum, possint et valeant pedes et eques, armati et inermes, cum bonis, valesijs, arnesijs et rebus ipsorum alijs quibuscunque de die et nocte accedere et ire de Montesarculo uel loco alio vbi fuerint, ad Ludouicum quondam Regis Francorum filium vbicunque eum esse contingerit cum subscriptis conductoribus nostris, uel altero ipsorum, et sine ipsis; et inde ad locum Insule Capue pro duello inter nos et Ludouicum predictum exercendo ipsum locum uisitare, uidere et considerare, ipsum acceptare uel reiiere, et alium, seu alia loca nominata uisitare, acceptare uel refutare, ibique stare, redire, morarj et conuer-

sare semel uel pluries pro predictis et alijs locutis inter gentes nostras et ipsius effectuj mancipandj sine impedimento, uel molestia, eisdem seu eorum alterj, aut deputando uel deputandis ab eis, seu eorum altero in comitiua predicta in personis uel bonis e rum, uel alterius ipsorum quomodolibet inferenda, eisque fiduciam, securitatem et nostrum liberum saluum conductum concedimus atque damus sub fide nostra libere vsque ad terminum dierum viginti incohandum hodie valiturum. Nomina uero dictorum conductorum sunt hec; videlicet Nicolaus de Sancto Fraymundo, Symon Caraczulus, Franciscus Guindacius dictus Monachus, et Tirellus Caraczulus de Neapoli Milites. Data Neapolj per virum nobilem Gentilem de Merolinis de Salmona Legum Doctorem, Locumtenentem Prothonotarium Regni nostri Sicilie, Consiliarium et fidelem nostrum dilectum Anno Domini M.CCC.LXXXIII. die VIII. Februarij VI. indictionis, Regnorum nostrorum anno secundo.

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 199. l., az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

263.

A magyar királynénak köbenjárására a velenczei köztársaság az aquileiai patriarka és Friaul· több főura közt a békességet helyreállitani igyekezik. 1383.

Anno MCCCLXXXII. die decimo Februarii. Capta: Quod pro contemplantione Serenissime et Excellentissime domine Regine Hungarie, que de hoc fecerit instantissime nos rogari per Ambaxatores suos, et etiam pro honore nostri Dominii, et pro omni bono respectu ordinetur, quod Collegium, scilicet Dominus, Consiliarii, Capita et Sapientes Consilii habeant libetatem mittendi Ambaxatam ad partes Foroiulii pro tractando concordium inter Reverendissimum Patrem et Dominum dominum Cardinalem et Patriarcham Aquilegiensem et illos de Patria Foroiulii et aliunde, qui non sunt hobedientes domino Cardinali et Patriarche predicto, et circa hoc fiendum et procurandum fiat totum et quicquid fieri

poterit per illum modum, cum illo ordine, et sicut videbitur Collegio vel maiori parti.

Terminatum per Collegium, quod Reverendus Pater dominus Patriarcha Gradensis vadat Ambaxator ad partes Foroiulii pro tractatu concordii et pacis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 9. l.

264.

III. Károly siciliai királynak adománya a Magyarországból vele jött udvarnoka Szent-Péteri György számára. 1383.

Nos Karolus Tertius stb. (Georgius de Sancto Petro Vngarus, familiaris et fidelis dilectus, habet pro se et heredibus suis in perpetuum) fundum qui fuit Nicolai de Marmoro rebellis in Ruga Cathalanorum Ciuitatis Neapolis etc. cum domibus, membris, redditibus, aperturis, vijs, juribus etc. (1383. 28. februari.)

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 197. l., az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

265.

Baseio Miklós velenczei polgár Tvartko II. István Szerbország és Bosznia királyának tengernagyja. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione sexta, die VIII. Marcii. Capta: Cum Serenissimus et Excellentissimus dominus Rex Raxie nuper miserit quendam nuncium suum specialem cum litera credulitatis nobili vivo ser Nicolao Baseio civi nostro, per quem nuncium ipse dominus Rex Raxie et Bossine notificat dicto ser Nicolao Baseio, quod elegit ipsum in Admiratum suum cum magno honore civis nostri predicti; et pro statu et honore nostri Dominii faciat, et specialiter isto tempore, conservare ymo augere amicitias et complacere Dominis Mundi in hiis casibns; sed dubium sit de hoc propter partem captam in Maiori Consilio MCCCLVI. XXVIII. mensis Novembris, per quam prohibetur, quod nostri cives non

possint ire Rectores in aliqua terra non subiecta Communi Venetiarum; in qua parte etiam continetur, quod dicta strictura non se extendat ad terras vel loca de extra Culphum; vadit pars in modum declarationis, servando in hoc facto, sicut alias servatum fuit in similibus casibus, si videbitur vobis, quod ista electio, quam fecit dominus Rex Raxie in persona dicti ser Nicolai Baseio pro suo Admirato, subiaceat dicte stricture vel non. Quod possit ire.

(A velenczei nagy tanács jegyzőkönyvéből, a velenczei nagy levéltárban.)

266.

Tvartko II. István Szerbia és Bosznia királya egy gályát vesz a velenczei köztarsaságtól. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione sexta, die XXVII. mensis Martii. Capta: Cum Serenissimus et Excellentissimus dominus Rex Rascie, qui est civis noster, cum maxima instancia fecerit nos rogari et a nobis requiri per viam emptionis per nobilem virum ser Nicolaum Baseio civem nostrum unam galeam sotilem cum corredis et arnesiis suis, solvendo nobis statim pretium et estimationem galee predicte; vadit pars, pro contemplatione et amore Sue Regie Maiestatis, et quia est civis noster, quod complaceatur sibi de dicto corpore galee cum suis corredis et arnesiis, sicut requirit, solvendo statim precium, ut dictum est, secundum ordines nostros. Et ex nunc sit captum, quod detur ei unus falconus, quem habuit ser Marcus Pasqualigo supracomitus noster super reperia Janue prima vice cum ser Karolo Zeno; et patroni nostri Arsenatus dicunt et laudant, hoc esse bonum nostri Communis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 18. l.)

267.

III. Károly siciliai királynak adománya a Magyarországból vele jött Szűcs Mihály számára. 1383.

Karolus Tertius Dei gratia etc. vniuersis presens priuilegium inspecturis tam presentibus quam futuris. Indiscreti

hominum mores vagarentur confusione dampnosa, si aut culpa formidinem, aut virtus premia non haberet. Et propterea, si boni digni sunt premio, reprobi plectendi sunt penalitatis exemplo. Ex quo frequenter producitur, quod dum merita conferuntur, merces muneris constituitur justo substantia peccatoris. Sane actentis meritis sincere deuotionis et fidei Michalis Grismali Vngarj Pelliparij, familiaris et fidelis nostri, gratisque plurimum vtilibus et acceptis seruitijs per eum Maiestati Nostre fideliter prestitis, queue ad presens, et speramus eum inantea de bono semper in melius continuatione laudabili prestiturum; ut ipsius obsequiositatis impendium de rebellium nostrorum spolijs nostra Regia gratitudine compensemus, eidem Michali, ac ipsius vtriusque sexus heredibus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, imperpetuum subscripta bona, que fuisse ponuntur Nicolai de Marmoro rebellis nostri; videlicet domum vnam copertam de palia sitam in villa Viuiani pertinentium Auerse, iuxta domum heredum quondam Mathei Aldemanti de Neapolj a duabus partibus iuxta domum Maselli Jubini de dicta villa, viam publicam et alios confines, cum orto vno sibi contiguo, et modia triginta arbustata vitibus Latinis sita in loco, ubi dicitur vnum a centum de pertinentijs Auerse, prope starciam Comitis Lauretj, et alios confines, annui valoris, ut ponitur, vnciarum decem, per ipsius Nicolai rebellionem notoriam et lese Maiestatis crimen, adherendo olim Duci Andegauie hosti nostro, ac sequacibus et adherentibus suis, ad manus nostre Curie iuste et rationabiliter deuoluta, vsque scilicet ad annuum valorem predictarum vnciarum decem, cum juribus, rationibus et pertinentijs suis omnibus, damus donamus tradimus etc.; prout tota forma presentis priuilegij in alio quaterno Curie particulariter et de verbo ad verbum posita est, sub data Neapolj per manus viri nobilis Gentilis de Merolinis de Sulmona etc. Anno Domini M.CCC. octuagesimo tertio die primo Aprilis sexte indictionis, Regnorum nostrorum anno II.

(Ugyan III. Károlynak 1383-iki foganatosító parancsából mint 268. sz a.)

268.

III. Károly siciliai királynak parancsa, melylyel ezen adományt foganatosítja. 1383.

Karolus Tertius etc. Capitaneo Ciuitatis Auerse suique districtus, uel eius locumtenenti fideli nostro gratiam etc. Scire te volumus, concessisse nos nouiter Michali de Grismali Hungaro Pelipario, familiari et fidelj nostro dilecto patens priuilegium nostrum subscripte per omnia serici.

Karolus Tertius stb. (következik III. Károly siciliai királynak adománylevele mint 267. sz. a.)

Vt itaque memoratus Michalis, ipsique sui heredes, iuxta benignum intentionis nostre propositum assequantur realiter eiusdem concessionis et gratie nostre fructum; volumus et fidelitati tue de ipsa certa nostra scientia commictimus et mandamus expresse, quatenus prescripti nostri priuilegii forma diligenter actenta et efficaciter obseruata, iamdictum Michalem, seu personam legitimam pro eodem, in possessionem prefatorum bonorum cum juribus et pertinentijs eorum omnibus antedictis inducas seu induci mandes et facias auctoritate presentium corporalem, tenendorum per eundem Michalem ipsiusque heredes in feudum ab ipsa nostra Curia iuxta premissi nostri priuilegij continentiam et tenorem, fidelitate nostra, feudali quoque seruitio pro dictis bonis nostre Curie debito, nostris alijs et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. Non omissurus preterea diligenter inquirere vna cum Judice et actorum Notario per Curiam tibi datis de annuo valore ipsorum bonorum, que si vltra annuum valorem vnciarum auri decem fuerint valere comperta, illud, ultra quod fuerint bona ipsa valere comperta, compendijs nostre Curie reseruare procures, ac nostre Camere assignare. Et processum inquisitionis ipsius, infra prefatum bimestre tempus in eodem priuilegio declaratum, sub sigillis tuis, predictorumque Judicis et actorum Notarij Curie nostre transmictere, ut inter illius processus merita prouideatur per nos et nostram Curiam, prout nostra Serenitas duxerit demandandum, et pariter declarandum; facturus fieri de executione presentium cum earum forma tria

publica et consimilia instrumenta; quorum vno tibi retento tui ratiocinij tempore producendo, alio memorato Michalj uel eius procuratori aut nuncio traddito; tertium mittas Magistris Rationalibus Magne Curie Nostre Neapoli residentibus, in Archiuio pro cautela Curie conseruandum. Datum Neapolj per eundem nobilem virum Gentilem de Merolinis etc. Anno Domini MCCCLXXXIII. die III. Aprilis VI. indictionis, Regnorum nostrorum anno II.

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 296. l.; az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

269.

A raguzaiak kereskedése Messinában. 1383.

Nobilibus Rectoribus Ciuitatis Ragusie Parcium Sclauonie tam presentibus quam futuris, honorabilibus amicis suis, Perellus de Peruitali Reginalis Secretus et Magister Procurator Nobilis Ciuitatis Messine salutem et sincere dileccionis effectum. Cum pro temporibus retrohactis vniuersi et singuli homines Ragusei ad litteras Reginalis Curie nobis perinde directas soluebant in Ciuitate Messine jus dohanarum pro vniuersis et singulis rebus et mercibus immissis per eos in Ciuitatem eandem, et abinde extractis, tam per mare quam per terram, ad racionem videlicet de crocis (vagy tarenis) tribus pro quolibet centenario crocorum, ac jus anchoragii pro eorum nauibus seu vassellis in portu dicte Ciuitatis suique Districtus applicantibus, prout soluebant vniuersi et singuli rendabiles in Ciuitate predicta. Nuper vero ad instanciam et peticionem nonnullorum proborum virorum mercatorum Messanensium, et presertim prouidi viri Gerardi de Vrsone de Messena mercatoris, per dictam Reginalem Curiam, cognita beniuolencia Vniuersitatis dicte Ciuitatis Ragusii, quam vniuersi et singuli homines Ciuitatis ipsius erga vniuersos Messanenses semper affectuose gesserunt et gerunt, de liberalitate mera et gracia speciali est deliberate prouisum : Quod a primo Septembris proximo futuri huius sexte indiccionis in antea, singuli ciues dicte Ciuitatis Ragusine suique Districtus cum eorum rebus,

mercibus et vassellis intrando, stando, vendendo, emendo et exeundo in dicta et de dicta Ciuitate Messane suoque Districtu tractentur a predictis juribus liberi et immunes, ac ita utantur et gaudeant in dicta Ciuitate Messane immunitatibus et libertatibus, prout vtuntur et gaudent vniuersi et singuli Messanenses. In cuius rei testimonium, et tam vestri certitudinem, quam dictorum ciuium Raguseorum cautelam, presentes patentes litteras eis exinde fieri fecimus sigillo dicti Officii Secretie munitas. Scriptas Messane anno Dominice Incarnacionio M.CCC.LXXX.III. mense Aprilis quarto eiusdem VI. indictionis.

(Eredetie bőrhártyán Messina városnak hátúl oda nyomott pecsétjével; a bécsi császári titkos levéltárban.)

270.

Maria királyné megerősíti Raguza város privilegiumait. 1383.

(M)aria Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Regina, Princeps Salernitana, et Honoris Montis Sancti Angeli Domina omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presencium notitiam hatituris salutem in omnium salvatore. Regie Sublimitatis interest, et equitas suadet naturalis, ut qui sua statuta a suis successoribus desiderat observari, ipse quoque suorum predecessorum sancciones pari stabilitate studeat conservare, ut nulla vetustate dissoluantur, que succedencium sibi Regum auctoritas stabilitate perpetua decreuerit roborare. Proinde ad universorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Serenissimo Principe domino Lodovico, eadem Dei gracia Illustrissimo Rege Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. gloriose et laudande recordationis genitore nostro karissimo, volente Domino Celi, cujus nutu omnia reguntur et disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, nobisque jure successorio et ordine geniture Coronam et Solium dicti Regni Hungarie, ac sceptra regiminis ipsius genitoris nostri feliciter adeptis, nos instantiis votivis et humillimis supplicacionibus fidelium nostrorum Nobilium virorum

Petri de Gondola et Stephani de Lucaro, Ciuium et Ambasciatorum Ciuitatis nostre Ragusii, suis ac vniuersorum fidelium civium nostrorum eiusdem Ciuitatis nostre nobis porrectis, Reginali pietate inclinate; premissis eorum supplicationibus grato occurrentes assensu, vt exinde dicti Cives nostri discant sub Principe Glorioso devotius famulari, atque ab ipsis utilitatis et honoris materia lucrumque fructiferum Regie proueniat Maiestati, de consilio, consensu et beneplacita voluntate Serenissime et Excellentissime Principis domine Elizabeth premissa Dei gratia Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. genitricis nostre karissime, Prelatorumque et Baronum Regni nostri prematuro, omnia et singula privilegia, libertates et immunitates dicte Ciuitatis nostre Ragusii, per preallegatum Lodovicum Regem, genitorem nostrum karissimum eidem datas et concessas approbamus, acceptamus, ratificamus et pro memorata Ciuitate nostra Ragusii, et per consequens prefatis fidelibus civibus nostris de eadem, eorumque heredibus et posteritatibus vniuersis perpetuo valituras confirmamus presentis scripti patrocinio mediante. Volentes omnino et statuentes, vt iidem a modo in antea omnibus hiisdem libertatibus, gratiis et immunitatibus perpetuo fruantur et gratulentur, quibus dicta Ciuitas nostra Ragusii tempore dicti genitoris nostri karissimi vsa fuit et gavisa, et per ipsum genitorem nostrum vsque vite sue terminum extitit conservata. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostras privilegiales pendentis et autentici sigilli nostri dupplicis munimine roboratas. Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris et Domini domini Demetrii miseratione Diuina tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Sacrosancte Romane Ecclesie Presbiteri Cardinalis, Sancte Strigoniensis Ecclesie Gubernatoris Perpetui locique eiusdem Comitis similiter Perpetui, et Aule nostre fidelis Cancellarii, anno Domini MCCCLXXX tercio quindecimo kalendas mensis Maii, Regni autem nostri anno secundo. Reverendissimis et venerabilibus in Christo Patribus eodem domino Demetrio Gubernatore Ecclesie Strigoniensis Perpetuo, Lodovico Colocensi, Petro Jadrensi, Vgulino Spalatensi et Vgone Ragusiensi Archiepiocopis; Emerico Agriensi, Paulo Zagrabiensi, Gublino Transiluaniensi, Va-

lentino Quinque Ecclesiensi Decretorum Doctore, Johanne Waradiensi, Guillermo Jauriensi, Benedicto Wesprimiensi, Johanne Chanadiensi, Georgio Boznensi, Petro Waciensi, Johanne Syrmiensi, fratre Dominico Nytriensi, Paulo Tyniniensi, Demetrio Nonensi, Grisogono Traguriensi, Matheo Sybinicensi, Stephano Pharensi, Jacobo Makarensi, Michaele Scardonensi, et Thoma Seniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus, Corbaviensi Sede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara Regni nostri Palatino et Judice Comanorum; Ladizlao Wayuoda Transiluano et Comite de Zonuk; Comite Nicolao de Zeech Judice Curie nostre; Stephano de Lyndua totius Regni Sclauonie, Emerico dicto Bubek Dalmatie et Croatie, ac Stephano filio Phylpus de Machow Banis; Nicolao dicto Zambow Tauarnicorum, Blasio dicto Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Janitorum; Ladizlao filio Nicolai de Wesen Dapiferorum, et Stephano filio condam Dyonysii Wayuode Agazonum nostrorum Magistris, predicto Nicolao dicto Zambow Comite Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán a királynénak zöld selyemzsinóron függő kettős pecsétje alatt; a bécsi császári titkos levéltárban.)

271.

Mária és Erzsébet magyar királynék Györgyöt boszniai püspököt követül köldik Velenczébe, kinek jelenlétében a velenczei dogé és annak tanácsa a turini békességet esküvel megerősitsék. 1383.

Nos Maria Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chroacie, etc. nec non Elisabeth eadem gracia Hungarie, Polonie, Dalmaie etc. Regine regocnoscimus et notum facimus universis presentes inspecturis, quod nos de cicumspeccionem fidei et constantis virtutis industria, ac prudencie legalitate fidelis nostri devoti venerabilis is Christo patris dominii Georgii Episcopi Ecclesie Bosnensis presumpcionem et confidenciam in dubiam obtinentes, de Prelatorem, et Baronum nostrorum ma-

tura deliberacione, degestoque consilio, ex certa nostra sciencia, fecimus eumdem dominum Episcopum, constituivimus (így) et creavimus, ac facimus, instituimus et creamus nostrum verum, certum, legitimum et indubitatum procuratorem ac Syndicum specialem, ad audiendum, ascultandum, et recipiendum juramentum ab Inclito domino Antonio Venerio Duce, ac Communi Civitatis Veneciarum, quod idem juxta formam composicionis et pactorum inter olim Serenissimum Principem dominum Lodovicum Dei gracia Regem predictorum Regnorum, genitorum et consortem nostrum carissimum felicis memorie et suos successores ab una, parte vero ex altera dominum Ducem et Commune Veneciarum initorum et contractorum, prout series certarum litterarum de et super hoc confectarum declarat et exprimit de observandis, ratificandis, et approbandis eisdem composicionibus et pactis in dictis litteris seriose expressatis tempore creacionis novi Ducis, Nostre Majestati facere tenentur, et generaliter et specialiter omnia et singula facienda, que verus et legitimus procurator et negociorum gestor, ac homo ad hoc specialiter deputatus facere debet atque potest, circa dumtaxat premissa; et que nos facere deberemus et possemus, si personaliter interessemus; promittentes seu spondentes bona fide et absque omni dolo, ratum, gratum et firmum tenere et habere nunc et semper, que ipse dominus Georgius Episcopus, procurator et syndicus noster specialis, vice et nostris nominibus acceptabit, ordinabit ac disponet in premissis. Et in hujus rei testimonium atque robur evidens presentes propter absenciam majorum sigillorum nostrorum appensione sigillorum nostrorum secretorum fecimus communiri. Datum et actum Bude XXV. die mensis Aprilis anno Domini millesimo tercentessimo octuagesimo tercio.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv IV. kötetéből 97. l.)

272.

A velenczei köztársaság elfogadja a magyar királynénak szövetséget ajánló kívánatát. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione VI. die quarto mensis Maii. Capta : Cum Ambaxatores nostri, qui nuper redierunt de partibus Hungarie, inter alia dixerint nobis, quod dominus Episcopus Segne, Magnus Comes, et Voivoda habuerunt eis facere mentionem de liga, que multum placeret eis, inter Reginalem Majestatem Hungarie, et nos et Commune nostrum, quibus dominis nostri Ambaxiatores fecerunt responsionem, quod non habebant mandatum nec libertatem a nobis super dicto facto, sed quod bene nobis referrent verba predicta; et pro honore et statu nostri Dominii faciat non despicere ista verba: vadit pars, quod committatur nostris Ambaxiatoribus, quod debeant solum ex parte sua, et monstrando, quod scribant a se ipsis, respondere predictis domino Episcopo Segnie, Magno Comiti et Voivode, quod applicatis ipsis in Venecias, fuerunt ad conspectum nostri Dominii, et exposuerunt nobis verba predicta eis dicta per eos, et quod Dominatio nostra ea audivit placibiliter et benigne, et quod per ea, que possunt comprendere, posset teneri modus, qui esset causa bone fraternitatis inter partes.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 45. l.

273.

A velenczei doge és annak tanácsa Mária és Erzsébet magyar kiralynék követének jelenlétében a turini békességet esküvel erősitik meg. 1383.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo tercentesimo octuagesimo tercio indiccione sexta, die quinta decima mensis Maji. Cum in instrumento pacis, pactorum et convencionum factorum et firmatorum per Reverendos in Christo Patres dominum Valentinum Quinque-Ecclesiarum Decretorum Doctorem, et Paulum Zagrabiensem Episcopos,

tunc procuratores, actores, nuncios et legatos pie memorie Serenissimi et Excellentissimi Principis et domini Ludovici Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Chroacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Bulgarie Cumanieque Regis, Principis Salernitani et Honoris Montis Sancti Angeli Domini, nomine ei vice prefati quondam domini Regis ex una parte, ac nobiles et sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno Procuratorem Ecclesie Sancti Marci, cives Veneciarum, Syndicos, procuratores, actores, et nuncios speciales Inclite memorie domini Andree Contareno Illustris Veneciarum Ducis, Consiliorum et Communis Veneciarum, anno Domini millesimo tercentesimo octuagesimo primo indiccione quarta, die Jovis octavo mensis Augusti, in castro Taurini, de cujus quidem pacis instrumentis conficiendis ejusdem tenoris fuerunt rogati Notarii infrascripti, videlicet Johannes Ravaysii Secretarius Illustris domini Comitis Sabaudie, Antonius de Credencia Notarius Januensis, Bandinus filius Angeli Notarii de Bragis Notarius Paduanus, Galuanus quondam ser Bartholomei de Castrobaldo Notarius Reverendi patris domini Episcopi Quinque-Ecclesiarum, Antonius quondam Nicolai olim ser Guarnerii de Sonumbergo Notarius Furlanorum, et Bon Johannes de Brisariis Notarius Ducalis Dominacionis Veneciarum, inter cetera in effectu contineatur, quod omnes Duces Veneciarum, qui pro tempore erunt cum eorum Consilio habente omnimodam potestatem, in quo debeant adesse ipse dominus Dux, sex Consiliarii sui, tria Capita de Quadraginta, Sapientes dicti Consilii, Consiliarii de Quadraginta, Consilium Rogatorum, et Consilium Adjuncte, nomine Communis Veneciarum semper et quandocunque ad requisicionem Serenissime Majestatis Hungarie, et succesorum ejus, teneantur semel tantum pro quolibet Duce prestare juramentum corporaliter et expresse de observando pacem predictam et omnia et singula in instrumentis ipsius pacis contenta; et versa vice prefata Serenissima Majestas Hungarie, et singuli ejus in posterum successores, similiter teneantur de observancia tocius pacis dicte et transaccionis et omnium contentorum in ea corporaliter jurare pro quolibet Rege semel tantum. Idcirco Excelsus et Inclitus Dominus dominus Antonius Venerio Duc

Veneciarum una cum suo Consilio habente omnimodam potestatem, in quo affuerunt sex sui Consilii, videlicet nobiles et sapientes viri domini Johannes Bembo, Johannes Storlato, Candianus Barbaro, Johannes Barbo, Dominicus Bono, et Remigius Superancio, et tria Capita de Quadraginta, sicilicet nobiles viri domini Daniel Dandulo, Johannes Contareno, et Johannes Capello, ac quinque Sapientes Consilii, scilicet nobiles et sapientes viri domini Leonardus Dandulo Miles, Johannes Gradonico Procurator Ecclesie Sancti Marci, Carolus Geno, Petrus Aymo, et Donatus Truno, et omnes et singuli de Consilio Quadragiuta, de Consilio Rogatorum et de Consilio Adjuncte; volentes et intendentes dictam pacem et omnia et singula in instrumentis ipsius pacis contenta plenissime et inviolabiliter observare, sequentes formam predicti capituli de dicto juramento prestando, in presencia et ad requisicionem venerabilis in Christo patris domini Georgii Episcopi Ecclesie Bosnensis, procuratoris et syndici Serenissimarum et Excellentissimarum dominarum Marie Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chroacie etc. nec non Elisabet Hungarie, Polonie, Dalmacie, etc. Reginarum ad infrascripta specialiter constituti, ut constat patentibus litteris prefatarum Serenissimarum Dominarum datis Bude XXV. die mensis Aprilis anno Domini millesimo tercentesimo octuagesimo tercio, et apposicione sigillorum secretorum predictarum Excellentissimarum Reginarum munitis, a me Notario infrascripto visarum et lectarum, quarum litterarum tenor inferius est insertus, corporaliter tactis scripturis juraverunt ad Sancta Dei Evangelia predictam pacem, et omnia et singula capitula, pacta, et convenciones, ac remissiones, et omnia et singula in instrumento dicte pacis contenta attendere et observare, ac attendi et observari facere absque excepcione vel dolo in pena, et sub pena contenta in contractibus pacis predicte, et sub obligacione bonorum omnium Communis Veneciarum; renunciantes super omnibus et singulis suprascriptis excepcioni doli mali et in factum, condiccioni sine causa vel ex injusta causa, fori privilegio, et omnibus juribus civilibus, canonicis et municipalibus, quibus possent contra predicta, vel aliquod predictorum quomodolibet se tueri. Tenor autem litterarum Reginalium predictarum talis est, vi-

delicet: Nos Maria Dei gr. Hnng. stb. (mint fenebb 271. sz. a.) De predictis autem omnibus et singulis rogatus fni ego Guillielmus de Vincenciis Notarius infrascriptus conficere unum et plura ejusdem tenoris et consonancie publica instrumenta. Actum Veneciis in Ducali Palacio presentibus nobili et circumspecto viro domino Raphayno de Caresinis honorabili Cancellario Communis Veneciarum, ac providis viris ser Johanne Vido, ser Petro de Quadraginta, ser Nicoleto del Camino, et ser Guilielmo de Clarutis Notariis Ducatus Veneciarum, testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, et aliis.

Ego Guillielmus de Vincenciis stb.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 56. és 96. lev.)

274.

A velenczei köztársaság Dandolo Saracent követnek választja Magyarországba, hogy jelenlétében a királynék a turini békességet esküvel erősitsék meg. 1383

Anno MCCCLXXXIII. indictione VI. die XXIII. mensis Maii. Capta: Quod pro accipiendo sacramentum Reginali Maistati Hungarie secundum formam pacis, sicut acceptum fuit a nostro Dominio hic in Veneciis per istum dominum Episcopum Hungarum, in bona gratia pro dicto facto et aliis, sicut videbitur isti Consilio, elligatur unus Ambaxator solempnis per scruptinium in hoc Consilio, qui possit accipi de illis locis, que possunt accipi ad testam coronatam, et respondeat die, qua fuerit ellectus vel alia ad tertias, et non possit reffutare sub pena ducatorum centum. Et debeat habere quatuor domicellos, unum notarium cum uno famulo, duos ragatios, unum expensatorem et unum cochum; et possit expendere in omnibus expensis quomodocumque occurrentibus pro se et familia predicta ducatos sex in die, exceptis scortis et nabulis navigiorum. De commissione vero dicti Ambaxiatoris providebitur ante suum recessum, sicut videbitur isti Consilio.

Electus Ambaxator in Hungaria: Ser Petrus Justiniano condam ser Marci, absolutus. Nicolaus Geno condam ser

Dragoni cum pena. Ser Marcus Geno Advocator. Ser Johannes Contareno condam ser Fantini re. pro eundo extra V. Junii. Ser Paulus Mauroceno condam ser Alexandri re. pro eundo extra. Ser Johannes Mauroceno condam domini Ducis, reffutavit. Ser Saracenus Dandolo.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 84. l.)

275.

A velenczei nagytanácsnak, határozata, hogy nem egy hanem két követ küldettessék Magyarországba, 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione VI. die XVI. Junii. Quia negotia, pro quibus debet mitti Ambaxata ad partes Hungarie, sunt magna et ardua, et tangunt vehementer honorem et statum nostri Dominii, quia non vadit solum pro accipiendo sacramentum secundum formam pacis, sed pro aliis magnis negociis, tangentibus statum nostrum: vadit pars, quod sicut fieri debet unus Ambaxator, ita fieri debeant duo Ambaxatores cum familia et expensis in totum, cum quibus fuerunt ser Paulus Mauroceno et ser Petrus Bragadino olim Ambaxatores ad dictas partes, remanente pena reffutandi et aliis condicionibus alias captis pro dicta Ambaxata in sua firmitate.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 93. l.)

376.

A velenczei nagytanácsnak határozata a Magyarországba küldendő követség ügyében. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. die decimo nono mensis Junii, indictione VI. Quod considerato, quantum negotia, pro quibus debet mitti Ambaxata ad partes Hungarie, sunt magna et ardua, in bona gratia fieri debeant duo Ambaxatores per scruptinium in hoc Consilio, sicut erat captum de uno; qui duo habeant tres domicellos pro quolibet, sicut fuit captum alias de quatuor, cum omnibus aliis conditionibus alias captis in hoc Consilio. Verum pro honore nostri Dominii, et ut terra

habeat suum drictum de sufficienti persona, debeant dicti duo Ambaxatores habere a nostro Communi ducatos centum pro quolibet pro toto dicto viagio pro induendo se; et possint expendere ducatos quinque in die pro quolibet, sicut pridie captum fuit de sex.

Capta: Quod in bona gratia fiat unus Ambaxator ad partes Hungarie per quatuor manus electionum in isto Consilio, qui habeat de salario vel provisione ducatos centum auri pro induendo se pro honore nostri Dominii, cum omnibus conditionibus et modis alias captis in hoc Consilio.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből. XXXVIII. köt. 95. l.)

277.

Mária királynénak privilegiuma, melylyel atyja I. Lajos király 1364-ki vámszabadalmait erősítette meg, a nürnbergi és a prágai kereskedők számára. 1383.

Maria Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bolgarieque Regina, Princeps Salernitana, et Honoris Montis Sancti Angeli Domina omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris salutem in omnium saluatore. Vt ea, que geruntur in tempore, apud posteros inuiolabiliter perseuerent, litterarum solent testimonio perhemnari; inconcussum namque id permanet, quod Regio patrocinio fuerit communitum. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Serenissimo Principe domino Lodouico premissa Dei gracia Illustrissimo Rege Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. genitore nostro karissimo laudande recordacionis, volente Domino Celi, cuius nutu omnia reguntur et disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, Nobisque iure successorio et ordine geniture Coronam et Solium dicti Regni Hungarie, ac sceptra regiminis ipsius genitoris nostri feliciter adeptis; prouidus vir Vlricus Eyzfogol ciuis et mercator de Neurumpurg sua ac vniuersorum ciuium et mercatorum de eadem et de Praga in personis ad Nostre Serenitatis veniendo presenciam, exhibuit nobis quasdam litteras pa-

tentes dicti genitoris nostri, maiori et vltimo sigillo eiusdem autentico consignatas, tenores quarundam litterarum eiusdem genitoris nostri priuilegialium, nec non quarundam litterarum condam Serenissimi Principis domini Karoli Regis patencium aui nostri karissimi felicis memorie, super moderamine solucionis tributorum a mercatoribus extraneis Regno nostro exigendorum emanatarum, in se confirmatiue habentes, tenorum et continenciarum per omnia infrascriptorum; supplicans exinde nominibus quibus supra Nostre humiliter Maiestati, vt easdem presentibus de uerbo ad uerbum inseri et transscribi faciendo acceptare, approbare, ratificare, et nostro dignaremur priuilegio perpetuo confirmare. Quarum tenor talis est:

Lodouicus D. gr. Hungarie stb. Rex stb. (következik I. Lajos királynak 1364-ki megerősítő okmánya, mint gyűjteményünk II. kötetében 617. l. 455. sz. a.)

Nos itaque premissis supplicacionibus dicti Wlrici Eyzfogol nominibus quibus supra Nostre per ipsum humiliter porrectis Maiestati fauorabili pietate inclinate, pretactas litteras patentes ipsius genitoris nostri presentibus verbotenus insertas, simul cum dictis articulis in tenoribus earum contentis et expressis, quoad omnes earum clausulas et continencias acceptamus, approbamus, roboramus, ratificamus, et ex certa nostra sciencia, de consensu et beneplacita voluntate, Serenissime Principis domine Elizabeth Dei gracia Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. genitricis nostre karissime, Prelatorumque et Baronum Regni nostri consilio prematuro, pro eisdem prouidis viris mercatoribus de Neurumberg et de Praga, eorumque heredibus nostro priuilegio perpetuo valituro confirmamus. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris et Domini domini Demetrii miseracione Diuina tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Sacrosancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis, Sancte Strigoniensis Ecclesie Gubernatoris Perpetui, locique eiusdem Comitis similiter Perpetui, et Aule nostre fidelis Cancellarij anno Domini millesimo CCC. octogesimo

tercio, sexto kalendas Junij, Regni autem nostri anno secundo. Reuerendissimis et venerabilibus in Christo Patribus, eodem domino Demetrio Gubernatore Ecclesie Strigoniensis, Lodouico Colocensi, Petro Jadrensi, Vgulino Spalatensi et Vgone Ragusiensi Archiepiscopis; Emerico Agriensi, Paulo Zagrabiensi, Gublino Transiluanensi, Valentino Quinque-Ecclesiensi Decretorum Doctore, Johanne Waradiensi, Guillermo Jauriensi, Benedicto Wesprimiensi, Johanne Chanadiensi, Georgio Boznensi, Petro Waciensi, Johanne Syrimiensi, fratre Dominico Nytriensi, Matheo Sibinicensi, Stephano Pharensi, Jacobo Makarensi, Mychaele Scardonensi et Thoma Seniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Corbauiensi Sede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara Regni nostri Palatino et Judice Comanorum, Ladizlao Woyuoda Transiluano et Comite de Zonuk; Comite Nicolao de Zeech Judice Curie nostre, Stephano de Lyndua tocius Sclauonie, Stephano filio condam Stephani Dalmacie et Croacie, ac Stephano filio Philpus de Macho Banis; Nicolao dicto Zambo Tauarnicorum, Blasio dicto Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Janitorum, Ladizlao filio Nicolai de Wesen Dapiferorum, et Stephano filio condam domini Dyonisij Woyuode Agazonum nostrorum Magistris; predicto Nicolao de Zambou Comite Posoniensi, alijsque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán, a királynénak kék-vörös selyemzsinóron függő kettős pecsétje alatt; a királyi bajor müncheni államlevéltárban.)

278.

Mária királynénak privilegiuma, melylyel atyja I. Lajos király 1370-ki kereskedelmi szabadalmait erősitette meg, a nürnbergi kereskedők számára. 1383.

Maria Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bolgarieque Regina, Princeps Salernitana, et Honoris Montis Sancti Angeli Domina omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris

presencium noticiam habituris salutem in omnium saluatore. Vt ea, que geruntur in tempore, apud posteros inuiolabiliter perseuerent, litterarum solent testimonio perhempnari; inconcussum namque id permanet, quod Regio patrocinio fuerit communitum. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire, quod Serenissimo Principe domino Lodouico premissa Dei gracia Illustrissimo Rege Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. genitore nostro karissimo laudande recordacionis volente Domino Celi, cuius nutu omnia reguntur et disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, Nobisque iure successorio et ordine geniture Coronam et Solium dicti Regni Hungarie, ac sceptra regiminis ipsius genitoris nostri feliciter adeptis, prouidus vir Vlricus Eyzfogol ciuis et mercator de Nerumburg sua ac vniuersorum mercatorum de Nurumburg in personis ad Nostre Serenitatis veniendo presenciam exhibuit Nobis quasdam litteras dicti genitoris nostri, maiori ac vltimo suo sigillo consignatas super quarundam libertatum articulis in eisdum expressis, per eundem genitorem nostrum dictis mercatoribus concessis emanatas, tenoris et continencie per omnia infrascripte; supplicans exinde nominibus quibus supra Nostre humiliter Maiestati, vt easdem presentibus de verbo ad verbum inseri et inscribi faciendo acceptare, approbare, ratificare. et nostro pro ipsis dignaremur priuilegio perpetuo confirmare. Quarum tenor talis est :

Lodouicus Dei gracia Hungarie stb. Rex stb. (következik I. Lajos, királynak 1370-ki kereskedelmi szabadalma, mint gyűjteményünk II. kötetében 676. l. 511. sz. a.)

Nos itaque premissis supplicacionibus dicti Wlrici Eyzfogol nominibus quibus supra Nostre per ipsum humiliter porrectis Maiestati fauorabili pietate inclinate, pretactas litteras patentes ipsius genitoris nostri presentibus de verbo ad verbum insertas, simul cum dictis articulis in tenoribus earum contentis et expressis, quoad omnes earum clausulas et continencias acceptamus, approbamus, roboramus, ratificamus, et ex certa nostra sciencia, de consensu et beneplacita voluntate Serenissime Principis domine Elizabeth Dei gracia Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. genitricis nostre karissime,

Prelatorumque et Baronum Regni nostri consilio prematuro eisdem prouidis viris mercatoribus de Neurumberg — — — eorumque heredibus nostro priuilegio perpetuo valituro confirmamus. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes concessimus litteras nostras priuilegiales pendentis et autentici sigilli nostri munimine roboratas. Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris et Domini domini Demetrii miseracione Diuina tituli Sanctorum Quatuoi Coronatorum Sacrosancte Romane Ecclesie Presbiteri Cardinalis, Sancte Strigoniensis Ecclesie Gubernatoris Perpetui, locique eiusdem Comitis similiter Perpetui, et Aule nostre fidelis Cancellarij anno Domini millesimo CCC. octogesimo tercio, sexto kalendas Junij, Regni autem nostri anno secundo. Reuerendissimis et venerabilibus in Christo Patribus, eodem domino Demetrio Gubernatore Ecclesie Strigoniensis, Lodouico Colocensi, Petro Jadrensi, Vgulino Spalatensi et Vgone Ragusiensi Archiepiscopis; Emerico Agriensi, Paulo Zagrabiensi, Gublino Transiluaniensi, Valentino Quinque-Ecclesiensi Decretorum Doctore, Johanne Waradiensi, Guillermo Jauriensi, Benedicto Wesprimiensi, Johanne Chanadiensi, Georgio Boznensi, Petro Waciensi, Johanne Syrimiensi, fratre Dominico Nytriensi, Matheo Sibinicensi, Stephano Pharensi, Jacobo Makarensi, Mychaele Scardonensi et Thoma Seniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus; Corbauiensi Sede vacante. Magnificis viris Nicolao de Gara Regni nostri Palatino et Judice Comanorum, Ladizlao Woyuoda Transiluano et Comite de Zonuk; Comite Nicolao de Zeech Judice Curie nostre, Stephano de Lyndua tocius Sclauonie, Stephano filio condam Stephani Dalmacie et Croacie, ac Stephano filio Philpus de Macho Banis; Nicolao dicto Zambo Tauarnicorum, Blasio dicto Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Janitorum, Ladislao filio Nicolai de Wesen Dapiferorum, et Stephano filio condam domini Dyonisij Woyuode Agazonum nostrorum Magistris; predicto Nicolao de Zambou Comite Posoniensi, alijsque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán; a bajor királyi müncheni levéltárban.)

279.

A velenczei nagytanácsnak Magyarországba küldendő követe utasitásának tárgyában. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. dei sexto mensis Julii. Capta: Quod fiat comissio nobili viro ser Saraceno Dandulo Ambaxatori nostro ituro ad partes Hungarie in hac forma, videlicet: quod cum literis nostris credulitatis comparere debeat coram Serenissima et Excellentissima Reginali Maiestate Hungarie, cui facta reverentia et salutatione ex parte nostri Dominii cum verbis amoris et dilectionis, offerendo nos et Commune nostrum ad beneplacita et honores Sue Reginalis Maiestatis; procurare debeat de accipiendo sacramentum ab ipsa Reginali Maiestate, sicut fieri debet per formam pacis; dando in scriptis dicto nostro Ambaxatori copiam pacis predicte, que loquitur super facto predicto, et formam instrumenti soliti fieri de ipso sacramento fiendo per prefatam Reginalem Maiestatem cum omnibus scripturis et informationibus opportunis ita quod nichil deficiat nostro ambaxatori predicto.

Insuper cum per multos de Baronibus et Prelatis Serenissime Reginalis Maiestatis Hungarie fuerit facta mentio nostris Ambaxatoribus, qui pridie venerunt de partibus Hungarie, et etiam per dominum Episcopum, qui huc venit pro dando sacramentum Serenissimo Domino Duci nostro, de faciendo ligam et unionem inter Serenissimam Reginalem Maiestatem Hungarie, et nos et Commune nostrum; informetur noster Ambaxator, quod ipsa liga et unio nobis placeret per modum, qui continetur inferius, et propterea in casu quo dicto nostro Ambaxatori fieret mentio per Reginalem Maistatem Hungarie, vel aliquem vel aliquos de Baronibus vel Prelatis suis, sumus contenti, quod condescendat ad ipsam ligam per modum notatum hic inferius; etiam in casu quo mentio aliqua sibi non fieret per aliquem de predictis, relinquatur in libertate Ambaxatoris nostri, sicut et quando ei videbitur, tangendi et procurandi de ipsa liga et unione, quia habemus, quod esset utilis et bona in forma, qua volumus pro nobis et statu nostro.

Forma lige, que placeret nobis, est in hac forma, videlicet :

Primo, quod ipsa liga et unio, sit inter Serenissimam Reginalem Maiestatem Hungarie ex una parte, et nos et Commune nostrum ex altera. Item quod ipsa liga et unio fiat et sit a Ragusio, et a Ragusio citra per mare. Item quod ipsa liga sit ad terminum decem annorum vel circa, sicut Ambaxator noster melius poterit obtinere.

Modus vero et ordo lige sit, quod in casu quo per aliquem Dominum vel Dominos, Communitatem vel personam vel vel peronas, cuiuscumque conditionis existant, vellent damnificare vel offendi terre vel loca Sclavonie vel illarum partium a Ragusio, et a Ragusio citra per mare, que sunt Reginalis Maiestatis Hungarie, vel subditi et fideles Reginalis Maiestatis dictarum partium, quod nos et Commune nostrum teneamur et debeamus armare in subsidium suum et terrarum et locorum suorum predictorum, et ad damnum et confusionem illorum tamquam inimicorum nostrorum tot galeas ad nostras expensas, quot armabit Reginalis Maiestas predicta, et pro tanto tempore eas tenebimus armatas et paratas in terminos et confines predictos, quanto Reginalis Maiestas predicta tenebit suas bene paratas et armatas infra terminos et confines antedictos.

Capta: Et ultra hoc, si erunt necessaria Reginali Maiestati Hungarie aliqua corpora galearum de nostris pro causa predicta, vel armare in Veneciis; quod nos debeamus ei de hoc complacere pro suis denariis et ad suas expensas pro salute et conservatione dictarum terrarum et locorum suorum, et dampno et confusione illorum, qui offendere vel dampnificare vellent; et quod in portubus nostris cum galeis et navigiis suis possint intrare et habere victualia et refrescamenta pro eorum denariis, ut fuerit opportunum. Item quod nos teneamur et debeamus penitus denegare illis talibus venientibus ad dampnum et offensionem Reginalis Maiestatis predicte omnes portus nostros marittimos terrarum et locorum nostrorum, et omnia victualia et refrescamenta, et tractare illos tamquam inimicos. Si vero aliquis vel aliqui, cuiuscumque conditionis existant, ut supra dictum est, vellent ve-

nire ad dampnum vel offensionem nostram vel terrarum et locorum et subditorum Communis Venetiarum a Ragusio et a Ragusio citra per mare, quod Serenissima Reginalis Maiestas teneatur et debeat ad dampnum et confusionem illorum armare ad suas expensas medietatem tot galearum, quot nos armabimus a decem galeis vel a decem galeis infra; et si ultra numerum X galearum armabimus, quod tunc Reginalis Maiestas quinque galeas bene armatas et paratas ad omnes suas expensas nobis dare teneatur et debeat ad dampnum et confusionem eorum; quas galeas Reginalis Maiestas predicta tenere debeat bene armatas et paratas infra terminos et confines predictos. Item, quod Reginalis Maiestas predicta teneatur et debeat penitus denegare illis talibus venientibus ad dampnum et offensionem nostram omnes portus suos marittimos terrarum et locorum suorum predictorum, et omnia victualia et refrescamenta, et tractare illos tamquam inimicos, et nobis, galeis et navigiis nostris consentire de possendo intrare in suis portubus predictis, et habere victualia et refrescamenta pro nostra pecunia, sicut fuerit opportunum; et etiam quod in terris et locis suis Dalmatie possimus armare ad nostras expensas in dicto casu aliquas galeas, sicut fuerit opportuum. Et in predictis omnibus et circa predicta Ambaxator noster procuret omnia illa maiora avantagia et melioramenta, que poterit pro bono nostri Communis, sicut de persona sua plene speramus. Et si noster Ambaxator poterit obtinere nostram intentionem per modum predictum, bene quidem, et tunc in dicto casu, imposito fine factis, accepto honorabili commeatu, et rogato instrumento ad plenum cum clausulis opportunis, redeat Venetias de omnibus informatus; si vero non posset obtinere, ut superius dictum est, quia Reginalis Maiestas predicta vellet per alium modum, vel quia remaneret pro aliqua differentia, tunc scribat quicquid fuerit et habuerit, et in quo termino negotia remanserint, singulariter et distincte, et expectet nostrum mandatum. Et fiat Sindicatus ad plenum in forma solita nostro Ambaxatori, sicut in casu simili fieri consuevit.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVIII. köt. 97. l.)

280.

Dandolo Saracen Magyarországba küldendő velenczei követnek megbízó levele. 1383.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdes millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, indiccione sexta, die sexto mensis Julii, Illustris et Excelsus Dominus dominus Antonius Venerio Dei gracia Dux Veneciarum una cum suis Consiliis, Minori, Rogatorum, Quadraginta et Zonte, ad infrascripta et alia plenissimam libertatem habentibus, et pro infrascriptis exercendis ad sonum campane et voce preconia vocatis et congregatis; et ipsa Consilia una cum ipso domino Duce, unanimiter et concorditer nemine discrepante pro se et successoribus suis, ac nomine et vice Communis Veneciarum omnibus modis, juribus, formis et causis, quibus melius potuerunt, fecerunt, constituerunt, creaverunt et ordinaverunt suum et dicti Communis Veneciarum Syndicum, actorem, procuratorem legitimum et negociorum gestorem, et quicquid amplius et efficacius esse et dici potest, nobilem et sapientem virum dominum Saracenum Dandulo, honorabilem civem Veneciarum, Ambaxiatorem ad Serenissimas Majestates Hungarie absentem tamquam presentem in omnibus eorum et dicti Communis Veneciarum litibus, controversiis et querelis civilibus et criminalibus, presentibus et futuris, et specialiter ad comparendum pro eis et eorum nomine ad presenciam Serenissimarum et Excellentissimarum Dominarum dominarum Marie Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Chroacie etc. nec non Elisabeth eadem Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. Illustrium Reginarum, et ad audiendum et ascultandum et recipiendum a Majestatibus prefatarum dominarum Reginarum et utriusque earum corporaliter juramendum, quod prefate domine Regine et utraque earum juxta formam pacis, composicionis et pactorum inter olim Serenissimum et Excellentissimum Principem, dominum Ludovicum Dei gracia Regem, predictarum dominarum Reginarum genitorem et consortem Illustrissimum felicis memorie, et successores suos ab una parte, et prelibatum dominum Ducem et Commune Veneciarum initorum et contracto-

rum; prout series instrumentorum de et super hoc confectorum declarat et exprimit, de observandis, ratificandis et approbandis eisdem composicionibus et pactis in dictis instrumentis seriose expressatis singuli successores prefati domini Ludovici olim Illustrissimi Regis prestare tenentur pro quolibet Rege semel tantum, cartas, instrumenta et litteras de prestacione dicti juramenti obtinendum et recipiendum, et generaliter ad omnia alia et singula faciendum, que in predictis et singulis, et dependentibus, et connexis necessaria fuerint et opportuna, et que dicto eorum Syndico videbuntur, eciamsi talia forent, que mandatum exigerent speciale; dantes et concedentes dicto eorum Syndico et procuratori in predictis et circa predicta, et in dependentibus et connexis plenum, liberum et generale mandatum, ac eciam speciale, ubi exigitur, cum plena, libera et generali administracione et potestate, ac promittentes mihi Notario infrascripto stipulanti et recipienti nomine et vice omnium et singulorum, quorum interest vel interesse posset, se firma, rata et grata habere perpetuo, et tenere, attendere et observare, ac adimplere, quecumque dictus eorum Syndicus et procurator in predictis et circa predicta, et in dependentibus et connexis duxerit facienda, et non contrafacere vel venire, sub obligacione et ypotheca omnium bonorum Communis Veneciarum, mobilium et immobilium, presencium et futurorum. Actum Veneciis in Ducali palacio. stb.

(Jegyzői jegy.) Ego Johannes Plumacio filius ser Bertuccii de Veneciis, Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Veneciarum Scriba, premissis omnibus et singulis presens fui, eaque de mandato prefati Incliti domini Ducis scripsi rogatus.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből, 101. l.)

281.

Dandolo Saracennak pótutasitása. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione sexta, die XXVI. Julii. Capta: Quod statim per duos veloces cursores scriba-

tur nobili viro ser Saraceno Dandulo Ambaxatori nostro in Hungaria, quod in casu quo sibi facta non sit aliqua mentio de facto lige, nec ipse de ipso facto fecerit aliquam mentionem, nullo modo debeat de ipsa liga se impedire nec aliquam facere mentionem ; sed expeditus de aliis sibi commissis, redeat Venetias. In casu voro quo eidem facta foret aliqua mentio de ipsa liga, aut fieret ante recessum suum, vel ipse Ambaxator noster de ipsa liga mentionem aliquam fecisset; tunc non procedat ulterius superinde, sed supersedeat, ostendendo, quod velit ad nos pro aliqua libertate vel declaratione transmittere, et in dicto casu subito rescribat nobis, in quibus terminis se reperiet, et nostrum expectet mandatum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 112. l)

282.

Tvartko II. István szerb és boszniai király a velenczei köztársaságtól polgárnak felvétetik. 1383.

Anthonius Venerio Dei gracia Dux Venetiarum etc. universis et singulis presens privilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Ducalis benignitas in liberalitatis operibus solita celeberrime conservari, tanto personas illustres et excelsas prevenire studet honoribus et dotalibus ampliare favoribus, ipsarumque petitiones liberalius exaudire; quanto se nostro Ducatui devotiores fide ac charitate laudabilium operum ostenderunt. Verum cum Serenissimus dominus Stephanus Tuertcho Dei gratia Rex Rassie, Bossine Maritimarumque Partium etc. honoris et nominis nostri zelator assiduus, qui semper cum eius progenitoribus inclite memorie se verum expressit Venetum et perfectum, se penes Ducatum nostrum sentiens suis meritis gratiosum plurimum et acceptum, nostram fecerit Magnificentiam amicabiliter rogari, ut nobis placeret ipsum, eiusque filios et heredes, aliorum Nobilium Venetorum nostrorum et fidelium numero gratiosius aggregare, ut beneficiis Citadinatus dotati, nobilium et civium Venetiarum privilegio congauderent: Nos attendentes dilectionem ingentem et gratum affectum et sinceritatem, quam semper prefatus do-

minus Stephanus Rex ad nos et Ducatum nostrum et singulares personas eiusdem ferventer et laudabiliter ostendit; acceptorum operum per effectum, benemeritas preces ipsius duximus digne retribuentes munere gratificabiliter acceptandas. Notum igitur fieri volumus universis et singulis tam presentibus quam futuris, quod omni juris, consiliorum et ordinamentorum nostrorum integra solemnitate servata, prefatum dominum Stephanum Regem cum suis filiis et heredibus in Venetos et cives nostros recepimus atque recipimus, et Venetos et cives nostros fecimus et facimus, et pro Venetis et civibus nostris in Venetiis et extra ubilibet haberi volumus et tractari; ipsos sincere dilectionis brachiis amplexantes, ac firmiter statuentes, quod eisdem libertatibus, beneficiis, gratiis, honoribus ac immunitatibus, quibus alii nobiles cives Venetiarum gaudent, prefati dominus Stephanus Rex et sui filii et heredes in Venetiis et extra ubique gaudeant plenissime et utantur. In quorum omnium fidem, testimonium et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri mandavimus, et bulla nostra pendente aurea communiri. Datum in nostro ducali palatio anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, die penultimo Julii, sexte indictionis.

Millesimo trecentesimo nonagesimo primo, mensis Junii die primo, indictione quartadecima, simile privilegium factum fuit domino Stephano de Bissa (Dabisa) Dei gratia Regi Rassie, Bossine, Maritimeque etc. punctualiter, ut factum fuit domino Stephano Tuertcho, mutato solumodo nomine partis et tempore.

Millesimo quadringentesimo quarto, mensis Augusti die septimo, indictione duodecima, factum fuit simile privilegium Serenissimo domino Tuertcho, quondam Tuertkonis Regis, Dei gratia Regi Rassie, Bossine, Maritimeque etc. mutato nomine Ducis et tempore.

(A »Liber Privilegiorum« czimű velenczei államkönyvből I. köt. 56. l.)

283.

I. Mária és Erszébet magyar királynék a turini békességet esküvel erősitik meg. 1383.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo tercio, indiccione sexta, die quinto mensis Septembris. Cum in instrumento pacis, pactorum et conuencionum factorum et firmatorum per Reverendos in Christo Patres, dominum Valentinum Quinque-Ecclesiarum Decretorum Doctorem, et Paulum Zagrabiensem Episcopos, tunc procuratores, actores, nuncios et legatos pie memorie Serenissimi et Excellentissimi Principis et domini Ludovici Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Bulgarie Cumanieque Regis, Principis Salernitani et Honoris Montis Sancti Angeli Domini, nomine et vice prefati quondam domini Regis ex vna parte; et nobiles et sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno Procuratorem Sancti Marci, cives Veneciarum, Syndicos, procuratores, actores et nuncios speciales Inclite memorie domini Andree Contareno Illustris Veneciarum Ducis, Consiliorum et Communis Veneciarum anno domini millessimo trecentesimo octuagesimo primo, indiccione quarta, die Jovis octavo mensis Augusti in castro Taurini; de cuius quidem pacis instrumentis conficiendis eiusdem tenoris fuerunt rogati Notarii infrascripti, videlicet Johannes Ravaysij Secretarius Illustris domini Comitis Sabaudie, Antonius de Credencia Notarius Januensis, Bandinus filius Angeli Notarii de Bragis Notarius Paduanus, Galvanus quondam ser Bartholomei de Castrobaldo Notarius Reverendi Patris domini Episcopi Quinque-Ecclesiarum, Antonius quondam Nicolai olim ser Guernerii de Sonumbergo Notarius Furlanorum, et Bon Johannes de Brisariis Notarius Ducalis Dominacionis Veneciarum, inter cetera in effectu contineatur, quod omnes Duces Veneciarum, qui pro tempore erunt cum eorum Consilio habente omnimodam potestatem, in quo debeant adesse ipse dominus Dux, et sex Consiliarii sui, tria Capita de Quadraginta, Sapientes de guerra, Consilium

de Quadraginta, Consilium Rogatorum et Consilium Adjunte nomine Communis Veneciarum semper et quandocunque ad requisicionem Serenissime Majestatis Hungarie et successorum eius teneantur semel tantum pro quolibet Duce prestare juramentum corporaliter et expresse de observando pacem predictam, et omnia et singula in instrumentis ipsius pacis contenta; et viceversa prefata Serenissima Maiestas Hungarie, et singuli ejus in posterum successores similiter teneantur de observancia tocius pacis predicte et transaccionis, et omnium contentorum in ea corporaliter jurare pro quolibet Rege semel tantum. Idcirco Serenissime et Excellentissime Principes, domina Maria Dei gracia Regina Hungarie, Dalmacie, Chroacie etc., et domina Elisabeth eadem Dei gracia Regina Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. volentes et intendentes dictam pacem, et omnia et singula in instrumento ipsius pacis contenta plenissime et inviolabiliter observare, sequentes formam dicti capituli de dicto juramento prestando, in presencia et ad requisicionem egregii et generosi viri domini Saraceni Dandulo procuratoris, Ambaxiatoris, et Syndici Illustris et Excelsi Domini domini Antonii Venerio Incliti Ducis Veneciarum etc., et Consiliorum suorum atque tocius Communis Veneciarum ad infrascripta specialiter et solemniter constituti, ut constat plenarie instrumento de Syndicatu ejus scripto per Johannem Plumacio filium ser Bertucii de Veneciis Publicum Imperiali auctoritate Notarium et Ducatus Veneciarum Scribam sub anno Domini millesimo tercentesimo octuagesimo tercio, indiccione sexta, die sexto mensis Julii, a me infrascripto Notario viso et perlecto; cujus quidem syndicatus tenor per omnia per me infrascriptum Notarium est scriptus inferius et insertus, corporaliter tactis scripturis juraverunt ad Sancta Dei Evangelia predictam pacem et omnia et singula capitula, pacta, et convenciones ac remissiones, et omnia et singula in instrumentis dicte pacis contenta, attendere et observare, ac attendi et observari facere, absque excepcione vel dolo, in pena et sub pena contenta in contractibus pacis predicte, et sub obligacione bonorum omnium Reginalium Majestatum prenominatarum; renunciantes super omnibus et singulis suprascriptis excepcioni doli mali et in factum, condiccioni sine causa vel ex injusta

causa, fori privilegio, et omnibus juribus civilibus, canonicis et municipalibus, quibus possent contra predicta vel aliquod predictorum quomodolibet se tueri. Tenor autem syndicatus ejusdem Ducalis Dominii Veneciarum per omnia talis est. In Christi nomine Amen stb. (mint fenebb 280. sz. a.) De predictis autem omnibus et singulis rogatus fui ego presbyter Nicolaus Christophori de Rodanis Archi-Diaconus de Vulcho in Ecclesia Quinque-Ecclesiensi Notarius infrascriptus conficere unum et plura ejusdem tenoris et consonancie publica instrumenta Actum Bude in castro Reginali; presentibus honorabili viro domino Bartholomeo Pizani de Bulgarellis de Imola Canonico Faventino, nec non providis et discretis viris Cithandino Berthi citadini de Favencia, et Nanni de Bombaiolis de Bononia, testibus ad infrascripta vocatis specialiter et rogatis ac aliis. In premissorum autem fidem et evidenciam pleniorem supradicte Serenissime et Excellentissime Principes ac Illustrissime ambe domine Regine presens instrumentum fieri mandaverunt, ac sigillorum suorum sub stigmate seu imagine sigilli cujuslibet munimine roborari.

(Jegyzői jegy.) Ego Presbyter Nicolaus quondam Christophori de Rodanis Archi Diaconus de Vulcho in Ecclesia Quinque-Ecclesiensium, et Canonicus Ecclesie Aquilejiensis, Publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius, et Scriba Reverendi in Christo Patris et Domini domini Valentini Episcopi Quinque-Ecclesiensis, supradictis omnibus et singulis premissis presens fui, eaque rogatus scribere in hanc publicam formam scripsi, meorumque signi et nominis munimine roboravi.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 99. lev.)

284.

Követének Dandolo Saracennak a velenczei köztársaság. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione septima, die ultimo Septembris. Capta: Quod respondeatur ser Saraceno Dan-

dulo Ambaxatori nostro, quod recepimus literas suas datas Bude die octavo mensis Septembris, et replicata Vienne die XVIII. dicti mensis, super facto lige fiende cum Reginali Maiestate Hungarie etc.. Quibus plenissime intellectis, diligentiam suam commendantes, rescribimus, quod intentio nostra est et sic volumus et mandamus, quod ipse noster Ambaxator debeat per literas suas, quas mittat ad manus Francisci de Bernardo secundum ordinem datum, respondere domino Comiti Palatino in hac forma videlicet: Quod ipse Ambaxator noster habuit responsionem a nostro Dominio, quod debeat regratiari ipsi domino Comiti de laudabili et sincera dispositione sua erga honorem et statum nostri Dominii, tangendo etiam, qualiter Dominatio Nostra semper fuit, est et erit optime disposita ad omnem honorem, augmentum et conservationem Reginalis Maiestatis Hungarie cum omni sinceritate et bono corde. Ad factum vero lige, quod Dominatio Nostra, sicut est notarium toti mundo, est in bona et perpetua pace cum Reginali Maiestate Hungarie, et etiam cum aliis; quam pacem sumus dispositi inviolabiliter observare, et vivere in pace cum omnibus nostro posse, quia sic semper fuit de more nostro; rogando, quod placeat ad factum dicte lige nos habere merito excusatos. Et missa dicta litera per Ambaxatorem nostrum domino Comiti Palatino cum ordine predicto, Ambaxator noster Venetias revertatur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 143. l.)

285.

Tvartko II. István szerb és boszniai királynak a velenczei kormány megengedi, hogy Velenczében két gályát felszereltessen. 1383.

Anno MCCCLXXXIII. indictione VI. die quinto Octubris. Capta: Quod complaceatur Serenissimo domino Regi Raxie honorabili civi nostro, hoc valde amicabiliter requirenti, quod possit facere fabricari duas galeas in Venetiis ad suas expensas.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 148. l.)

286.

III. Károly siciliai királynak adománya a vele Magyarországból jött Vrgachi vagyis Orbaczi Imre számára. 1383.

Karolus Tertius etc. Magistro Justitiario Regni nostri Sicilie fideli nostro gratiam etc. Volentes omnino, sicut in nostra mente residet, bona omnia stabilia cuiuscunque generis seu speciei existant, que fuerunt quondam Perrocti de Falchis Prothontinj Vigiliensis, Johannis eiusdem cognominis fratrum, necnon Raymundelli de Falchis et Notarij Johannis ac Notarij Maffei de Vigilijs, omniumque aliorum de ipsa terra Vigiliarum rebellium nostrorum per te pro parte nostre Curie post ipsorum supplicium capta et Fisci nostri compendijs infiscata, tradi Aymerico Johannis de Vigach Vngaro fideli et deuoto nostro, et per ipsum nomine et pro parte nostre Curie detineri ac etiam gubernari; volumus tueque fidelitati presentium tenore de certa nostra scientia mandamus, quatenus statim receptis presentibus predicta bona omnia predictorum nostrorum rebellium, et aliorum de terra ipsa, nec non nomine expensarum similiter nostrorum rebellium infiscata vti premictitur, ipsi Aymerico procures tradere et absque alicuius morositatis articulo assignare, tenenda per illum et pariter gubernanda ipsius nostre Curie nomine, donec de illis aliud duxerimus demandandum. Volumus tamen expresse, quod postquam bona dictorum nostrorum rebellium, tam nominatorum superius, quam non, ipsi Aymerico per te tradita fuerint ac etiam assignata, ut bona ipsa deperire nequeant in dampnum nostre Curie prelibate, quod Aymericus ipse bona ipsa in hijs in quibus expediens fuerit gubernari facere teneatur, et quaternum vnum facere de introytu et exitu bonorum ipsorum, ut ipsa nostra Curia non fraudetur. Datum Neapolj per virum nobilem Gentilem de Merolinio etc. Anno Domini millesimo CCCLXXXIII die penultimo Decembris, VI. indictionis, Regnorum nostrorum anno II.

(A »Registri Angioini« 359. sz. a. kötetéből Reg. Caroli III. 16. l.; az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

287.

A Corbavai grófoknak pere Velenczében. 1384.

In nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jesu Christi millesimo trecentesimo octuagesitertio mense Januarii die undecimo intrante, indictione septima, Rivoalti. Presentibus Nicoleto de Laurentio et Zanone preconibus, et aliis testibus ad hec vocatis et rogatis. Cum coram nobilibus viris dominis Nicolao Valaresso, Gabriele Dandulo et Symone Dalmario, honorabilibus Judicibus Petionum, comparuerit Fabianus olim familiaris Nobilis et egregii domini Comitis Budislai de Curiarcho de Corbavia, procurator et procuratorio nomine nobilis Comitisse domine Elene relicte dicti quondam domini Budislai, filii olim domini Comitis Gregorii de Curiaco de Corbavia, tamquam tutricis et defensatricis deputate per Illustrissimam Hungarie Maiestatem in omnibus mobilibus et immobilibus bonis Nicolai nati sui, nec non unici filii dicti quondam Comitis Budislai ac legiptimi heredis et successoris instituti in universis bonis mobilibus et immobilibus dicti quondam eius patris Comitis Budislai, ut primum constat procurationis instrumento facto manu presbiteri Nicolai quondam Cristofori Archidiaconi de Valko in Ecclesia Quinque Ecclesiense et Canonici Acquilegiensis Publici Imperiali auctoritate Notarii, Cancellarii Reverendi in Christo Patris et domini Valentini Episcopi Quinque-Ecclesiensis in millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, indictione sexta, die quartodecimo Septembris, Bude tempore Serenissime et Excellentissime Principis ac Domine Naturalis domine Marie Dei gratia Illustrissime Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc., et reconmendato secundum usum ad oficium dominorum Judicum procuratorum die ultimo Decembris proxime preteriti per Petrum dela Costa Notarium Curie Maioris; et de hereditate constat litera Serenissime et Excellentissime Principis et Domine domine Elisabet Dei gracia Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. sui secreti sigilli in cera ab intra impressione munita, et recommendata Curie Petitionis per ducale mandatum die nono mensis instantis per Bonifatium de Carpo Notarium Curie Maioris. Exponens contra et adversus nobiles

viros dominos ... Offitiales Camere Frumenti, pro quibus omnibus domini Remitius Vituri et Jahannes S.riano comparebant; et sic allegans, quod cum bone memorie dominus Comes Gregorius de Curiaco supranominatus iam diu, ut apparet in quaternis Offitii Camere Frumenti, depositaue it ibidem ducatorum duo millia auri cum prode de quinque pro centenario, et ante decessum suum habere deberet pro prode sequuto ex ipso deposito ducatorum quattuor millia auri, quos denarios ibidem volebat remanere cum condictione prodis in dicta quantitate taxati; et tandem non convenerit cum dominis Officialibus tunc existentibus, ex quo dicta quatuor millia ducatorum ibidem diu sine prode remanserunt, ita quod de capitali sunt in dicta camera ducatorum quatuordecim millia auri, videlicet decem millia ad prode, et quatuor millia sine prode. Et cum ad mortem dicti domini Comitis Gregorii remanserint sibi duo filii legitimi et naturales et de legittimo matrimonio procreati, quibus huiusmodi depositum per ipsius formam et tenorem debet libere pertinere; videlicet domini Comites Gregorius vivens, et Budislaus, qui defunctus est relicto unico filio suo legitimo et naturali et de vero et de legitimo thoro genito Nicolao videlicet supranominato, cui per Illustrissimam Hungarie Maiestatem prefata Egregia Comitissa domina Helena genitrix sua tutrix est et gubernatrix sibi delegata, et cui prenominatum depositum et omnis utilitas hactenus sequuta sibi pro dimidia cum dicto domino Comite Gregorio de iure pertinere debet, sicque pertinet et spectat. Et cum in MCCCLXXVI. die XXVII. Martii per dominos Judices Petitionum cognitum et determinatum fuerit ad petitionem et requisitionem dictorum Egregiorum et Nobilium Militum dominorum Comitum Budislavi et Gregorii supranominatorum, seu nobilium virorum ser Cristofori olim Francisci de Liuesis civis Jadrensis, et ser Anselmi quondam Miligosti de Nona, procuratorum suorum, quod usque ad kalendas Novembris tunc proxime preteriti habere deberent pro prode sibi sequuto dicti eorum depositi ducatorum duo millia auri; ita quod ab ipso tempore citra, quod est anni septem, nullum prode perceperint; ea propter petebat, quod ipsi domini Judices Petitionum eorum iustitia mediante dicere, determinare

et precipere dignarentur eisdem dominis . . . Officialibus Camere Frumenti, quod pro medietate dictorum quatuor millium ducatorum sequutorum alias de prode dictorum decem millium ducatorum, et qui nunc de capitali sine condictione prodis stant, sibi debeant de ducatis duobus millibus respondere, et pro medietate prodis sequuti de dictis decem millibus ducatis per annos septem petebat ducatos mille septingentos quinquaginta, salvo errore chalculi et omnibus aliis iuribus suis. Ad que nobiles viri domini Renutius Vituri et Johannes Suriano Officiales supramemorati ad Cameram Frumenti, superinde respondebant aliqua, que domini Judices bene intellexerunt. Unde prefati domini Judices Petitionum, visis, auditis et diligenter intellectis petitionibus, responsionibus, iuribus et rationibus partium premissarum, et dicto procurationis instrumento, ac littera Reginali prefata, ac deposito pecunie memorate, seu ipsius copia per dominos Offitiales predictos in Curia presentata, et determinatione alias lata per dominos Judices Petitionum et confessione per ipsos dominos Offitiales facta, videlicet quod ultra dictum depositum primum decem milium ducatorum dicta Camera sibi teneret in ducatis quatuor milibus auri vel circa sequutis de ipsorum decem milium ducatorum utilitate, qui ibi diu sine aliquo prode remanserunt, et superinde habito consilio et deliberatione diligenti, dato sacramento dicto Fabiano procuratori dicte domine, ut supra, tutricis dicti Nicolai, et ipso in eius animam iurante, premissa omnia vera fore, omnes tres concordes per eorum iustitiam per diffinitivam determinationem dixerunt et determinaverunt, ac dictis dominis Offitialibus Camere Frumenti preceperunt, quod de ducatis duobus milibus auri pro medietate dictorum quatuor milium ducatorum, qui fuerunt de prode dictorum decem milium ducatorum alias sequuto, et quod steterunt ibi diu sine prodis condictione, et de ducatis mille septingentis quinquaginta pro medietate prodis sequuti usque ad kalendas Nouembris proxime preteriti suprascripto Fabiano procuratori dicte domine Helene matris et tutricis dicti Nicolai filii quondam et heredis dicti quondam domini Comitis Budislavi debeant libere respondere, errore calculi semper in omnibus reservato.

Millesimo trecentesimo octuagesimo tertio, die nono mensis Februarii, dati fuerint per Officiales Camere Frumenti in Rivoalto pro parte solutionis dicte determinationis ser Benedicto Altiero Gastaldioni domini Ducis ducati mille et quinquaginta, quos dictus ser Benedictus numeravit et dedit Fabiano procuratori heredum Comitis Gregorii.

(Jegyzői jegy.) Ego Anthonius de Bellancinis, Ecclesie Sancti Pauli Presbiter et Notarius Venetiarum, Scribaque Curie Petitionum, hanc determinationem de quaterno autentico Curie Petitionum, sicut iacet, ad suprascriptorum dominorum Judicum Petitionum mandatum in formam publicam legaliter relevavi.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VIII. kötetéből 200. l.)

288.

A velenczei nagytanácsnak határozata, hogy a magyar-velenczei háboru alatt történt intézkedésekről kelt hivatalos iratok megsemmisittessenek. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. indictione septima, die primo mensis Martii. Capta : Cum in tempore guerre nuper preterite cum domino Rege Hungarie, Januensibus, Domino Padue et Patriarcha et Ecclesia Aquilegensi fuerunt capte multe partes et ordines in Consilio Sapientum Guerre, et in Rogatis et Zonta, ad quas partes et ordines Consilium tunc condescendit coacte, licet per Dei gratiam nullum habuerit effectum, et tales scripture vel partes non sint ullo modo tenende vel legende pro infinitis bonis respectibus; vadit pars, quod debeant ipse partes et scripture destrui, anichilari et comburi, ita quod nunquam videantur per aliquos pro honore nostri Dominii.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXVIII. kötetéből 150. l.)

288.

VI. Károly franczia király Garai Miklóst Magyarország nádorát tanácsosának nevezi ki. 1384.

Karolus Dei gracia Francorum Rex vniuersis presentes litteras inspecturis salutem. Notum facimus, quod nos attentis probitate, prudencia, discrecione, pluribusque aliis virtutum donis, quibus personam Nobilis et Magnifici viri Nicolai Comitis Palatini Regni Hungarie nouimus insignitam, ipsum in Consiliarium nostrum de Magno Consilio nostro ad iura et emolumenta dicto officio incumbencia retinuimus tenoreque presencium retinemus; dantes in mandatis dilecto et fideli Cancellario nostro, ceterisque ad quos pertinere debebit, quatenus dictum Comitem dicto officio juribusque et emolumentis ad eum pertinentibus, vti et gaudere perpetuo faciant et permittant. In cuius rei testimonium sigillum nostrum litteris presentibus duximus apponendum. Datum Parisiis die septima mensis Marcii anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo quarto Regnique nostri quinto. — Per Regem ad relacionem Dominorum Biturge et Burgondie Ducum L. Blanchet mp.

(Eredetie bőrhártyán, mellyről a pecsét már lemállott; a budai kamarai levéltárban.)

Jegyzet. Idősebb Garai Miklós nádornak ezen kitüntetése nemcsak bizonyságául szolgál azon nevezetes befolyásnak, melyet ő akkor az ország legfontosabb dolgaira, sőt maguknak a királynéknak személyes ügyeire is gyakorolt, s melyet bistositani akarván más legelőkelőbb férfiakkal, névszerint Oppelni László herczeggel (Fejér Cod. Diplom. X. köt. 1. r. 746. l.), és az özvegy királyné Erzsébetnek testvérével Tvartko II. István szerb és bozsniai királylyal (u. o. 260.) szövetkezett; hanem világos összefüggésben állt azon nemzetközi egyezkedésekkel is, melyek a Mária magyar királyné és Orleansi Lajos franczia herczeg közt kötendő házasságot tárgyazták. Ez által, s az alább 1385-ra vonatkozott adatok által Dlugos János lengyel irónak ide tartozó tudósitása nevezetes felvilágositást nyer. (L. 1851. april 14-ki akadémia értekezésemet, a Magyar Akademia Értesítőjében.)

290.

Mária királynénak privilegiuma, melylyel atyja I. Lajos király vámszabadalmait megerősíti, Rajna meletti Köln és Hoy városok kereskedői számára. 1384.

Maria Dei gracia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Comanie Bulgarieque Regina, Princeps Sallernitana, et Honoris Montis Sancti Angeli Domina omnibus Christi fidelibus tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris salutem in salutis largitore. Regie Serenitatis glorie congruit et honori, populis non solum sibi subiectis, verum eciam alienigenis in suum Regnum proficiscentibus antiquorum Regum exempla inmitando quietum disponere transitum et securum, vt prouisione moderaminis Regalis eorum incommoda excuciantur, et tranquilitate concupita in eorum transitu pociantur. Proinde ad vniuersorum noticiam harum serie volumus peruenire : quod Serenissimo Principe domino Lodouico eadem Dei gracia. Inclito Rege Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. felicis et laudande recordacionis genitore nostro karissimo volente Domino Celi, cuius nutu omnia reguntur et disponuntur, absque prole masculina de medio sublato, nobisque jure successorio et ordine geniture Solium et Coronam dicti Regni Hungarie, ac sceptra regiminis ipsius nostri genitoris feliciter adeptis, Gerardus dictus Trozfelch et Hermanus Seremph nuncupatus Ciues de Sancta Colonia et de Ciuitate Hoy suis, item Judicis, Juratorum et vniuersorum Ciuium de eadem in personis Nostre Serenitatis adientes conspectum, exhibuerunt nobis quasdam litteras patentes prefati condam domini Lodouici Regis patris nostri maiori et nouo suo sigillo consignatas tenoris infrascripti, supplicantes ijdem Gerardus et Hermanus Nostre Maiestati, vt easdem ratas et acceptas habendo, ac presentibus verbotenus inseri faciendo, pro eisdem ciuibus nostro dignaremur priuilegio confirmare. Quarum tenor talis est :

Nos Lodouicus Dei gracia Rex Hungarie stb. (következik I. Lajos királynak 1364-ki szabadalomlevele, mint gyűjteményünk II. kötetében 633. l. 471. sz. a.)

Nos igitur humillimis supplicacionibus prefatorum Gerardi et Hermani, suis et dictorum Ciuium de Colonia et de Hoy in personis Nostre porrectis Maiestati, Reginali benignitate inclinate, pretactas litteras prefati condam Domini domini Lodouici Regis genitoris nostri karissimi de verbo ad verbum presentibus insertas acceptamus, approbamus et ratificamus, et de consensu et beneplacita voluntate Serenissime Principis domine Elizabeth eadem Dei gracia Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. genitricis nostre karissime, Prelatorum et Baronum nostrorum consilio prematuro, pro eisdem Ciuibus perpetuo valituras confirmamus, presentis priuilegij nostri patrocinio mediante. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam presentes eisdem litteras nostras priuilegiales appensione sigilli nostri dupplicis et autentici concessimus munimine roboratas. Datum per manus Reuerendissimi in Christo Patris et Domini domini Demetrij Diuina miseracione tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Sacrosancte Romane Ecclesie Presbyteri Cardinalis ac Sancte Strigoniensis Ecclesie Perpetui Gubernatoris, locique eiusdem Comitis similiter Perpetui et Aule nostre Cancellarij nobis fidelis anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, tercio kalendas Aprilis, Regni autem nostri anno tercio. Reuerendissimis et venerabilibus in Christo Patribus, eodem domino Demetrio Cardinale Gubernatore Ecclesie Strigoniensis Perpetuo, Lodouico Colocensi, Petro Jadrensi, Vgulino Spalatensi et Vgone Ragusiensi Archiepiscopis; Emerico Agriensi, Paulo Zagrabiensi, Gublino Transiluaniensi, Valentino Quinque-Ecclesiensi Decretorum Doctore, Johanne Waradiensi, Gyullermo Jauriensi, Benedicto Wesprimiensi, Johanne Chanadiensi, Georgio Boznensi, Petro Vaciensi, Johanne Syrmiensi, fratre Demetrio Nitriensi, Paulo Tininiensi, Demetrio Nonensi, Grisogono Traguriensi, Matheo Sibinicensi, Beneuenuto Pharensi, Jacobo Makariensi, Mychaele Scardonensi, fratre Thoma Seniensi Ecclesiarum Episcopis Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Magnificis viris Nicolao de Gara Regni nostri Palatino et Judice Comanorum, Ladislao Vayuoda Transiluano et Comite de Zonuk, Comite Nicolao de Zeech Judice Curie nostre, Stephano de Lindua tocius Regni Sclauonie,

Stephano filio condam Stephani predictorum Regnorum Dalmacie et Croacie, Stephano filio Philpus de Machov Banis, Nicolao dicto Zambo Tauarnicorum, Blasio dicto Forgach Pincernarum, Nicolao filio Nicolai de Telegd Janitorum, Ladislao filio Nicolai de Vesen Dapiferorum, et Stephano condam Dyonisij Voyuode Agazonum nostrorum Magistris; predicto Nicolao de Zambo Posoniensi, aliisque quam pluribus Regni nostri Comitatus tenentibus et honores.

(Eredetie bőrhártyán, a királynénak zöld-vörös selyemzsinóron függő pecsétje alatt; Köln város levéltárban.)

291.

Frangepán Miklós a velenczei köztársaság hadi szolgálatában Candia szigetén. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. die secundo Junii. Capta: Quod concedatur de gratia nobili viro Comiti Nicolao de Vegla, prouisionato nostro in Candida, hoc suppliciter postulanti, quod propter aliqua agenda sua presentiam eius, sicut expositum fuit nobis pro parte sua, requirentia, ipse possit venire Venecias et stare per sex menses, habendo medietatem solumodo provisiensis sue, donec steterit extra Candidam.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvben XXXVIII. köt. 184. l.)

292.

Margit siciliai királyné, mint férje III. Károlynak helytartónője ennek adományát foganatosítja György mester, a vele Magyarországból jött Ambros fia számára. 1384.

Margarita Regina (Vicaria Regis Karoli III.) Justitiario Prouincie Principatus citra Serras Montorij, nec non Strategoto Ciuitatis Salernj suique Districtus, ipsorumque Locumtenentibus uel eorum alterj, ad quem presentes peruenerint, dilectis Regijs fidelibus atque nostris gratiam etc. Scire vos volumus, quod olim prefatus dominus Rex Karolus reuerendissimus vir noster actendens sinceritatem deuotionis et fidei

ac seruitiorum merita Georgij filij Embrosij Vngarj magistri hostiarij nostri fidelisque dilecti retributionis rependijs compensando, ut ipsius obsequiositatis impendio de rebellium Regiorum spolijs gratitudo Regia responderet, eidem Georgio ac eius vtriusque sexus heredibus ex suo corpore legitime descendentibus natis iam et in antea nascituris, in perpetuum bona omnia et singula, que fuerint Francisci Staccaretici de Salerno rebellis Regij atque nostri, per ipsius rebellionem notoriam et lese Maiestatis crimen, adherendo Ludouico olim Ducj Andegauie hosti Regio atque nostro, sequacibus et adherentibus suis, ad manus Regie Curie iuste et rationabiliter deuoluta, sita et posita tam in dicta Ciuitate Salernj eiusque pertinentijs et districtu, quam alibi vbicunque vsque scilicet ad annum redditum vnciarum auri decem, reliquo plurj nostre Curie remanente, et sub feudalj seruitio proinde contingenti vna cum juribus, rationibus et pertinentijs suis omnibus, dedit donauit tradidit et causa donationis proprij motus iustinctu concessit in feudum nouum, de certa eius scientia liberalitate mera et gratia specialj, iuxta vsum et consuetudinem dicti Regni per ipsum Georgium eiusque heredes tenenda et possidenda vsque ad summam annui redditus vnciarum auri decem tantum, modo predicto ipso Georgio pro se et suis heredibus de bonis eisdem per Regium anulum propterea inuestito, prout in quibusdam concessionis Regie licteris inde factis magno ipsius Maiestatis sigillo pendenti munitis, nobis et nostre Curie presentatis, sub data Neapolj per manus viri nobilis Gentilis de Merolinis de Sulmona legum doctoris Locumtenentis Prothonotarij Regni Sicilie, Regij Consiliarij et nostri fidelis dilecti anno Domini M. trecentesimo octuagesimo tertio die quartodecimo Maij sexte indictionis Regnorum eius anno secundo latius et seriosius continentur. Vt itaque iamdictus Georgius suique heredes assequantur realiter fructuosum eiusdem Regie concessionis effectum, quamuis per alias ipsius domini nostri Regis executorias licteras vobis seu vestrum alterj directas expressius alias fuisset iniunctum; nichilominus tamen ad celerioris executionis mandamus expresse, quatenus statim receptis presentibus, omni mora et occasione sublatis, vos uel alter uestrum qui fuerit exinde requisitus, non

commissurus in hijs alijs vices suas, facta prius per vestrum alterum qui ad hoc vacabit, vna cum Judice et actorum Notario per Curiam inibi ordinatis diligentj inquisitione de dictis bonis omnibus et singulis, tam feudalibus si qua sunt, quam burgensaticis sitis in dicta Ciuitate Salernj eiusque pertinentijs et districtu, que fuerunt dicti Francisci Stacaretici de Salerno rebellis Regij notorij et nostri, per ipsius rebellionem notoriam et lese Maiestatis crimen ad manus Regie Curie iuste et rationabiliter, ut predicitur, deuolutis inquirendo de valore annuo bonorum ipsorum et in quibus valor ipse consistat per partes et membra, et alijs circumstantis oportunis recipiendo informationes per testes fidedignos rei conscios pensionarios et colonos, aliosque seniores qui plene inde scire valeant veritatem. Et vbi valor bonorum ipsorum non excedit summam dictarum annuarum vnciarum decem auri, eundem Georgium seu personam legitimam pro eodem in possessionem eorundem bonorum inducatis, uel alter uestrum inducat seu induci mandet et faciat vigore presentium corporalem tenendorum per ipsum Georgium eiusque heredes inmediate et in capite a Regia Curia, iuxta eiusdem priuilegij Regij proinde concessi seriem atque mentem, eisque intendj et responderj a pensionarijs et colonis de omnibus fructibus pensionibus redditibus et alijs, ad que de jure tenentur et debent. Vbi uero valor annuus bonorum ipsorum dictam summam annuarum vnciarum auri decem excederet, tradito et assignato prius per vos seu vestrum alterum eidem Georgio vel alio pro eodem de bonis eisdem vsque ad dictam summam de annuarum vnciarum auri decem, reliquum plus quod inde supererit capiatis et arrestetis pro parte Regie Curie memorate. Quidquid autem de premissis per inquisitionem diligenter habendam inueneritis uel alter uestrum inuenerit, in scriptis redactum fideliter sub sigillis eius qui ad hoc vacabit, ac Judicis et actorum Notarij nostre Curie studeatis intimare, ut habita informatione huiusmodi possimus pro indemnitate Regie Curie et nostre consultius prouidere; quo casu priuilegium proinde concessum cum distinctione bonorum ipsorum ac seruitij debiti pro eisdem in consueta et debita forma fiat, uel alie declaratorie lictere concedantur. Fidelitate Regia et nostra, feudali quoque seruitio pro bonis

ipsis Regie Curie debito, eiusdem domini Regis et nostris alijs, et cuiuslibet alterius juribus semper saluis; facturus fieri tria consimilia publica instrumenta etc. Data Neapolj per eundem virum nobilem Gentilem de Merolinis etc. Anno domini MCCCLXXXIIII. die IIII. Junij VII. indictionis, Regnorum nostrorum anno III.

(A »Registri Angioini« 360. sz. a. kötetéből Reg. Margaritae Reginae 60. l.; az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

293.

Mária magyar királynénak követsége Velenczében. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. indictione septina, die quarto decimo Junii. Terminatum per Collegium scilicet per Dominum, Consiliarios, Capita et Sapientes Consilii, quod fiat infrascripta responsio de presenti pro bono agendorum.

Quod respondeatur istis Ambaxatoribus Serenissime Reginalis Maiestatis Hungarie, quod intellecta ambaxata sua nobis sapientissime exposita, presentibus respondemus;

Et primo super primo capitulo faciente mentionem de factis Foroiulii et Reverendissimi domini Cardinalis Patriarche Aquilegiensis de obviando de facto Consilii, in casu quo interim, donec dominus Papa providerit de factis predictis, aliquis vellet invadere etc.; quod sicut satis extat notorium, ipsum dominum Cardinalem et Patriarcham Aquilegiensem cordialiter et intrinsece semper amavimus et amamus, et omne comodum et bonum, quod potuimus, continue ei dedimus et fecimus pro reverentia Sancte Matris Ecclesie et contemplatione Sue Reverendissime Paternitatis et pro bono etiam Patrie Foroiulii, et istud Sua Reverendissima Paternitas plene novit; et si usque nunc talis dispositio in nobis fuit, multo plus intendimus, quod sit de cetero pro contemplatione Reginalis Maiestatis Hungarie, cui sumus, ut semper fuimus, dispositi in cunctis possibilibus cum sincerissimo animo complacere. Et subiungatur dictis Ambaxatoribus, quod si ipsi viderent ultra predictam rem, que videretur eis utilis ad possendum fieri per nos, quod dicant, quia audiemus eos alacriter et

libenter. Item dicatur dictis Ambaxatoribus, quod sumus contenti, quod ipsi facient sentire utrique parti de requisitione, quam nobis fecerunt, et de nostra responsione predicta pro eorum informatione.

Ad secundum capitulum faciens mentionem de duabus galeis domini Regis Raxie, que laborate fuerunt in Veneciis, quod non dampnificent terras et subditos Reginalis Maiestatis Hungarie etc.. Respondeatur, quod veritas est, quod cum licentia nostra ipse galee fuerunt laborate et fabricate in Venetiis; sed non debent armari in Venetiis ullo modo. Et quia ipse dominus Rex Raxie accepit ad servitium suum pro Admirato quemdam nobilem civem nostrum, quando ipse galee erunt in actu recedendi, faciemus preceptum dicto Admirato civi nostro, quod terras, subditos et fideles Reginalis Maiestatis Hungarie debeat tractare amicabiliter, dulciter et benigne et sine aliqua lexione, quia intentio nostri Dominii fuit et est, quod per galeas, navigia, subditos et fideles nostros tractentur terre, loca, subditi et fideles Reginalis Maiestatis Hungarie tamquam nostra propria, et sic habent a nobis specialiter in mandatis.

Ad ultimum vero de facto illius depositi facti in Civitate nostra Venetiarum per illum Petrum de Yuanus ante guerram proxime preteritam etc.; respondeatur, quod pro presenti propter aliquem respectum non possumus dare expeditionem huic facto, sed intentio nostra fuit et est observare formam pacis, et facere in hoc facto, quicquid de iure fiere debet.

(A »Misti« czímű velenczei államkönyv XXXVIII. kötetéből 260. l.)

294.

A velenczei köztársaság megtagadja a raguzai Iván Péter letéteményének kiadását. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. indictione septima, die XVII. mensis Junii. Capta: Cum ante principium guerre proxime preterite reperirentur in nostro gethu rami circa miliaria quinquaginta octo rami fini de ratione ser Petri Yuanus Ragusei, pars videlicet scripta dicto ser Petro Yuanus, et pars

ser Luce de Medio factori suo, quod rame superveniente guerra per sapientes nostros terre nove tamquam bona nostrorum inimicorum fuit acceptum de dicto gethu et venditum, et denarii positi in commune secundum formam partis alias capte super hoc; et pridie comparuerit coram nostro Dominio Franciscus de Bernardo, dicens, habere procurationem ad plenum ab heredibus vel commissariis dicti ser Petri de Yuanus, et tamquam eius creditor et aliorum, qui dicunt se fore creditores cum literis recomendationis Reginalis Maiestatis Húngarie, dicendo, quod per formam pacis, quam fecimus cum domino Rege Hungarie, denarios extractos de dicto ramo, Commune Venetiarum tenetur et debet restituere predictis; examinatis capitulis pacis et multis aliis scripturis fatientibus ad factum, et habito consilio cum Sapientibus Juris et cum multis aliis, qui omnes consulunt, quod de Jure Commune Venetiarum non tenetur restituere aliquem de dictis denariis; considerato etiam, quod pro conditione nostra facit ad conservandum nostros paucos denarios, quando iuste et de iure fieri potest, et pro multis aliis respectibus; vadit pars, quod ex nunc sit captum, quod Commune nostrum non teneatur ad restituendum aliquem de supradictis denariis, et sic debeat responderi Reginali Maiestati Hungarie et istis Ambaxatoribus, salvis et reservatis iuribus dicti ser Luce de Medio contra dictum Petrum de Yuanus pro eo, quod ser Lucas de Medio iuste deberet habere, salvis etiam et reservatis iuribus ser Luce de Medio in expensis, quas monstraret fecisse pro dicto rame.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 261. l.)

295.

A Raguzában fogságban lévő franczia nemesek kiváltásának ügye. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. indictione septima die XXVI. Julii. Capta: (Comes Virtutum, amicus Dominii Ambaxatam mittit ad partes Ragusii) pro liberatione illorum nobilium et militum, qui ibi detinentur; (et rogat Dominium, ut cum suis Ambaxiatoribus de eadem causa ipsum quoque mittat

Ambaxiatorem ad Commune Ragusii. Considerato eiusdem Comitis Virtutum amore); consideratis eciam nouis et conditionibus temporis presentis omnibus satis notis, etiam pro securitate et bono nostro et nauigiorum nostrorum (Dominium assentit eius petitioni, ac eligit et mittit ser Franciscum de Molino ad Commune Ragusii suum Ambaxiatorem.)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 287. l.)

296.

Magyarország rézkereskedése Velenczével, a velenczei vámszabályozás szerint. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. die XXVII. Augusti.

Quoad ramum.

(De omni ramo Venetias tam a mari quam terra conducto vectigal constituitur quinque pro centenario de eo, quod valebit vel quo vendetur. Quoad ramum fuxinae novae sive de Xolio, quod affinabitur in geto a vigintiquatuor libris ad grossos, ponitur ad vigintiunam libras ad grossos.)

— — — — — — — — — — — — —

De ramine vero affinato extra Venecias existente finecie illius, quod ad presens est ad getum affinatum in Hungaria — — — — in totum habeat illam condicionem rami de fuxina sive de Xolio stb.

Ramum affinatum in Hungaria et in illis partibus existens ad finezam solitam debeat recipi in nostro geto soluendo de affinatura et de calo in totum ducatos octo pro quolibet milliari officialibus geti et debeat restitui mercatoribus, qui ponent in geto milliare pro milliari. (Mercatoribus liceat etiam extra getum servare, sed erga datium trium denariorum pro milliari.)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvekből XXXVIII. köt. 303. l.)

297.

VI. Károlg franczia királynak Mária magyar királynéhoz utazó követsége Velenczében. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. indictione septima die VIII. Octobris. C a p t u m. (Responsum datum Ambaxiatoribus Regis Franciae. Ad factum Ambaxatae nostrae mittendo simul cum eis Ragusium pro liberatione nobilium et militum detentorum, et pro complacentia Regis Franciae, Ducis Burgundiae et Bernabonis; quod) non obstante quod alias (bis) miserimus Ambaxatam nostram ad illos de Ragusio pro liberacione nobilium predictorum, et nichil profuit; sumus contenti et placet nobis, postquam eis placet iterato mittere ad partes Ragusii, ad rogandum et inducendum eos ad liberacionem et relaxacionem dictorum nobilium et militum stb.

Ad aliam partem, per quam petunt a nobis passagium et securum conductum (in Hungariam) etc. Respondeatur, quod nouit Deus, eciam ad istam secundam partem vellemus posse eis amicabiliter complacere pro contemplacione omnium Dominorum predictorum. Sed consideratis nouis et condicionibus presentis temporis omnibus satis notis; videlicet, quia dominus Rex Carolus ad presens habet extra in mari quatuordecim galeas armatas, quas posset, vel verisimiliter deberet mittere ad partes Sclauonie et Dalmacie pro utilitate et bono agendorum suorum, etiam in Sclauonia possint armari subito plures galee; attentis etiam dubiis et periculis, que possent occurrere; et quod ad nos non spectat nec pertinet assecurare aliquos in terris et locis alienis; etiam quia ad presens habemus extra omnes galeas nostras de mercato, et alia nostra nauigia cum maximo thesauro et hauere nostrorum : non videmus modum, nec viam possendi eis complacere de isto securo conductu; rogantes eos, quatenus predictis consideratis placeat nos habere circa istam partem rationabiliter et merito excusatos. Verum ipsi domini Ambaxiatores sunt sapientissimi, et poterunt se consulere et prouidere a se ipsis in hoc facto, sicut eorum sapientie videbitur pro bono agendorum eis commissorum; dando eis ad intelligendum, quod nostram

Ambaxatam, quam mittemus Ragusium, ut dictum est, intendimus mittere cum barchis pro maiori securitate.

Die X. Octobris. Capta. (Ambaxiatores Regis Franciae non Ragusium, sed in Hungariam per terram vadunt; nosque rogant, ut Ambaxiatam mittamus Ragusium, quacum unus eorum Nuncius vadat; per quem postea ad partes Hungariae notificetur eis, quid obtentum fuerit a Raguseis, et omnia nova deinde. Cum tamen Ambaxiatores nostri binis iam vicibus nihil obtinuerint a Communi Ragusii; nec nunc obtinebunt, si audiverint Ragusini Ambaxiatores Regis Francie ivisse in Hungariam; postquam hoc non convenit cum honore Dominii: captum fuit) quod ad istam partem respondeatur, luctando et excusando nos cum hiis et aliis verbis, que videbuntur pro bono facti.

Die XII. Octobris. Capta. (Ambaxiatores Regis Franciae rogant nos, ut tali tempore mittamus Ambaxatam ad partes Ragusii, ut sua et nostra Ambaxata Ragusii conveniant, vel ut cum eis mittamus unum Nuncium nostrum in Hungariam. Respondeatur, quod nos consideremus complacere Regi Francie, Duci Burgundie et Bernaboni amicis nostris; cum tamen, si Ambaxiatores in Hungaria negativam habuerint, experientia teste nec Ragusii quidquam possit obtineri; ut in casum quo Ambaxiatores in Hungaria felicem habent successum, id Venetias notificent; et tunc Ambaxiatorem Ragusium esse mittendum). Et si dicti Ambaxiatores dicerent alia de novo circa istud factum, quod Collegium habeat libertatem pro non fatigando istud Consilium respondendi et dandi eis expeditionem, sicut videbitur Collegio vel maiori parti.

Die XX. Octobris. Capta. (Ambaxiatoribus Regis Franciae, qui dixerunt se habere de novo), qualiter per Serenissimum dominum Regem Francie scripte fuerunt littere domine Regine Hungarie pro liberatione illorum militum et nobilium detentorum in Ragusio; et quod Serenissima domina Regina Hungarie promisit de scribendo, et iam scripsit in efficace forma Raguseis pro relaxatione nobilium predictorum; et quod pro ista causa ipsi domini Ambaxiatores deliberaverunt de supersedendo pro modo, et de mittendo solum unum suum Nuncium ad partes Ragusii; et rogant, quod nos

similiter mittamus nostrum nuncium cum suo. Capta: Quod non mittemus, excusando nos pulcris verbis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 25—34. ll. — Az itt szóban lévő eseményre nézve v. ö. Luccari Jakab, Copioso Ristretto degli Annali di Ragusa, Velencze 1605. és Raguza 1760. 111. l.; — Appendini Maria, Notizie istoriche-critiche sulle antiquita, storia e letteratura de' Ragusei II. köt. Raguza 1803. 198. l.; — Engel János Keresztély, Geschichte des Freystaates Ragusa, Bécs 1807. 144. l.)

298.

Hedvig lengyel királyné, I. Lajos magyar és lengyel királynak leánya, fenntartja Janussova lengyelarszági községet, a neki Lajos királytól engedélyezett magdeburgi jognak gyakorlásában. 1384.

Hedvigis Dei gracia Regina Polonie, ac Terrarum Craccovie, Sandomirie etc Domina Magnificis et nobilibus viris Palatinis, Castellanis, Judicibus, Subiudicibus et quibusvis Ministerialibus et Officialibus ipsius Regni nostri Polonie ac Terrarum supradictarum salutem ac graciam. Ad vestram et cuiuslibet vestrum tenore presencium deducimus noticiam, quod in Nostre Celsitudinis constitutus presencia providus vir Sydelo, fidelis civis noster Sundaczensis, Nostro Culmini exposuit, quod licet ipse villam dictam Januschova, alias Sonnosschyn nuncuputam certis pecuniarum summis legitime comparasset, prout in suis metis et adiacenciis dudum sit descripta, saluis tamen sex marcis Polonicalibus, quas singulis annis ad Fiscum nostrum Regium solvere consuevit, ab alijs exactionibus, solucitionibus, seruicijs, angarijs et perangarijs, inventis et inveniendis, quibuscunque nominibus censeantur, ipse et sui legitimi heredes esse debeant pretextu memorate ville liberi et immunes; et quamvis prefata villa Januschova de Jure nostro Polonico in Jus Theutonicum, quod Maydburgense dicitur, secundum omnes modos, jura, consuetudines et observancias cum suis adiacenciis, a vestra Juristictione et potestate, de certa scientia sit translata; eo adieeto modo, quod coram nobis aut aliquo vestrum pro causis magnis seu parvis, puta furti, homicidij, sanguinis, incendij, membro-

rum mutilationis, citatus minime debeat respondere; sed Cmethones prefate ville et eius adiacenciarum coram ipsorum Scultetis, qui sunt pro tempore, ipsi vero Sculteti coram memorato Sydelone, Sydelo vero coram nobis seu nostro Judicio Theutunicali Supremi Judicij Curie nostre Sandacensis; dum tamen per nostram litteram nostro sigillo sigillatam ad hoc citatus, et in reddenda justicia negligens fuerit, tunc de se querulantibus non alio nisi suo Jure Meydburgensi Theutonico respondere ad objecta cuilibet sit astrictus; prout inter cetera in quodam privilegio invictissimi Principis et Domini, domini Ludovici olim Hungarie et Polonie Regis indelende memorie, genitoris nostri carissimi, vidimus plenius contineri: tamen vos Palatini, Castellani, Judices et Subiudices, ac alii officiales Regni nostri, spretis indulgentiis et concessionibus genitoris nostri supradicti, eundem Sydelonem et ejus Scultetos nt Cmethones non ad ius Theutonicum Curie nostre Sandacensis, sed potius in vestrum Polonicum et nobile trahere niteremini, contra libertates eidem concessas a Regia Maiestate. Quapropter vobis omnibus et singulis suprascriptis; et presertim vobis Kryslao Castellano Sandeczensi moderno et vices vestras gerentibus et successoribus precipimus et distincte mandamus, quatenus ipsum Sydelonem a vestris citationibuc et judiciis relaxantes, ad Jus Theutonicale, quod Maydburgense dicitur, et ad Curiam nostram Sandecensem, in questionibus contra eum motis vel movendis, juxta suorum privilegiorum tenorem debeatis remittere, sine difficultate aliquali; presentes autem post lecturam reddi jubemus presentanti. Datum Cracovie, ipsa die festi beati Luce Ewangeliste (oktober 18.) anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo quarto, Regni autem nostri anno primo.

(Eredetie Uj-Sandecz város levéltárában. Hedvig 1384. oktober 15. koronáztatott meg Lengyelország királynéjának.)

299.

Hedvig lengyel királynénak privilegiuma, melylyel atyja Lajos királynak Tarnovi János számára kiadott biztósító és védlevelét megerősiti. 1384.

Nos Hedvigis Dei gratia Regina Polonie, nec non Terrarum Cracovie, Sandomirie etc. notificamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, etc. Ad Majestatis Nostre veniens presenciam strenuus vir dominus Johannes de Tharnow, Castellanus Sandomiriensis, litteram Serenissimi Principis domini Lodovici eadem gratia olim Regis Hungarie, Polonie Dalmatie, etc. felicis memorie genitoris nostri carissimi, sanam et integram, ac omni prorsus suspicionis vicio carentem, eius vero sigillo sigillatam, coram nobis obtulit; supplicans, quatenus candem litteram de Celsitudinis Nostre innata clementia nostris litteris sibi ratificare et confirmare dignaremur. Cuius quidem littere tenor de verbo ad verbum sequitur sub hac forma :

Nos Lodovicus Dei gratia Rex Ungarie, Polonie, Daltie etc. memorie universorum declaramus, quod quocumque et quocienscumque nostrum fidelem dominum Johannem de Tharnow, Capitaneum Terre Radomiensis cum quibusvis emulis et inimicis nostri dicti Regni Polonie pro defensandis iniurijs et violencijs ipsius videlicet Regni publicam et notoriam gwerram vel expedicionem habere vel inire contigerit, et in eisdem, quod absit, per adversarios seu emulos quoscumque ipsum vel aliquos ex suis hominibns, quos secum duxit ad talem gwerram vel expedicionem recipiendos, captivari; eumdem et quoscunque suos, promittimus bona fide, verbo Nostre Maiestatis exemere, exsolvere, effectualiterque liberare, de dampnis similiterque in equis in tali expedicione vel gwerra publicis, ut prefertur, occisis, interfectis, aut per dictos adversarios vi receptis, ipse Johannes vel sui homines supradicti perpessi fuerint, spondenus satisfacere et rependere cum effectu; ita quod captivati per iam dictum Johannem, aut suos homines, in dicta gwerra vel exprdicione, ex adversarijs seu emulis sepedictis pro nobis omnibus modis debeant reservari,

Illo eciam notabiliter adjecto, quod idem Johannes et sui homines nemini penitus gwerram movere debeant, nec ipsius causa fore seu motores. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio litterarum. Actum et datum in Beyez feria quarta post diem Conversionis Beati Pauli Apostoli anno Domini millesimo CCCLXX. sexto.

Nos itaque prefati domini Johannis Cestellani Sandomiriensis iustis peticionibus acclinati prescriptam literam in omnibus suis punctis, clausulis, articulis et sentenciis ratam et gratam habentes, ipsam approbamus, ratificamus, et tenore presencium confirmamus, decernentes supradictam litteram in eisdem suis punctis, clausulis et sententijs omnimodis, vigorem efficacem optinere. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio litterarum. Datum Cracovie in crastino Symonis et Jude Apostolorum Beatorum anno Domini millesimo CCC.LXXX. quarto.

(Eredetie bőrhártyán a királyné függő pecsétje alatt, a Sanguszko herczeg családnak levéltárában.)

300.

A velenczei kormánytanácsnak enyedélye, hogy Frangepán Mark, ki a köztársaság szolgálatában Candiában harczol, Velenczébe jöhessen. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. indictione octava, die XIII. mensis Novembris. Capta: Quod concedatur de gratia Marco filio Egregii viri Nicolai Comitis Vegle, comestabili nostro equestri in Candida, pro aliquibus suis agedis arduis, quibus sibi omnino expedit venire Venetias, quod possit venire et stare per VI menses, reservando sibi banderiam, et ponente ipso loco sui personam sufficientem, que placeat Capitaneo nostro Crete.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 36. l.)

301.

Bernardoi Ferencznek levele Zeno Károly és társainak. 1384.

Exemplum litterarum de partibus Hungarie missarum per Franciscum de Bernardo ser Carolo Geno et sociis; data die XX. mensis Decembris.

— — — — — — — — — — — —

— E più ui dicho, che siando in rasonamento de diverse cose cun lo gran Conte, io li hauì à dire; e zio uene, perche parlauamo de fati de mare e de galie, dissi: »El me pare, chel Commun de Venexia uorea auer fato quello de che altra uolta lo recheristi«; dissi: como el say, e che ne senti; dissi per algune cosse, che me par sentire per mare e per terra; di che luy me disse, e pregò, che io ne deuesse scriuer, e sel uoler ue era, che à lui plaseua molto, e che se uuy uoleui attender, che mandasti persona da ziò cum quella intentione che bastasse, che de quà troue reste nostro intendimento, houel scritto quello che ue par, ne fate, et à mi ne respondete se ue pare, siche possa renderue alguna resposta stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 76. l.)

302.

Tvartko II. István szerb és boszniai királynak a velenczei kormánytanács. 1384.

Anno MCCCLXXXIIII. die XXII. Decembris. Capta: Quod scribatur domino Regi Rassie in hac forma, videlicet:

Sicut Regia Maiestas Vestra novit, ipsa tenetur nobili viro ser Nicolao Baseo Capitaneo suo, civi nostro, in magna pecunie summa, causis Eidem Maiestati notis. Et quia alias Excellentia Vestra scripsit, et subsequenter per Ambaxatorem suum nobis fecit exponi, quod redderet ipsum ser Nicolaum bene contentum; sperabamus, quod hoc modo factum esset, consideratis iustis causis et longo tempore, quo satisfactionem suam patienter prestolatus est. Et quia ipse ser Nicolaus ob

negotia Serenitatis Vestre est diversis personis in multis pecuniis obligatus, et ipsi pluries solutionem suam coram nobis instantissime petierunt; predictus ser Nicolaus non audet iam diu comparere, qui non habens unde solvere, timet carceribus mancipari; quod nos agravat et perturbat, presertim pro honore Regio, quem tantum diligimus, et pro damno et incommodo civis nostri et aliorum civium nostrorum debentium recipere mercedem suam. Quare cum propinqui sui sepe comparuerint coram nobis, requirentes, quod provideatur, ut dictus ser Nicolaùs possit suam satisfactionem habere, ut comparere possit Venetiis, et satisfacere, quibus causa Maiestatis Vestre tenetur, Celsitudinem Vestram Regiam instantissime deprecamur, quatenus pro honore Maiestatis Vestre, et ut predictus civis noster exeat de laboribus istis, et ut illis, qui habere debent, possint habere solutionem suam, dignetur tenere modum absque aliis induciis, quod ipse habeat in omnibus merito contentari; quod si fiet, plurimum nobis placebit, et erit magnus honor Maiestatis Vestre; et in casu quo non fieret civibus nostris in iuribus suis secundum iustitiam, defficere non possemus.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből. 53. l.)

303.

A velenczei kormánytanácsnak válasza Bernardoi Ferencz tudósításdra. 1385.

Anno MCCCLXXXIIII. die XVI. Januarii. Capta. Quod respondeatur per ser Carolum Geno et socios Francisco de Bernardo, monstrando, quod respondeant et scribant a se in hac forma, videlicet :

A quello che uuij scriuete delle parole raxionate cun lo gran conte soura fato de liga et unione etc. ve rispondo : che receuuta la uostra lettera io fu' dalla mia Signoria, e conferrì cun loro de questo fatto, e parue lo fato li plaxe. E perche io son dexiroso, che trà lo Reame de là, e la mia Signoria di qua sia una buona confederatione per ben de una parte e del' altra; e perche etiam dio me pregati, che io ue scriua e respon-

da soua de ziò, però io penso chel sia ben che uuy sapiati dal Rezimento de là, se ello è disposto à questo fato, spero in la gratia de Dio, che questi de quà manderà Ambaxada à quelle parte, siche per questo uostro principio porà seguir bon mezo, e meior fin.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 77. l.)

304.

A velenczei köztársaságnak szövetkezése több friauli főurral és várossal. 1385.

(Uniti sunt cum Venetis Franciscus de Savorgnano; Wenceslaus de Spegnimberg; Doymus de Castello; Odoricus de Castello; Franciscus, Odoricus et Jacobus de Castello, Simon de Coloreto; Nicolussius de Castello; Matyusius de Pramperg; Odoricus, Luchius et Bartholomeus de Moniaco; Fridericus de Savorgnano; deinde Communitates Utini, Sacili, Venzono et Marani; qui considerant periculum, quod immínet per nonnullos, qui »aliqua contra bonum statum Ecclesie Aquilegiensis, ac franchisias et libertates« Patrie Fori Julii procurabant et tractabant. Philippus de Alenconis Cardinalis et Patriarcha Aquilegiensis declarat per Nuncium Dominio et Communi Veneciarum »quod nullo modo intrare volebat in ligam«.)

Anno MCCCLXXXIIII. (1385.) indictione octava die XXVII. Januarii. Quoad articulum lige : Si aliquo casu per aliquem vel aliquos cuiuscunque condicionis existant stb., exceptis Sanctissimo domino nostro Papa, Corona et Regno Hungarie, moueretur guerra per mare domino Duci et Communi Veneciarum; quod suprascripti in liga et unione specificati, et alii qui de novo intrarent, teneantur prohibere eis et gentibus suis portus, flumina et loca sua maritima, et non dare eis victualia, nec refriscamenta ullo modo. Verum domino Duci et Communi Veneciarum et gentibus suis concedere debeant et dare portus, flumina et loca sua maritima supraslripta; ita quod intrare, stare et exire possint pro sue libeto cvountatis, ac exhibere eis victualia et refriscamenta pro pe-

cuniis eorum, cum securitate semper locorum suorum. Vadit pars : Quod licet in instrumento lige excepti fuerint dominus Papa et Regnum Hungarie; quod factum fuit pro honore Patrie Fori Julii : tamen contenti sunt et ita volunt, quod ipsi portus et flumina et loca maritima sint clausa eciam predictis domino Pape et Regno Hungarie, sicut aliis, et quod non dentur eis victualia, nec refrescamenta ullo modo etc. ut in illo capitulo continetur.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 83. l.)

Die VIII. Februarii. (Instrumento lige, ut supra, adiicitur nunc secreto). Dicti Syndici et procuratores dictorum Nobilium et Communitatum Patrie Fori Julii pro se et nominibus ipsorum nobilium et Communitatum antedictarum ex una parte, et predicti Egregii et nobiles viri domini Ambaxiatores, procuratores et Syndici predicti domini Ducis et Communis Venetiarum pro se et nominibus quibus supra pro altera parte, dixerunt unanimiter et concorditer coram me Notario et testibus infrascriptis, quod licet inter alia contenta in dicto capitulo in dicto instrumento unionis et lige inserto, exceptata fuerit Corona et Regnum Hungarie a contentis in dicto capitulo : tamen dicte partes ex certa scientia, et non per errorem, fatentur et confitentur, et affirmant, quod dicta exceptio facta fuit pro honore Patrie Fori Julii et nulla alia causa. Et ideo non obstante exceptione predicta in dicto capitulo annotata de Corona et Regno Hungarie, predicti Syndici et procuratores dictorum Nobilium et Communitatum Patrie Fori Julii pro se et nominibus, quibus supra, sub penis et obligationibus omnibus et singulis instrumento dicte unionis et lige contentis, non per errorem sed ex certa scientia per solemnem stipulationem promiserunt, et promittunt dictis Ambaxiatoribus, Syndicis et procuratoribus dicti domini Ducis et Communis Venetiarum, et mihi Notario Publico infrascripto recipientibus nomine et vice ipsius domini Ducis, et Communis Venetiarum per presens publicum instrumentum : Quod ipsi portus, flumina, et loca maritima Patrie Fori Julii contenta in dicto capitulo posito in dicto instrumento unionis et lige, erunt clausa in casu in dicto capitulo contento etiam Reginalibus Majestatibus, Regno, et Corone Hungarie et gen-

tibus suis, sicut clausa esse debent in casu in dicto capitulo notato omnibus aliis, quibus clausa esse debent per formam dicti capituli. Et quod in dictos portus, flumina, et loca maritima dicte Patrie Fori Julii ipse Reginales Majestates, Regnum et Corona Hungarie, et gentes eorum non recipientur nec receptabuntur ullo modo directe vel indirecte, nec eis dabuntur in dicto casu victualia, nec refrescamenta aliqua ullo ingenio seu forma, ut in dicto capitulo de illis, qui habere non debent ipsa victualia et refrescamenta, et receptari non debent in ipsis portubus, fluminibus, terris et locis dicte Patrie Fori Julii distinctius et plenius continetur stb. (Juramentum in Sancta Evangelia. Sanctio poenae 15000 ducatorum auri toties quoties pendendae. Renunciatio omnibus juridicis remediis).

Dicentibus et affirmatibus dictis Ambaxiatoribus, Syndicis et procuratoribus dicti domini Ducis et Communis Venetiarum, ac dictis Syndicis et procuratoribus predictorum Nobilium et Communitatum Patrie Fori Julii in presentia mei Notarii et testium infrascriptorum, non ex errore sed ex certa scientia, quod sacramentum factum per utramque partem, contentum in dicto instrumento lige et unionis, pro observatione omnium et singulorum contentorum in dicto instrumento, non se extendit, nec se extendere debet vel potest, nec potuit ullo modo ad exceptionem in dicto capitulo factam de Corona et Regno Hungarie; quia tunc in prestatione dicti sacramenti in dicto instrumento lige et unionis facte per utramque partem; ipse ambe partes voluerunt concorditer, specialiter et expresse, et ex certa scientia, non per errorem; et ita dixerunt in presentia mei Notarii et testium contentorum in instrumento lige et unionis predicte, quod illa exceptio in dicto capitula inserta, facta de Regno et Corona Hungarie perinde haberi deberet, ac si numquam in ipso instrumento posita foret. Et quod dictum eorum sacramentum ad dictam exceptionem Regni et Corone Hungarie non extenderetur, nec ad ipsam extendi volebant ullo modo. stb. stb. Item quod ipsa liga et unio sit et esse debeat per terram ad defensionem Ecclesie Aquilegiensis et Patrie Fori Julii contra quoscunque Dominos, Communitates et personas, cujuscunque conditionis

existant, invadentes terras et loca dicte Ecclesie Aquilegiensis et Patrie Fori Julii; exceptis Sanctissimo Domino nostro Papa, Serenissimo domino Imperatore seu Rege Romanorum; Corona et Regno Hungarie, dominis Ducibus Austrie et dominis Comitibus Goritie stb. (Actum in Civitate Gradensi in capella Sancti Johannis Baptiste de Grado; coram Notario Publico Nicolussio quondam Dominici Cuculissii de Sancta Maria la longa Utini habitante.)

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből.)

305.

Egyezkedés Raguza város községe s az elfogott franczia főurak és lovagok közt, melylyel az ezeknek felszabadulását tárgyazó feltételek meghatároztatnak. 1385.

In Christi nomine Amen. Pacta et conventiones habite cum Nobilibus captivis. Nobiles condam detenti sua sponte pure, mere et libere promiserunt et se solempnitar obligaverunt omni fraude, dolo et exceptione cessantibus; se solvere et plenarie satisfacere omnia et singula dampna illata nostris civibus Ragusinis, pro parte condam domini Ducis Andagavie, asserti Regis Lodovici Jerusalem et Sicilie etc.; que dampna seriose, particulariter et distincte scripta sunt in libris Communis Ragusii ascendentia ad summam quinque milia quingentorum ducatorum auri, reservatis dampnis illatis ser Michaeli de Bona et ser Basilio de Basilio ad presens nondum possibiliter terminatis. Item similiter promiserunt integre solvere, dare et reddere omnes pecunias eis mutuo datas et traditas per Commune Ragusii et nomine Communis, tam pro expensis, quam pro rebus de butino eis complacenter creditis, ascendentes ad summam II^{M}IX^{C}LXXI ducatorum auri. Item promiserunt et se sponte obligaverunt, quod per se vel alium seu alios modo aliquo vel ingenio non impetrabunt, nec impetrari ordinabunt, tacite vel expresse, de non solvendo et satisfaciendo dampna predicta, et pecunias eis mutuo traditas, ut dictum est. Et si usque nunc foret impetratum, exnunc renunciant et remittunt ipsam gratiam et favorem, quo

minus ad predicta teneantur. Et pro predictis omnibus et infrascriptis promissionibus et obligationibus solempniter adimplendis petierunt, quod omnes nunc relaxarentur, septem exceptis, scilicet domino Petro de Credonio, domino Aluysio de Monte Gaudio, domino Tristano de Roya, domino Roberto de Nella, domino Colardo de Callavilla, domino Gauinetto de Bayleul, et domino Johanne de Ver, remanentibus in obsides relaxandorum et promissionum suprascriptarum et infrascriptarum. Qui relaxandi debeant promittere et sacramenta firmare, quod ipsi ibunt per viam Venetias, et non transibunt montes pro eundo in Franciam; nisi perfecte tria adimpleant per eos promissa; scilicet satisfactionem dampnorum, solutionem pecuniarum mutuo traditarum, et reportatis de Hungaria illis, que dominus Aluysius et dominus Collardus reportare debent, secundum formam jam scriptam, ac etiam receptis promissionibus et obligationibus Gubernatorum et Conductorum gentium armigerarum in Regno Jerusalem et Scicilie existentium. Primo scilicet, quod mittant et solvant seu solvere faciant integre omnes pecunias ab eis secundum pacta persolvendas in Civitate Veneciarum illi, cui ordinatum fuerit debere persolvi a Commune Ragusii usque ad duos menses proxime secuturos a die, qua dominus Johannes de Buolio cum aliis discedet de Ragusio relaxatus; in quo eciam termino duorum mensium secuturorum, ut dictum est, obligaverunt se facturos et curaturos ita et taliter, quod Communi Ragusii mittentur et presentabuntur promissiones et juramenta solempniter facta Gubernatorum Generalium gentium armigerarum pro domino Rege Lodovico in Regno Jerusalem et Scicilie, seu partibus ipsi Regno suppositis, sub forma et modo inferius describendis. De promissione autem et sacramento domini Ottonis simili ordine presentanda Communi Ragusii, habeant terminum quatuor mensium a die qua supra computandum. Item ultra promissiones simul cum aliis factas promisit dominus Tristanus de Roya, se facturum et curaturum ita et taliter, quod dominus de Conciaco, et frater ipsius domini Tristani mittent ita, quod presentabuntur Communi Ragusii promissiones et juramenta de observatione premissorum per dictum dominum Tristanum, et obligationes ipsorum;

quod se solempniter obligent de reficiendo et solvendo omnia dampna, que in futurum inferentur, si qua fient Communitati Ragusii, civibus et habitatoribus et subditis omnibus, et fidelibus Regni Hungarie, occasione captionis et detentionis de ipso facte per Commune Ragusii. Et hoc promisit dictus dominus Tristanus se adimplere usque ad terminum quatuor mensium proxime computandorum a die quo supra, si dictus Dominus de Conciaco, et frater dicti domini Tristani fuerint in Italia; si vero fuerint ultra Italiam, teneantur adimplere usque ad terminum sex mensium proxime venturum, ut dictum est. Item promittit dominus Petrus de la Corona et dominus Arnoldus Theotonici se facturos et curaturos ita et taliter, quod in termino trium mensium computandorum, ut dictum est, quod predicto nostro Communi presentabunt promissiones et sacramenta in forma infrascripta Illustrium et Magnificorum Dominorum de Mediolano, scilicet domini Bernabonis et domini Galeaz Comitis Virtutum pro eis promittentium, de promissionibus et obligationibus per eos factis. Aliique Milites et Nobiles Francigene simili modo se obligant presentari facere Communi Ragusii promissiones et juramenta dictorum Illustrium Dominorum de Mediolano in termino sex mensium computandorum, ut supra, pro eis promittentium et jurantium. Item promiserunt, ut supra, nunc dicti Nobiles et milites mittere et presentari facere cum effectu promissiones et juramenta Illustris Domine domine consortis condam supradicti domini Ducis Andagavie asserti Regis, ut supra, heredum dicti domini Ducis, et Ducis Berrj, et Ducis Burgundie fratrum dicti condam domini Ducis Andagavie. Et si predicti non mitterent, nec solverent dictas pecunias, et non facerent presentari dictas promissiones et sacramenta in terminis suprascriptis; exceptis promissionibus contentis in termino sex mensium et quatuor mensium, que in hoc capitulo non comprehenduntur, ipsi relaxati omnes sub fide sacramenti teneantur redire ad nostros carceres, a nobis in ipsis detinendi ad nostre beneplacitum voluntatis. Et si non redirent non observando premissa, quod in quacunque Curia Mundi, Pape, Imperatoris, Regum, Principum, Heroum et quorumcunque Dominorum pro nostris captiuis appellare et convenire pos-

simus. Ad hec quod dominus Aluysius prefatus et dominus Colardus de Callavilla, duo ex septem obsidibus apud nos remanere debentibus, sub fide sacramenti et promissionis militaris habeant licentiam eundi ad Curiam Serenissimarum Reginarum Hungarie et eciam Dominarum nostrarum cum Sindicatu omnium et mandato Dominorum speciali, ad jurandum, ratificandum et confirmandum pro se et nomine ceterorum omnia per eos promissa, et ultra premissa, quidquid liberet addere Reginali Maiestati in ejus presencia et Ambaxiatorum domini Regis Francorum et nostrorum. Et ad reportandum promissiones et sacramenta prestita seu prestanda per Egregios Serenissimi domini Regis Francorum Ambaxiatores nomine et vice dicti domini Regis, si ad hoc habuerint mandatum speciale a prefato domino Rege ad infrascripta promittendum; quod eciam procuratorium seu mandatum debeant reportare proprium vel solempniter insinuatum. Que promissio dictorum Ambaxiatorum domini Regis Francorum prestari debeat in presentia Reginali astantibus nostris Ambaxiatoribus ibidem existentibus, quemadmodum sacramentum dictorum domini Aluysii, et domini Collardi pro se et nomine aliorum jurantium sub forma predicta. Item prelibati Ambaxiatores domini Regis Francorum promittant et jurent, quod omni dolositate et simulatione remota procurabunt, quod Illustris domina consors dicti domini Ducis Andagavie, et heredes dicti domini Ducis, ac eciam Duces Berrj et Burgundie mittere debeant dictas promissiones et sacramenta, ut dictum est. Et habitis vel non habitis per eos dictis promissionibus et juramentis, ipse dominus Aluysius et dominus Collardus redire teneantur, et promittunt sub fide sacramenti et pcomissionis militaris. Et si non reportaverint, remanere promittunt obsides et captivi una cum aliis; si vero reportaverint ipsas promissiones et sacramenta, et facta fuerit solutio pecuniarum, dampnorum et mutuorum, ac eciam recepte fuerint promissiones ac sacramenta Gubernatorum gentium armigerarum, et partium Regni Jerusalem et Scicilie predictarum de partibus Apulie; tunc et eo casu promittit Commune Ragusii omnes septem obsides relaxare; qui tamen jurare debeant, quod promissiones et sacramenta Illustris Domine domine consortis

condam domini Ducis, heredum, et Ducum Berrj et Burgundie fratrum dicti domini Ducis, presentabuntur solempniter Communi Ragusii. Similiter promissiones et sacramenta pro eis prestanda per Dominos Mediolani; et sacramenta ac promissiones domini Ottonis presentabuntur, si non forent presentata, sub terminis superius expressis in promissionibus prius relaxatorum, scilicet domini Johannis de Buolio et aliorum sociorum. Et si non presentarent predicta, et effectualiter non servarentur omnia per eos promissa supra et infra scripta; sub fide sacramenti promiserunt omnes redire ad carceres Communis Ragusii, in quibus debeant detineri ad beneplacitum dicti Communis Ragusii. Si vero non redirent, secundum promissiones et sacramenta eorum possint appellari et conveniri pro captivis Communis Ragusii in quacunque Curia, ut supra dictum est. Illud quod sub verbo Regio debet promittere dominus Rex Francorum et jurare et promittere debet Illustris domina consors condam dicti domini Ducis Andagavie, heredes, et Duces Berri et Burgundie, Magnifici Domini Mediolani, dominus Bernabos et dominus Comes Virtutum, dominus de Conciano, et frater domini Tristani, et ipsi Nobiles et Milites captivi promittere et se obligare, ad hec describitur hic inferius. Primo quod Serenissimus Princeps et Illustrissimus dominus Karolus Rex Francorum per se et suos heredes, Barones, subditos et fideles Regni sui, per se aut suos Ambaxiatores, Nuncios vel procuratores ad hoc habentes mandatum speciale promittat, et sub fide Regia affirmet pacem perpetuam et stabilem concordiam Ciuitati Ragusii, civibus et habitatoribus ac subditis et fidelibus Regni Hungarie, Dalmacie etc.; et quod ipse per se vel alium seu alios modo aliquo vel ingenio non procurabit, tractabit, vel ordinabit aliquid contra promissiones et obligationes factas per nobiles capitivos Communis Ragusii et eorum sacramenta, neque obviabit seu compellet eos vel aliquem ipsorum, quominus possint per eos promissa servare et plenissime adimplere; promittens eciam, ut supra, quod omnes et singuli captivi in galea domini Tristani et in galeotta una secum existente, alias relaxati, stabunt conventionibus detentorum ultimo relaxatorum. Et quod prefatus dominus Rex per se vel alium seu alios non tractabit,

neque procurabit quoquomodo, neque tractari faciet vel ordinabit inferre vel inferri facere aliquam injuriam vel offensam, lesionem vel dampnum dicte Ciuitati Ragusii, civibus, habitatoribus, et subditis et fidelibus Regni prefati Hungarie, Dalmatie etc. per terram neque per mare occasione captionis neque detentionis nobilium predictorum. Additis eciam promissionibus in penultimo et ultimo capitulis inferius positis, scilicet in additione seu declaratione addita. Simili modo et forma jurare et promittere debent Illustris Domina domina consors condam domini Ducis Andagavie, asserti Regis prefati, et heredes ejusdem, Illustres Duces Berri et Burgundie fratres dicti condam domini Ducis, dominus Otto, gubernatores et conductores gentium armigerarum supradicti Regni Jerusalem et Scicilie pro parte dicti condam domini Regis Lodovici et heredum suorum, et Magnifici Domini de Mediolano dominus Bernabos et dominus Comes Virtutum; et similiter dominus de Conciaco, et frater domini Tristani, qui jurabunt et promittent solempniter pro domino Tristano et se obligabunt ultra predictas promissiones et juramenta de omnibus dampnis inferendis ratione captionis et detentionis dicti domini Tristani in posterum de restituendo et reficiendo integraliter, si qua forent, quod non speramus. Que promissiones et sacramenta debite et solempniter ordinata Communi Ragusii debeant transmitti et effectualiter presentari. Item quod omnes et singuli predicti Nobiles captivi ante relaxationem et liberationem eorum, et postquam fuerint pristine redditi libertati, jurabunt semel et pluries, si requisiti fuerint, eciam super altare majoris seu Cathedralis Ecclesie Ragusine, quod ipsi et quilibet eorum servabunt federatam pacem et concordiam inviolabiliter dicte Ciuitati Ragusii, ciuibus, et habitatoribus, nec non subditis et fidelibus Regni Hungarie, Dalmacie etc. perpetuis temporibus observare. Et quod per se vel alium vel alios, modo aliquo vel ingenio, nullaque cautela et fictione adinventa, sed mere, libere et pure promittentes, non tractabunt nec procurabunt quoquomodo, nec tractari seu procurari facient inferre aut inferri facere aliquam noxiam novitatem, dampnum, injuriam, molestiam, vel offensam occasione predicta de Ciuitate Ragusii, ciuibus, habitatoribus, subditis seu fidelibus preliba-

tis; imo si hec tractari seu procurari sciverint, pro viribus resistent et possibiliter obviabunt. Et si aliqui Ragusei cives, habitatore, et subditi predicti paterentur aut incurrerent occasione predicta in aliquod dampnum, expensas aut interesse, promiserunt ipsi omnes simul et quilibet eorum in solidum, ea dampnum, expensas et interesse reficere et restituere integraliter, et eosdem modis omnibus indempnes servare. Item predicti Nobiles omnes et singuli ante et post relaxationem sub virtute sacramenti promiserunt, quod nec ipsi simul, nec aliqui eorum per se, in aliqua Curia spirituali vel temporali, scilicet domini Pape, Imperatoris, Regis seu Regum, Regine vel Reginarum, nec alicujus Communitatis totius Orbis seu Judicibus eorundem, per se vel alium seu alios modo aliquo vel ingenio quocunque colore seu cautela possibili, aut exceptione vel obviatione prorsus abjectis non postulabunt, neque intemptabunt, seu intemptari vel postulari facient restitutionem vel recompensationem aliquorum bonorum et rerum, per eos aut eorum alterum predictorum ab eis vel eorum aliquo ablatorum per aliquem Raguseum seu Raguseos, seu pro parte eorum tempore sue captionis, nec eciam petent, nec petere procurabunt per se vel alium etc., ut supra, aliquod dampnum vel interesse seu gravamen eis vel eorum alteri illata, aut que eis evenerint pro parte Raguseorum. Ad hec autem animo se obligandi promiserunt, se sic facere et ordinare, quod nullus eorum Dominus vel alius eorum nomine modo aliquo postulabit dampnum, aliquod interesse vel gravamen occasione predicta illata, vel que evenerint, ut modo dictum est. Noscentes indubie et certissime scientes, quod Ragusei non fuissent moti adversus eos, si eorum et suorum persone, barche, merces, et bona non fuissent manu violenta oppresse, captivate et oblate. Non enim animo ledendi eos, nec eis dampnum aliquod inferendi, contra eos moti sunt; sed animo et gratia recuperandi personas suorum civium Nobilium et aliorum contra omne juris debitum captivatos, et merces, res et bona eorum violenter ablata, et non alia de causa eos insecuti sunt, capientes eosdem et captivantes, et gratia vitandi dampna et discrimina possibilia detinentes, eorum omnium precedente culpa, dampna passi sunt. Promiserunt eciam ju-

rare Venetiis, ... qui vadunt illuc, in manibus Sindici Communis Ragusii ad hec et alia constituti. Insuper promittent et jurabunt omnes predicti promittere et jurare debentes superius explicati, ita et taliter operari et effectualiter adimplere, quod gentes ad presens ad eorum stipendium et cujuslibet ipsorum existentes vel inposterum existere debentes, cuiuscunque conditionis et nationis existant, toto tempore eorum stipendii vel servitii, nec post cessationem et licentiam usque ad tres menses deinde secuturos non inferent, nec inferri facient aliquam noxiam, novitatem, injuriam, molestiam vel offensam per terram, nec per mare, modo aliquo vel ingenio, dicte Ciuitati Ragusii, civibus, habitatoribus, subditis et fidelibus Regni Hungarie. Et si quod dampnum aut aliqua injuria esset illatum vel illata predictis vel alicui predictorum occasione superius declarata, totum id dampnum animo se obligandi promittunt sub virtute prestiti juramenti integre reficere et restituere, et pro injuria plenarie et debite satisfacere ex nunc nominatis talia passis. Promittentes omnes et singuli supradicti, prescripta omnia et singula observare et effectualiter adimplere. et in nullo contrafacere vel contravenire aliquo modo vel ingenio, sub pena perjurii et centum milia ducatorum auri, solempnitate juris stipulando promissa. Pro qua pena et aliis promissionibus et obligationibus predictis, scienter et expresse voluerunt posse in supradictis Curiis vel earum altera plenarie conveniri pro observatione omnium predictorum coram Summo Pontifice, Imperatore, Rege, Regina vel Reginis, vel eorum Curiis et Auditoribus, ac eciam in Ciuitatibus Venetie, Florentie, Bononie, et in quacunque alia Ciuitate vel loco; exnunc eligentes illum locum et judicem seu judices esse proprios, sub quibus et coram quibus convenirentur; pro hiis specialiter et expresse renunciantes beneficio fori ac omnibus Legibus, Decretis Canonicis et Civilibus, Statutis, Ordinationibus, Privilegiis, immunitatibus et aliis quibuscunque favoribus quibus contra predicta uti possent, eciamsi oporteret de eis vel predictorum aliquo specialem et expressam facere mentionem. Et quia superius est expressum, quod dominus Aluysius et dominus Collardus debeant et teneantur reportare promissionem sub verbo Regali ab Ambaxiatoribus. Serenissimi Regis

Francorum, et obligationem centum milium ducatorum, ubi promissa non servarentur, ut supra continetur; hoc locum habeat, si dicti Ambaxiatores habuerint ad promissionem et obligationem dicte pene plenum arbitrium vel speciale mandatum. Sed si dicti Ambaxiatores non haberent mandatum speciale aut plenum arbitrium ad predicta tunc ipsi Ambaxiatores facere teneantur promissiones quam artius possunt. Et redeuntibus dictis dominis Aluysio et Collardo de Curia Reginalis Aulae Hungarie cum omnibus promissionibus ibidem peragendis, ut supra patet, et servatis que promissa sunt servari usque ad adventum et reditum predictorum de dicto loco; relaxentur ipsi duo et alii quicunque obsides omnes, qui tunc jurare debeant, quod ipsi omnes mere et pure, cura solicita, omni simulatione remota procurabunt obtinere a domino Rege predicto promissionem predictam cum dicta pena centum milium ducatorum, et mittent et ipsam facient Communi Ragusii presentari usque ad sex menses secuturos, a die qua recesserint de Ragusio computandos. Et si procurando obtinere non possent, promittunt scribere Communi Ragusii, quod hoc obtinere non possunt, et quod parati sunt redire ad nostros carceres, si dicto Communi libuerit sub virtute prestiti juramenti. Nomina Nobilium obligantium se et jurare debentium: dominus Petrus de Credonio, dominus Johannes de Buolio, dominus Lodovicus de Monte Gaudio, dominus Petrus de Conewolth dictus de Corona, dominus Philippus dictus de Lineriis, dominus Robertus de Neella, dominus Colardus de Callavilla, dominus Tristanus de Roya, dominus Johannes de Ver, dominus Gadiffer de Sala, dominus Gavinetus de Bayleul, dominus Arnoldus de Chrikemberg, dominus Alardus de Nilles, Rodulphus de Boschetto, Johannes de Pelisson, Radulphus de Conflans, Georgius Tegrini, Girardus de Vattes, Johannes Oliverii, Theobaldus de Coceyo.

(Jegyzői jegy.) Ego Jacobus condam Ambrosini Milani de prima Juratus Cancellarius Communi Ragusii de mandato domini Rectoris et suoram Consiliorum Ciuitatis Ragusine de consilio Nobilium predictorum scripsi pacta predicta

facta inter Commune Ragusii ex una parte, et predictos Nobiles ex altera; roborata et confirmata de consensu partium predictarum signo nomineque meis hic appositis.

(A fogva tartott francia főurak és lovagok felszabadulását tárgyazó végleges határozatából, mint alább 307. sz. a.)

306.

A Raguzában fogva tartott franczia főurak és lovagok meghatalmazottakat küldenek Mária magyar királynénak udvarához, hogy felszabadulásukat eszközöljék. 1385.

In Christi nomine Amen. Anno eiusdem MCCCLXXXV. indictione octaua die penultimo Januarii Ragusii in sala superiori, ubi tenetur et celebratur Consilium Maius. Egregii et sapientes domini Petrus de Credonio, Johannes de Buolio, Petrus de Conualth dictus de Corona, Philippus Dominus de Lineriis, Robertus de Neella, Tristanus de Roya, Johannes de Ver, Gadiferus de Sala, Gauinettus de Bailleul, Arnoldus de Crikemberg, Arardus de Nielles Milites; Radulphus de Boschetto, Johannes de Pellisson, Radulphus de Conflans, Georgius Tigrini, Girardus de Vaytes, Johannes Oliuerij, et Theobaldus de Coceyo scutiferi stb. (plenipotentiarios constituunt Aluysium de Monte Gaudio et dominum Collardum de Callavilla) ad transferendum se et eundum ad partes Hungarie et presentandum se coram Maiestate Reginarum Hungarie et ibi in earum presencia, vel in presencia eius seu eorum, cujus vel quorum predicte domine Regine constituerint vel ordinaverint, promissiones, obligationes, pacta et conventa inter prefatos dominos constituentes et ipsosmet constitutos ac Dominacionem Ragusii exprimendum, ratificandum, approbandum vice et nomine dictorum Dominorum constituentium ac sui ipsorum constitutorum. Et ad jurandum in et super animas et fidem dictorum dominorum constituentium ac suam ipsorum constitutorum de firma observatione omnium et singulorum contentorum in dictis promissionibus et pactis factis

et tractatis inter ipsos Dominos constituentes et constitutos et Dominationem Ragusii, cum promissionibus, obligationibus realibus et personalibus, instrumentis et cautelis oportunis; et generaliter in et super premissis omnibus et singulis, ac dependentibus agere, tractare, procurare et facere omnia et singula necessaria et oportuna, sicut in dictis pactis et conventionibus factis et tractatis inter ipsos dominos constituentes et ipsosmet constitutos ac Dominationem Ragusii plenius continentur, et que ipsi constituentes facere possent, si personaliter interessent stb. (promittentes) quidquid per antedictos Sindicos et procuratores nomine ipsorum constituentium in premissis et quolibet premissorum actum, procuratum, juratum factumve fuerit, habere perpetuo firmum, ratum et approbatum, nec contrafacere vel contravenire per se vel per alium seu alios quoquomodo stb. Presentibus Jacobo de Prodanello Judice, et ser Lampredio de Zeriewo Nobilibus Ragusii; Magistro Albertino de Padua physico salariato Communis Ragusii, et ser Jacobo de Prima Cancellario Communis Ragusii testibus ad predicta vocatis et rogatis stb. (Jegyzői jegy és aláirás.)

(A végleges határozatról kiadott ünnepélyes okmányból mint 307. sz, a.)

307.

Végleges határozat a Raguzában fogva tartott franczia főurak és lovaguk felszabadulása tárgyában. 1385.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXXXV. indiccione octaua die ultimo mensis Februarii; regnante Serenissima Principe et Domina nostra domina Maria Dei gracia Illustrissima Regina Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Generosi ac strenui Milites domini Aluysius de Monte Gaudio et Colardus de Callavilla, ut dicitur natione Francigene, personaliter constituti coram Serenissima Principe domina Elisabeth Regina Hungarie, Polonie, Dalmatie etc. Spectabili genitrice Serenissime Reginalis Maiestatis predicte, et aliis multis Prelatis et Baronibus Regni Hungarie, in presentia quoque honorabilium et egregiorum virorum domini

Petri Fresnel Ambaxiatoria et Sindici Sacre ac Illustrissime Regie Maiestatis Francie, prout inferius apparebit, et domini Anthonii de Mileo asserti Ambaxiatoris Magnifici et Excelsi domini Comitis Virtutum, et nobilium virorum dominorum Ambaxiatorum Communis Ragusii, ac mei infrascripti Notarii, et aliquorum testium hic inferius specialiter nominatorum; prefati domini Aluysius et Collardus Milites tam propriis nominibus quam eciam procuratorio nomine nobilium et egregiorum virorum domini Petri de Credonio, Johannis de Buolio, Petri de Coneualch dicti de Corona, Philippi Domini de Lineriis, Roberti de Neela, Tristani de Roya, Johannis de Ver, Gadiferi de Sala, Gauinetti de Bailleul, Arnoldi de Crikemberg, Arardi de Nielles Militum; Radulphi de Boschetto, Johannis de Pellisson, Radulphi de Conflans, Georgii Tigrini, Girardi de Vaytes, Johannis Oliverii et Thephaldi de Coceyo Scutiferorum, prout de prefata procuratoria seu Sindicatu constat ad plenum, tenore cujusdam publici instrumenti per me infrascriptum Notarium de verbo ad verbum perlecti et visi, scripti quoque ac publicati in Civitate Ragusii per manus Johannis condam Magistri Conversini de Cregnan Imperiali auctoritate Notarii et Judicis Ordinarii ac Jurati Notarii Communis Ragusii sub anno domini millesimo CCCXXXV. indictione octaua die penultima Januarii, cujus instrumenti procurationis tenor de verbo ad verbum infra scribitur ad cautelam, sponte, libere, pure et ex certa scientia exposuerunt in scriptis, et ratificaverunt et approbaverunt omnes et singulas permissiones et obligationes, ac omnia et singula pacta et conventa solempniter celebrata et habita inter prenominatos Milites, dominos Aluysium et Collardum, ac prefatos constituentes eos omnes ex una parte, et Dominium seu Regimen dicte Ciuitatis Ragusii ex altera; juxta continentiam cujusdam scripture, quam idem dominus Aluysius de Monte Gaudio presente, audiente et consentiente dicto domino Collardo de Calavilla socio suo in manu tenebat, coram omnibus supradictis et infrascriptis testibus, ac me Notario infrascripto; petentes et supplicantes prefati Milites, domini Aluysius et Collardus eorum nominibus, ac omnium et singulorum supradictorum nominibus constituentium eos, coram prefata Serenissima Reginali Maies-

tate, et omnium aliorum ibidem astantium prefatas promissiones et obligationes, ac etiam predicta conventa pacta in eadem scriptura contenta promulgari et legi publice ac distincte, prout hic inferius de verbo ad verbum predicte omnes et singule promissiones et obligationes, ac pacta et conventa, ex eadem scriptura fideliter annotantur. Insuper memorati Milites domini Aluysius et Collardus tam propriis eorum nominibus, quam etiam procuratorio nomine predictorum omnium et singulorum constituentium eos, corporaliter manu tactis Sacris Scripturis in presentia omnium supradictorum et infrascriptorum testium, et mei Notarii coram prefata Reginali Maiestate publice juraverunt in animas ipsorum et omnium et singulorum constituentium eos, ut superius dictum est, firmiter attendere et observare omnia et singula, que in predictis promissionibus et obligationibus, ac conventis et pactis, ut dictum est, celebratis et habitis inter prenominatos dominos Aluysium et Collardum Milites, ac omnes et singulos constituentes eos, et inter Dominationem seu Regimen dicte Ciuitatis Ragusii capitulariter continentur. Quorum omnium promissionum et obligationum, et pactorum quoque ac conuentorum per omnia tenor noscitur esse talis :

In Christi nomine Amen stb. (következik a Raguza város s az elfogott franczia főurak és lovagok közti egyezkedés, mint fentebb 305. sz. a.)

In Christi nomine Amen stb. (következik az említett főurak és lovagok megbizottjainak meghatalmazványa, mint fentebb 306. sz. a.)

Acta sunt omnia et singula supradicta, videlicet expositio in scriptis predictarum omnium promissionum et obligationum; nec non pactorum et conventorum, item et juramenta solempnia de observatione premissorum in Posagavar in Castro Reginalis Maiestatis dicte, ubi protunc prefata Reginalis Majestas residentiam faciebat, sub anno, indictione, mense et die predictis, presentibus Reuerendissimo in Christo Patre et Domino domino Demetrio miseratione Divina tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum Presbytero Cardinale atque in Regno Hungarie Apostolice Sedis Legato; nec non Reuerendo Patre domino Georgio Episcopo Bosnensi, domino Nicolao

Preposito Cipsiensi Aule Regie Cancellario, domino fratre de Hederuar Magistro Cruciferorum de Calidis Aquis Budensibus ac Vice-Cancellario Reginali, domino Stephano Preposito Vesprimiensi; ac Magnificis et potentibus viris dominis Nicolao de Gara Regni Hungarie Palatino, Georgio Bebech, Emerico Bebech Voyuoda Russie, Stephano Bano de Moaz, ac pluribus aliis Baronibus, Militibus, Nobilibus et clientibus dicti Regni Hungarie testibus ad supradicta vocatis et rogatis.

(Jegyzői jegy.)

Ego Nicolaus quondam Christofori de Rodano de Cremona, Archidiaconus de Valcho, ac Cancellarius in Ecclesia Quinque-Ecclesiensi, Publicus Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius omnibus et singulis suprascriptis, videlicet expositioni dictarum promissionum et obligationum, nec non pactorum et conventorum inscriptis, nec non ratificationi et approbationi eorum, ac juramento prestito de observatione dictorum pactorum, dum sic agerentur et fierent, una cum predictis testibus presens interfui, predictas omnes promissiones, obligationes pacta et conventa, prout in scriptis michi fuerunt exhibita; insuper et predictum instrumentum procurationis de verbo ad verbum, nil addens vel minuens quod mutet sententiam vel variet intellectum, huic publico instrumento fideliter interserui et annotavi ac de omnibus et singulis prenotatis rogatus scripsi et publicavi, ac consueto signo Tabellionatus mei roboravi.

(Jegyzői jegy.)

Et Ego Petrus Nicolai de Zenthywan Clericus Zagrabiensis Diocesis, Publicus Apostolica auctoritate Notarius, hijs omnibus et singulis supradictis presens interfui, una cum prenominatis testibus et Notario, cum quo Notario capitula dictorum pactorum, et instrumentum procurationis presenti instrumento in-

serta et annotata fideliter ascultavi; et quia vidi, quod cum suis originalibus per omnia dicte scripture concordant, rogatus me subscripsi et meis nomine et signo appositis roboravi.

(Eredetie bőrhártyán a bécsi császári titkos levéltárban.)

308.

Mária magyar királyné Brazza, Lesina és Curzola dalmatiai szigeteknek birtokában. 1385.

In Christi nomine Amen. Anno a Nativitate ejusdem millesimo trecentessimo octuagessimo quinto indictione octaua die sexta mensis Marcii; regnante Domina nostra Maria Dei gratia illustrissimo Rege Ungarie, Polonie et Dalmatie; tempore Reuerendi in Christo Patris et domini Beneuenuti Dei et Apostolica gratia digni Episcopi Bracensis et Farrensis; ac Magnifici et potentis uiri domini Matheus de Petrach de Spaleto Aule Regie familiaris et honorabilis Comitis Insularum Brachie, Farre et Corcule; suo Vicecomite exeunte in Braciam Egregio et potenti viro domino Tomulo de Petrach honorabili cive Spalatensi; atque nobilium uirorum dominorum Judicum, et Chiusa Balog senior Valadigna — — — — et senior Nicolao Hualotitij. Domina Vida uxor Marogij Gostinicz de Climatio Inferiori iacens in lecto infirma corpore, tamen per gratiam Jesu Christi sanam mentem habens, memoriam atque sensum, tale de bonis suis post obitum suum testamentum in hunc modum factum procurauit. Imprimis quidem voluit, quod suum corpus sepeliatur apud ecclesiam Sancti Andree, ubi requiescit in Domino sua proles. Item iussit dari dicte Ecclesie aut in una Antonia, vel in una Crucis, libre tres paruorum pro anima sua. Item iussit dari Archipresbitero curato Sancte Marie de Nensi pro anima sua pro missis celebrandis unam libram paruorum. Item don Tomassio Curato de Chinas Inferiori unam libram paruorum pro anima sua pro missis celebrandis. Item dimisit dicto Marogio suo viro dimidium omnium et singulorum suorum bonorum tam mobilium quam stabilium, iurium et actionum exeuntium tam Brachie, quam alibi, ipsi testatrici quovis modo, titulo et co-

lore iuris pertinentium; et pro eo, quod ipsum Marogium circa recuperationem et reparationem bonorum ipsius testatricis dixit expen lisse tantum, quantum muntat et valet dicta medietas sibi dimissa. Reliquam medietatem dictorum bonorum dimisit iure legati Lucse et Johanni suis filiis equaliter diuidendam; quos sibi heredes instituit. Quibus omnibus et singulis suos fidei commissarios instituit senior Micsam Petruli absentem, et Marogium virum suum presentem. Et hanc suam ultimam uoluntatem asseruit esse velle, quam valere voluit iure testamenti; quodsi iure testamenti non valeat, saltem iure codicillorum valeat, vel alterius cuiuscumque ultime voluntatis, quibus melius et firmius valere potest. Actum Brachie in Climatjo Inferiori, in domo habitationis supradicte tessatricis. Presentibus don Tomasio Capellano Sancti Fabiani et Sebastiani Ecclesie Climacis predicti; Badouano Odoliti, Crauislauo Petroniti, Bosano Viditij, Badouano Gemosytii, Georgio Yurijenicq, et Thomasio Paruoslaui testibus ad premissa uocatis, habitis et rogatis.

(Jegyzői jegy.)

Et ego Dragota Badini Ciuis Sibenicensis Imperiali auctoritate Notarius Publicus et Judex Ordinarius, nunc Communis vero Brachensis Juratus Cancelarius, predictum testamentum scripsi et republicaui, ut audini a dicta testatrice fideliter.

(Hiteles másolat a bécsi császári titkos levéltárban.)

309.

A velenczei köztársaságnak intézkedései a Mária magyar királynéval kötendő szövetség tárgyában, melynek tekintetéből Quirino Jakabat követül küldi Magyarországba. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octava, die nono mensis Martii. Capta: Cum iam multis diebus preteritis cum deliberatione et voluntate Consilii Rogatorum et Additionis fuerit per virum nobilem ser Karolum Geno et sotios data responsio ad literas tunc missas per Fransiscum de Bernardo

ad finem lige cum Corona et Regno Hungarie, et fuit ipsa responsio missa Francisco de Bernardo predicto per ser Karolum Geno et sotios per duas manus literarum et per duos nuntios vel cursore, et licet nuntii nostri vel cursores applicuerint ad partes illas et presentaverint literas illas Francisco predicto; tamen ad factum principale nichil responsum est, et utile sit providere super hoc pro bono agendorum nostrorum; vadit pars, quod Collegium, scilicet Dominus, Consiliarii, Capita, Sapientes Consilii et Sapientes Ordinum habeant libertatem mittendi unum sufficientem nuntium ad partes Hungarie pro habendo responsionem ad factum predictum cum illa comissione et verbis, que videbuntur dicto Collego vel maiori parti pro bono nostro et agendorum nostrorum.

Die decima Martii. Capta: Cum pridie captum fuerit in hoc Consilio de possendo mittere unum Nuncium ad partes Hungarie cum illa commisione, que videbitur Collegio vel maiori parti pro habendo responsionem ad negotium principale etc., et per aliquos de Collegio fiat dubium propter illud verbum, quod dicit, quod Nuntius vadat pro habendo responsionem ad factum principale, si Collegium habet libertatem committendi ipsi Nuntio, quod habeat libertatem offerendi illis de inde, quod Dominatio nostra est contenta illuc mittere nostram Ambaxatam, existentibus ipsis bene dispositis ad factum lige; vadit pars, pro non perdendo tempus in hiis factis, et pro bono agendorum nostrorum, quod declaretur, quod Collegium habeat etiam libertatem predictam; videlicet existentibus illis deinde bene dispositis ad ligam nobiscum, offerendi, quod Dominatio nostra erit contenta mittere et mittet illuc suam Ambaxatam, ut superius dictum eet.

Capta in Collegio dicta die vigore dicte libertatis: Quod committatur ser Jacobo Qnirino civi et fideli nostro, quod in bona gratia cum literis nostris credulitatis ire debeat ad partes Hurgarie ad Magnum Comitem, cui facta reverentia et salutatione ex parte nostri Dominii, cum verbis amoris et dilectionis exponere debeat, quod sicut Sue Magnificentie plene notum est, pridie Franciscus de Bernardo scripsit per suas literas et cum voluntate ipsius Magni Comitis nobili viro Karolo Zeno et sotiis ad finem lige celebrande in-

ter Reginalem Maiestatem Hungarie, et nos et Commune nostrum; ad quas literas dictus ser Karolus Zeno et sotii de nostro mandato fecerunt responsionem ipsi Francisco de Bernardo, qualiter illud negotium placebat nobis etc., de qua nostra responsione non dubitamus, imo certi sumus, quod Excellentia Sua est plene informata. Et quia ad factum principale non fuit nobis missa aliqua responsio, quod leviter potuit occurrisse propter nuntium, qui defecerit in via, vel alia iusta et legiptima causa; propterea deliberavimus mittere ipsum ser Jacobnm ad presentiam Sue Magnitudinis, ad notificandum sincerissimam et optimam dispositionem nostri Dominii; videlicet quod existente Reginali Maiestate disposita ad factum lige predicte, Dominatio nostra erit contenta mittere et mittet ad presentiam ipsius Reginalis Maiestatis nostram Ambaxatam pro facto et cum sufficienti mandato et libertate ad plenum. Hiis vero expositis audiat ser Jacobus Quirino responsionem Magni Comitis, et si per verba, que conferent insimul, videbitur Magno Comiti, quod ipse ser Jacobus Quirino exponat similia verba Reginali Maiestati Hungarie pro bono dictorum agendorum, ser Jacobus Quirino dicat exponat secundum consilium Magni Comitis. Si vero non videretur Magno Comiti, quod esset necessarium dici aliqua verba Reginali Maiestati Hungarie, quia iam habita fuisset responsio sufficieus et ad plenum a Reginali Maiestate Hungarie secundum nostram intentionem, vel pro alia iusta et legiptima causa; tunc ser Jacobus Quirino non moveat verba de hoc Reginali Maiestati, sed sit in sua libertate scribendi subito nobis, vel veniendi Venetias cum eo, quod fecerit et habuerit, de omnibus plenissime informatus; et ad cautelam pro hac causa fiant sibi litere credulitatis Reginali Maiestati Hungarie.

In hoc vero medio tempore committatur ser Jacobo Quirino, quod solicite et diligenter det operam de sentiendo, si in partibus illis per Ambaxatam vel Nuntios Januensium, vel Domini Padue fuissent aliqua tractata, vel tractarentur et fierent contra honorem et statum nostri Dominii. Et si erit necessarium, substineat honorem et iura nostra coram Reginali Maiestate Hungarie, dando sibi ad intelligendum de sincerissimo amore et bona dispositione nostri Dominii, cum om-

nibus verbis, que sapientie sue utilia videbuntur, et ad impediendum et turbandum toto posse suo tales tractatus, informationes et verba contra statum nostrum, sicut de persona sua plene confidimus et speramus.

Item committatur ser Jacobo Quirino, quod si habebit a Magno Comite, vel a Francisco de Bernardo reperiente se ibi, quod responsio nobis missa fuerit ad factum principale lige secundum nostram intentionem; in hoc casu ser Jacobus Quirino dicere debeat, quod non dubitat ullo modo, imo certus est, quod recepta dicta responsione per nos, Dominatio nostra sine fallo illuc mittet suam Ambaxatam cum mandato ad plenum, ut superius dictum est.

Item ad cautelam committatur ser Jacobo Qurino, quod, si antequam compareat ad presentiam Reginalis Maiestatis Hungarie vel Magni Comitis, reperiet se cum Francisco de Bernardo, et Franciscus dicet sibi, quod habuerit responsionem, et ipsam nobis miserit secundum nostram intentionem; in hoc casu non debeat de hoc puncto lige movere nec dicere aliquod verbum, sed de alio facto procuret, sentiat, faciat, ut superius dictum est. Et in omni casu sit in sua libertate scribendi nobis vel redeundi Venetias de omnibus informatus, sicut et quando sibi videbitur pro meliori agendorum.

Item committatur ad cautelam ser Jacobo Quirino, quod existens in partibus illis, si aliquo casu se reperiret cum Francisco de Bernardo, debeat aperire sibi omnia negotia nostra predicta, et cum consilio et favore suo exequi et facere, ut superius per ordinem dictum est.

Item committatur ser Jacobo Quirino, quod reperiente se cum Francisco de Bernardo, si persentiret, quod responsio nobis facta fuisset ad factum lige, et quod non esset grata nec secundum nostram intentionem, vel quod nondum aliqua responsio nobis facta fuisset; tunc fingendo nichil scire de predictis, in hoc casu debeat cum consilio Francisci de Bernardo comparere ad presentiam Magni Comitis et Reginalis Maiestatis Hungarie cum verbis predictis et aliis, que sibi videbuntur pro obtinendo nostram intentionem.

Facte fuerunt ser Jacobo Quirino litere credulitatis in

personem suam Reginali Maiestati, Magno Comiti, Episcopo Quinque-Ecclesiarum et Francisco de Bernardo.

Item fuit sibi data copia literarum primo missarum ser Karolo Zeno et sociis per Franciscum predictum, et copia nostre responsionis.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXXIX. kötetéből 110. l.)

310.

A velenczei köztársaság akadályoztatni igyekszik Magyarország keleti kereskedéset. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octava, die sextodecimo mensis Martii. Capta: Quia exquirenda est omnis via abilis et honesta de cessando traficum et navigare, quod fit in partibus Segne et Sclavonie de ramine, quod conducitur de Hungaria et portatur ad partes Syrie; vadit pars, quod Collegium Domini, Consiliariorum, Capitum, Sapientum Consilii et Ordinum et Provisores Communis possint tractare cum Johanne Portenarii nomine suo et aliorum sotiorum, qui habent montem raminis Hungarie; et quia dictus Johannes petit posse aliquam partem raminis navigare, et habere aliquod avantagium datiorum, possit tractare super istis per illam meliorem viam, que videbitur, non firmando aliquid, sed cum eo, quod habebitur, venictur huc, et fiet, sicut videbitur.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 112. l.)

311.

A velenczei kormánynak szerződése Portinari János florenczi polgárral, ki Magyarországban a rézbányák birtokában van. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octaua die XXIV. Martii.

Cum de mandato Ducalis Dominii commissum fuerit Provisoribus nostri Communis, quod deberent tractare cum Johanne Portinari nomine participum montanearum a ramine

Hungarie super facto raminis; predicti provisores tractaverunt cum eo Johanne secundum conventiones infrascriptas, que quidem conventiones fuerunt approbate per istud Consilium videlicet : Primo :

Promittit dictus ser Johannes nomine quo supra de non navigare, nec navigari facere, nec vendere, nec vendi facere pro se vel aliis aliquid de dictis raminibus tam affinatis, quam non affinatis, salvo quam pro portando Flandriam per terram.

Et quod totum illud ramum, quod extrahent seu extrahi facerent de dictis montaneis, aut ement seu emi facient, ultra id, quod vendetur pro portando in Flandriam, ut dictum est; conduci faciet Venetias. Verum conductis raminibus Venetias sit in libertate eorum faciendi de illis velle suum; videlicet quod possint illa vendere hic Venetiis, et ponere in getum.

Preterea quod facient affinari quam minus facere poterunt in Hungaria; ita tamen quod illud quod affinabitur, non possit transire milliaria CC in ducenta quinquaginta in anno.

Et ad omnia predicta se obligant a die, qua conclusum erit in istis negotiis usque ad diem X. Februarii. Verumtamen si aliquid ramum extractum infra dictum tempus de dictis montaneis non potuissent conducere usque per totum millesimum predictum de MCCCLXXXVII., illud possint conducere de MCCCLXXXVIII. usque per totum mensem Septembris millesimi predicti; salvo in premissis justo impedimento.

Pro premissis autem et occasione premissorum Ducale Dominium contentatur et concedit :

Et primo : Quod de omnibus raminibus, que predicti conducent Venetias, sicut dictum est, tam de ramine ab .R., quam de secunda sorte; et etiam de affinato in Hungaria defalcentur et omnibus libre septem cum dimidia ad grossos tantum pro quolibet milliari de affinatura.

Preterea, quod possint navigare quartum dictorum raminum, postquam affinata erunt in geto Venetiarum, sic affinata, cum navigiis tam armatis, quam disarmatis, cum illis conditionibus et oneribus, quibus navigant et navigabunt Veneti.

Et teneantur et debeant predicti investitam conducere

Venetias cum dictis navigiis armatis et disermatis per illum modum, et sicut cum illis conditionibus et oneribus, quibus Veneti possunt et poterunt, ut dictum est.

Verum investita per dictum modum conducta Venetias non possit vendi in Venetiis, sed ipsam teneantur extrahere, sicut forenses, cum omnibus conditionibus, modis et oneribus, quibus forenses, per viam Segne, Ferrarie, sive Flandrie.

Et quod aliquod onus dicta Dominacio tam per se quam suos Rectores non ponent dictis raminibus, ultra quam dictum est, sed realiter conservabit illa in illa conditione, qua sunt ad presens; salvis illis impositionibus et gravaminibus, que communiter et generaliter imponerentur omnibus mercationibus. Declarando, quod dictum ramum affinatum in Hungaria sit illius bonitatis, finetie, cujus fuit illud, quod conductum fuit Venetias de mense Augusti proxime elapsi et affinatum in geto. Et similiter illud ramum secunde sortis, quod volent ponere in getum, non sit deterius illo, quod solitum est communiter recipi in geto.

Capta. Quod dicta capitula et pacta confirmentur, sicut dictum est, cum clausulis et aliis circa premissa necessariis et oportunis.

(A »Misti« czímű velenszei államkönyv XXXIX. kötetéből 118. l.)

312.

Florenczi vállalkozók, kik a magyarországi rézbányákat bírják, ez országra nézve hátrányos szerződést kötnek a velenczei kormánynyal. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octava die III. Aprilis. (Venetiis in Camera Provisorum Communis Veneciarum Rivoalti Andreas Donato, Johannes Barbadico, et Leonardus Bembo Provisores Communis Veneciarum constituti Syndici et procuratores Ducis et Communis Venetiarum ex una parte), et providus et circumspectus vir ser Johannes Portinarius filius quondam ser Sandri Civis et mercator Florentie nomine et vice Egregii et sapientis Militis domini Veri de Medicis, Jacobi de Francisco, Andree Domini Hugi, Antonii de Sanc-

tis, Guidi Domini Thomasii, et Gualterii Portinarii fratris dicti ser Johannis Portinarii participum montanearum a ramine Hungarie, et omnium et singulorum quorum interest et interesse posset quocunque jure et modo (ex altera parte in hec pacta et conventiones devenerunt): Quod omnes et singuli participes montanearum superius nominati vel alii, quorum interest vel intererit, seu interesse posset, non navigabunt, nec navigari facient, vendent, nec vendi facient pro se vel aliis alicui persone aliquid de raminibus dictarum montanarum tam affinatis quam non affinatis, salvo quam pro portando in Flandriam per terram. Et per totum illud ramum, quod predicti extrahent, seu extrahi facient de montaneis predictis, aut ement seu emi facient, ultra illud, quod vendetur pro portando in Flandriam per terram, ut dictum est, conduci facient Venetias, et sic conductis raminibus Venetias, sit in eorum libertate vendendi illa Venetiis, et ponendi in getum Venetiarum. Et quod facient affinari quam minus raminis poterunt in Hungaria; attamen totum, quod affinabitur, non possit transire summam sive quantitatem milliarum ducentorum in ducentis quinquaginta in anno. Et quod de omnibus raminibus predictis, que predicti conducent, seu conduci facient Venetias tam de ramine ab .R., quam de secunda sorte, quam etiam de affinato in Hungaria, defalchentur et omnibus oneribus, que habent ad presens libre septem cum dimidia ad grossos tantum pro quolibet milliario de affinatura. Et quod sit licitum dictis participibus posse navigare quartum sive quartam partem dictorum raminum sic Venetias conductorum, postquam affinata erunt in getho Communis Venetiarum, sic affinata cum navigiis tam armatis quam disarmatis per illum modum, et cum illis conditionibus et oneribus, quibus navigant et navigabunt Veneti. Et predicti participes tenentur et debent investitam sequutam ex dictis raminibus conducere Venetias cum navigiis armatis et disarmatis per illum modum et cum illis conditionibus et oneribus, quibus Veneti possunt, ut dictum est. Et non potest dicta investita per dictum modum Venetias conducta vendi in Venetiis; sed illam tenentur dicti participes extrahere de Venetiis cum modis, conditionibus et oneribus, quibus forenses per viam Segne, Ferrarie sive Flan-

drie. Et quod aliquod onus tam per Dominationem Venetiarum, quam per suos Rectores non imponetur dictis raminibus ultra quod dictum est; sed realiter conservabunt illa in conditione, qua sunt ad presens; salvis semper illis impositionibus, que communiter et generaliter imponentur omnibus, quibus expressum sit predicta subjacere debere. Preterea convenerunt et declaraverunt predicti contrahentes nominibus quibus supra ad excludendum omnem errorem, quod ramum predictum, quod affinabitur in Vngaria, erit illius bonitatis et fineze, cujus fuit illud, quod fuit conductum Venetias de mense Augusti proxime elapsi, et affinatum in geto Communis Venetiarum. Et etiam, quod illud ramum secunde sortis, quod predicti participes ponent seu ponere volent in gethum Communis Venetiarum, non sit deterius, illo, quod solitum est recipi communiter in getho predicta. Et predicta omnia et singula locum habeant et habere debeant a die celebrati contractus usque diem X. Februarii de MCCCLXXXVII. salvo in premissis justo impedimento. Verum si quod ramum extractum infra dictum tempus de montaneis predictis dicti participes non potuissent conducere usque per totum dictum millesimum de MCCCLXXXVII. possint illud conducere in anno de MCCCLXXXVIII., usque per totum mensem Septembris millesimi predicti. stb. stb. (Sanctio. Vicissim omnia bona obligantur. Johannes Portinarius promittit infra tres menses ratificationem. Signum et subscriptio Notarii.)

(Ratificatio facta 1385. indictione 8. die 15. Maji Florentie in populo Sanctae Marie supra portam.)

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VIII. köt 232. l.)

313.

VI. Károly franczia királynak követei Velenczén át utaznak Magyarországba. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indiccione octaua die XVI. Aprilis. C a p t a : Quod pro contemplacione Serenissimi domini Regis Francie, et pro bono agendorum nostrorum, detur pas-

sagium usque Segnam istis Ambaxiatoribus suis, armando unam nostram galeam duplam vel circa ad expensas nostri Communis cum centum hominibus a remo, et cum illis paucioribus hominibus de parte, qui poterunt, et cum aliis quam minoribus expensis fieri poterit pro bono nostri Communis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 134. l.)

314.

A velenczei kormánynak gondoskodása Quirino Jakabra nézve, kit követnek küldött Magyarországba. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione VIII. die sextodecimo mensis Aprilis. C a p t a : Cum nobilis vir ser Jacobus Quirino civis noster fuerit destinatus ad partes Hungarie pro factis nostri Dominii, et ipse alacriter iverit, ut est notum, et redeundo Venetias fuerit captus, et nescitur aliquid de eo, et pro honore nostri Dominii faciat procurare relaxacionem et liberationem eius, ut alii nostri nobiles habeant causam eundi alacriter ad servitium nostrum; vadit pars, quod Collegium, scilicet Dominus, Consiliarii, Capita et Sapientes habeant libertatem mittendi unum nostrum Notarium sufficientem ad procurandam liberationem et relaxationem dicti ser Jacobi Quirino apud Reginalem Maiestatem Hungarie et alios, ut fuerit necessarium, cum illis verbis efficacibus, utilibus et dextris, que videbuntur pro honore nostri Dominii et bono civis nostri predicti. Item committatur dicto Notario, quod cum literis nostris credulitatis debeat comparere coram Magno Comite, et dicere Magnificentie Sue, qualiter misseramus ad partes illas ser Jacobum Quirino predictum, qui redeundo Venetias captus fuit, et quod per ipsum ser Jacobum Dominatio nostra non potuit habere aliquam responsionem nec informationem de facto principali, pro quo missus fuit ad partes illas, et quod nos libenter sciremus, in quo termino illa negocia remanserunt, ut possimus providere, sicut convenit pro bono agendorum illorum, et cum qua intentione veniebat ser Jacobus Qnirino predictus; et de omnibus supradictis Notarius noster procuret habere plenissimam informationem, et cum eo, quod fece-

rit et habuerit in premissis, redeat celeriter Venetias de omnibus plenissime informatus. Et si noster Notarius reperiret ser Jacobum Quirino relaxatum, non procedat ulterius in facto predicto, sed redeat Veneatias de omnibus plene informatas.

Item committatur dicto Nuntio, quod in via sua si persentiret, quod ser Jacobus Quirino non esset adhuc relaxatus, et quod posse sibi loqui; tunc loquatur ei, et si habebit ab eo plenam informationem facti principalis, de presenti scribat nobis ordinate, et prosequatur viam suam non dicendo aliquid Magno Comiti, sed procuret liberationem et relàxationem ser Jacobi Quirino a Reginali Maiestate Hungarie, ut superius dictum est, et de alio se non impediat.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 135. l.)

315.

A velenczei köztársaság két követet küld Maggarországba. 1385.

Anno MCCCLXXXV. die vigesimo septimo Aprilis. Capta : Quia consideratis novis que habuimus de partibus Hungarie necessario expedit provideri de mittendo Ambaxatam nostram ad illas partes; vadit pars in bona gratia pro bono et utilitate agendorum nostrorum, quod elligantur per scruptinium in hoc Consilio duo Ambaxatores solempnes, qui possint accipi de omni loco et offitio et iudicatu peticionum et de offitio continuo, non perdendo officium continuum nec utilitatem eius, et respondeant die, qua fuerint electi, vel alia ad tertias, et non possint refutare sub pena ducatorum C pro quolibet etc.

Electi Ambaxatores in Hungariam ser Leonardus Dandulo Miles Procurator, ser Donatus Truno.

(A »Misti« czimü velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 146. l.)

316.

A velenczei köztársaságnak intézkedése Magyarország keleti kereskedésének tárgyában. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octaua, die XXVII. Aprilis. Quia super omnia consideratis conditionibus nostris per omnem modum possibilem est procuranda utilitas mercatorum nostrorum et navigiorum nostorum pro bono Status nostri; et sicut manifestum est, navigia vel cives nostri non possunt levare aliquod plumbum in partibus Sclauonie et Dalmacie pro portando in aliquam partem extra Culphum, quod non est bene factum; ymo est cum maximo damno Communis nostri, mercatorum et navigiorum nostrorum et totius terre, quia alie naciones et persone, et Anconitani et alii, vadunt et levant et conducunt ad ipsas partes, et habent totam istam utilitatem, ita quod nos non possumus costizare cum eis ullo modo; eciam predicte nationes conducentes de dicto plumbo ad partes Leuantis sunt causa, quod de speciebus conducitur in maxima quantitate in Culpho nostro cum maximo damno mercatorum nostrorum et tocius terre; et necessario sit prouidendum super hoc pro obviando predictis : vadit pars, quod elargetur, quod cives nostri cum navigiis nostris tam armatis quam disarmatis possint in qualibet parte de intra Culphum caricare et leuare de plumbo predicto pro portando extra Culphum ad omnes partes cum ista condicione, quod patroni nostrorum navigiorum stb. (nuncient quantitatem plumbi caricati Officialibus Tabulae, catenus solvant datium, aliasque dispositiones factas observent.)

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 148. l.)

317.

Zeno Károly, ki Mária magyar királynéhoz velenczei követnek volt választva, Milanóba podestának hivatván meg, követségi tiszte alól felmentetik. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octava, die XXV. mensis Maii. Capta : Cum nobilis vir ser Karolus Geno,

qui erat electus Ambaxator ad Reginalem Maiestatem Hungarie, et ibat alacriter et libenter; postea per Excelsum et Magnificum dominum Comitem Virtutum fuerit electus Potestas Mediolani, ad quam Potestariam dispositus est ire, placendo nostro Dominio; vadit pars, in bona gratia, quod ipse ser Karolus Geno absolvatur libere et sine aliqua pena a dicta Ambaxata Hungarie, et capta ista parte, fiat alius Ambaxator loco eius; et si Consilium etc.

(A »Misti« czímű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 161. l.)

318.

Tvartko II. István szerb és boszniai királynak a velenczei köztársaság. 1385.

Anno MCCCLXXXV. die III. Junii. Capta: Quod scribatur domino Regi Rassie in hac forma:

Regie Maiestati quam plures litteras destinavimus, et ultimo unam datam vigesimo secundo Decembris proxime elapsi, amicabiliter rogantes ac instantissime requirentes, quatenus pro debito justitie et honoris Regii placeat tenere modum absque aliis dilationibus, quod vir nobilis Nicolaus Baseio, civis noster et Maiestatis Vestre Capitaneus, realiter acciperet integram satisfactionem suam de nonnullis pecunie summis, in quibus Maiestas Vestra tenetur eidem pro factis Regiis sibi commissis, pro quibus quidem pecuniis ipse est quam pluribus personis obligatus, qui solutiones suas coram nobis cum continuis instantiis petierunt et petunt adeo, quod idem Nicolaus timore carceris comparere non potest; pro qua quidem satisfactione propinqui Nicolai sepe comparent coram nobis suplicantes, ut provideatur de remedio oportuno, ut exeat de tot laboribus, et ut illi, qui habere debent, possint consequi solutiones eorum. Substinuit quoque idem civis noster graves expensas in mittendo litteras occasione predicta. Sperabamus autem attenta iustitia civis nostri, quod absque tot laboribus et dilationibus Maiestas Vestra pro honore suo satisfecisset eidem. Tandem ab eadem Maiestate litteras datas die secundo Aprilis nuper elapsi recepimus, responsales ad nostras,

continentes, quod in brevi Maiestas Vestra mitteret suos Ambaxatores, qui satisfacerent in omnibus civi nostro; qui Ambaxatores non apparuerunt nec apparent, de quo non modicum admirari compellimur. Et licet absque ulteriori requisitione teneamur civi nostro secundum iusticiam providere; tamen non valentes aliter pertransire, declaramus, quod si in brevi dicta satisfactio realiter facta non fuerit, opportebit seu invite, ut sine ulteriori notificatione provideamus indemnitati civis nostri de remediis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 174. l.)

319.

A velenczei köztársaság válasza Mária magyar királynénak követségére. 1385.

Anno MCCCLXXXV. die XXVII. Junii. Capta: Quod respondeatur isti Ambaxatori Reginalis Maiestatis Hungarie, quod intellecta Ambaxata sua nobis sapientissime exposita super facto raminis condam ser Petri de Ivanus Ragusei, quod superveniente guerra fuit acceptum de gethu nostro tamquam bona nostrorum inimicorum et positum in commune etc.; quod alias, sicut notum est, et nunc de novo voluimus habere bonum consilium super facto predicto; et per ea, que habuimus, Commune nostrum non teneatur ad aliquam restitutionem rami predicti secundum formam pacis. Et licet simus in pleno iure in facto predicto quia ipse Ambaxator dicit, quod non esset conveniens, quod nosmet essemus judices in facto, quod tangit Commune nostrum; sumus contenti et placet nobis, comparente persona legiptima, que possit hoc facere de hoc facto, stare iuri, et quod cognoscatur de iure pro bono utriusque partis, ut ius tribuatur illud habentibus.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 196. l.)

320.

A velenczei köztársaságnak György corbaviai gróf, a Mária magyar királyné és Orleansi Lajos franczia herczeg közti házasságról. 1385.

Illustrissime Princeps et Domine. Notum facimus Vestre Dominationi, quod Domina nostra Maria Regina Hungarie cum consilio totius Regni accepit in Dominum et maritum dominum Ludovicum fratrem Regis Francie, pro quo Domino missi sunt tres Ambaxiatores, Ladislaus Voyvoda Transilvanus, Comes Johannes de Vegla, et ego Comes Georgius Corbavie, ad conducendum ipsum in Regnum Hungarie. Et ecce sumus in via, et erimus cito in Padua. Offero me ad omnia vestra servitia et mandata. Datum in Brigne die XXVII. Junii.

Georgius Comes Corbavie, Consiliarius Regie Maiestatis, Ambaxiator in Regnum Francie, recommendat se Vestre Dominationi. Si Desideratus ad nos veniret Paduam, ipsum libenter videremus.

(A velenczei kormánytanácsnak »Liber Secretorum«-ából 110. sz. l.)

321.

A velenczei kormánytanácsnak intézkedése Quirino Jakab elfogott követe kiszabadulása ügyében. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione octava, die V. Julii. Capta in Collegio. Desiderate. Informamus te, quod nobilis vir ser Jacobus Quirino civis noster fuit destinatus per nos ad partes Hungarie pro negotiis nostri Communis, qui alacriter et bono corde ivit ad servitium nostrum, et redeundo Venetias fuit captus per gentes Voivode, et sicut habemus est in fortia et manibus suis. Et quia facit pro honore nostri Dominii procurare relaxationem et liberationem dicti civis nostri; committimus tibi per nos et nostrum Collegium, habentes ad hoc plenissimam libertatem, quod cum nostris li-

teris credulitatis ire debeas ad Magnificum dominum Voivodam predictum. Cui facta salutatione cum verbis amoris et dilectionis, sicut convenit pro honore nostri Dominii, exponere debeas, quod de casu predicto occurso in personam nostri nobilis et civis predicti recepimus maximam displicentiam et turbationem in mentibus nostris, considerato, quod ipsum civem nostrum mittebamus solum pro factis nostri Communis, et non ad dampnum vel sinistrum alicujus Domini vcl persone; dando ad intelligendum ipsi Voivode, quod firmissime tenebamus, ipsum civem nostrum, et quoslibet alios nostros cives esse ita securos a predicto Voivoda et gentibus suis in omni parte, sicut essent in nostra propria Civitate Venetiarum; et hoc considerato amore et sincerissima dilectione, que semper viguit, et cum Dei gratia vigebit inter Suam Magnificentiam, et nos et Commune nostrum; et propterea rogamus Magnificentiam Suam, quatenus nostri amoris intuitu placeat ipsum ser Jacobum Quirino cum famulis et rebus suis libere relaxare et restituere sue pristine libertati, sicut de sua Nobilitate et Magnitudine plene speramus. Quod licet sit iustum et conveniens, tamen reputabimus nobis et Communi nostro ad servicium et complacentiam specialem; quando vero non relaxaret ipsum ser Jacobum Quirino, displiceret et gravaret nos, sicut merito potest et debet; utendo hiis et aliis rationibus et verbis, que tibi videbuntur, pro obtinendo liberationem nostri civis predicti. Factis vero omnibus experientiis possibilibus, si non posses obtinere a dicto Voivoda liberationem et relaxationem ser Jacobi Quirino predicti, tunc cum nostris literis credulitatis ire debeas ad presenciam Reginalis Maiestatis Hungarie; cui facta reverentia et salutatione sicut convenit, exponere et procurare debeas, ut supra, libertatem et relaxacionem nostri civis predicti, cum omnibus illis rationibus et verbis, que tibi utilia videbuntur, ita quod restituatur sue prime libertati, sicut de fidelitate tua plene confidemus et speramus.

(A velenczei kormánytanács »Liber Secretorum«-ából 95. sz. a.)

322.

A velenczei kormánytanács intézkedése, miután a Mária magyar királyné és Lajos orleans-i herczeg közti házasságnak hirét vette. 1385.

Guilelme. Recipimus hodie a Magnifico domino Georgio Comite Corbavie, Consiliario Regie Maiestatis Hungarie, litteras datas Brigne XXVIII. Junii, per quas, sicut videbis per tenorem earum intra descriptum, significavit nobis, quod Serenisima domina Maria Hungarie Regina accepit in maritum Illustrem dominum Ludovicum fratrem Serenissimi Regis Francie. Unde ipse dominus Georgius et duo alii vadunt Ambaxatores ad conducendum ad Regnum Hungarie prelibatum dominum Ludovicum. Quare committimus tibi, ut vadas Paduam, et si erunt ibi, compareas dextro modo coram eodem domino Georgio cum litteris nostris credulitatis, quia ipse solus nobis scripsit; salutando ipsum affectuose parte nostra, et dicendo, quod statim intellectis litteris suis, misissemus ad eum providum virum Desideratum Notarium nostrum, sed non est in Venetiis; unde loco dicti Desiderati providimus mittere te ad Suam Magnitudinem ad regratiandum cum toto affectu Magnificentie Sue de eo, quod sibi placuit tam amicabiliter significare nobis predicta; quia novit Deus, de omni exaltatione honoris et status Regie Miaestatis et totius Regni Hungarie plurimum congaudemus, offerentes nos ad beneplacita Magnificentie Sue; et si quod volebat dicere Desiderato, potest dicere tibi sicut Desiderato.

Significamus insuper tibi, quod iam multis diebus paravimus solemnem Ambaxiatam ituram ad Serenissimas Reginales Maiestates; sed supersedimus ob pericula et discrimina viarum, que sunt pro novitatibus Hungarie; et ideo rogamus Suam Magnificentiam velut honorabilem et intimum amicum nostrum, ut placeat notificare nobis, si videretur sibi, quod dicti nostri Ambaxatores possunt cum securitate ire et quando.

Dabis etiam operam de sciendo ab eo factum et condicionem Jacobi Quirino detenti, videlicet de causa retencio-

nis, et in cuius manibus detinetur, et per quem modum posset relaxari.

Si autem dicti Ambaxiatores transissint Paduam, vadas velociter ad eos ad exequendum predicta; et cum eo, quod habebis, Venetias revertaris.

(A velenczei kormánytanács »Liber Secretorum«-ából 110. sz. a.)

323.

A Mária magyar királyné és Lajos orleans-i herczeg közti házasságnak per procura történt megkötése után Magyarországból visszatérő franczia követség a velenczei nagg tanács előtt. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione VIII. die X. Julii.

Forma Ambaxiate facte Ducali Dominio.

Ambaxiatores Serenissimi et Excellentissimi domini Regis Francie comparuerunt coram nostro Dominio cum placibilibus verbis, annunciantes nobis, quod tractatus nupciarum celebratarum inter Serenissimum et Excellentissimum dominum Regem Ludouicum fratrem domini Regis Francie, et Serenissimam dominam Reginam Hungarie, erat ductus ad effectum per verba de presenti; et quod dominus Rex Ludovicus erat venturus ad istas partes pro eundo ad Regnum Hungarie. Et propterea rogabant nostrum Dominium, quod veniendo de hinc posset naulizare et soldare de nostris navigiis pro transitu suo ad suas partes.

Capta: Quod respondeatur istis Ambaxiatoribus Serenissimi et Excellentissimi Regis Francie, intellecta Ambaxata sua sapientissime nobis exposita, quod pro contemplatione Serenissimi et Excellentissimi domini Regis Francie, et Serenissimi et Excellentissimi domini Regis Ludouici, et Serenissime et Excellentissime domine Maiie, carissimorum et intimorum amicorum nostri Dominij, sumus contenti et placet nobis; et sic offerimus nos in casu, quo Serenissimus et Excellentissimus dominus Rex Ludovicus veniat Venetias pro transeundo ad partes Segnie vel Dalmacie pro eundo ad Regnum Hungarie, providere taliter de passagio Regie Maiestati

Sue et comitiue eius, quod erit honor prefate Regie Maiestatis Sue et nostris Dominii, et quod Excellentia Sua habebit merito contentari; dispositi in cunctis nobis possibilibus Serenissime Regie Maiestati Sue semper libenti animo complacere.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 210. l.)

324.

A velenczei köztársaság Cattaróban a velenczei kereskedők szabadalmairól gondoskodik. 1385.

Anno MCCCLXXXV. die XX. Julii. Capta: Cum ad presens sint ituri aliqui nostri mercatores ad partes Catari cum aliquibus suis mercimoniis, et secundum veteres consuetudines nostri semper fuerint franchi et liberi in partibus predictis, et nunc de novo senciatur, quod per Serenissimam dominam Reginam Hungarie predictus locus Catari datus fuerit in manibus domini Regis Rassie; pro omni bono respectu mercatorum et mercanciarum nostrarum euncium ad illas partes vadit pars, quod Dominus, Consiliarii et Capita de XL, Capita Consilii ac Sapientes Ordinum habeant libertatem elligendi unum de nostris euntibus ad illas partes, qui habeat libertatem tractandi pacta et franchisias nostras consuetas cum domino Rege Rassie sine expensis nostri Communis, prout per dictum Collegium fuerit ordinatum.

Die XXV. Julii. Ellectus Ambaxator ad illustrem dominum Stephanum Regem Rassie inter Collegium Domini, Consiliariorum, Capitum de XL, Capitum Consilii et Sapientum Ordinum, ser Blancus de Rippa.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 223. l.)

325.

A velenczei köztársaság Plumacio Jánost meghatalmazottjának küldi a magyar királynékhoz, hogy a 7000 aranyforintnyi adót az 1385. évre átszolgáltassa. 1385.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXXXV. indiccione XIII. die XXV. mense Julij.

— — — — — — — — — — — — —

— Excelsus et Magnificus Dominus dominus Anthonius Venerio Dei gracia inclitus Dux Veneciarum etc. unacum suis Consilijs ad hec et alia deputatis, ad sonum campane et voce preconia more solito vocatis et congregatis, et ipsa Consilia una cum ipso domino Duce unanimiter et concorditer nemine discrepante pro se et successoribus suis et Communi Veneciarum, omnibus modis, juribus, formis et causis, quibus melius potuerunt, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt suum et dicti Communis Veneciarum Sindicum, actorem, procuratorem et negociorum gestorem, et quicquid amplius dici potest, providum et circumspectum virum Johannem Plumazium Notarium et fidelem suum, absentem veluti presentem, in eorum omnibus et dicti Communis Veneciarum causis, litibus, controversijs et querellis; et specialiter ad dandum et solvendum Serenissimis et Excellentissimis Principibus, domine Marie Dei gracia Illustri Regine Hungarie, Polonie, Dalmacie etc., et domine Elisabeth eadem gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie etc. illustri Regine, vel alteri earum, seu Thesaurarijs earum vel alterius earum recipientibus pro Regno et Corona Hungarie dicte septem millia boni auri et in auro, et boni et justi ponderis, nominatim pro solucione presentis anni juxta formam capituli pacis predicte, et ad recipiendum sindicario nomine prefati Domini domini Ducis et Communis Veneciarum a prelibatis Serenissimis Regijs et Reginalibus Majestatibus Hungarie, seu a presidentibus vel Thesaurarijs sive procuratoribus earum et Corone Regie, habentibus ad hec idoneam potestatem finem, quietationem, absolucionem, et liberacionem de solucione predicta, cum promissionibus, cautelis et clau-

sulis opportunis, et generaliter ad omnia alia et singula faciendum et procurandum stb.

(A Syndicatusok könyvének I. kötetéből 160. l.)

326.

A velenczei kormánytanács polgára Quirino Jakab kiszabadulása üggében. 1385.

Ser Desiderato Luceo Notario nostro.

Desiderate. Recepimus heri X. Augusti literas tuas datas Zagrabie secundo preteriti mensis Augusti, ea, que feceras cum Magnifico domino Voyvoda et circa liberam relaxationem viri nobilis Jacobi Quirino seriosius continentes; pro quibus tuam diligentiam et solicitudinem merito commendamus. Ad factum autem eundi ad Serenissimam dominam Reginam Hungarie rescribimus, quod si absque periculo ire potes, vadas in nomine Domini; si vero ire non poteris, Venecias cum nostra gracia revertaris. Sed ante tuum recessum scribere debeas prefate domine Regine, qualiter iam multis diebus applicuisti Ysagrabiam pro eundo de nostro mandato ad presentiam Sue Maiestatis pro bona causa, et etiam pro notificando Reginali Serenitati, qualiter providus vir Johannes Plumatio Notarius et Nuntius noster iam pluribus diebus fuit et est Jadre cum pecunia page presentis anni, paratus ad presentiam Sue Maiestatis accedere et dictam pecuniam assignare, dummodo haberet securum conductum a Jadra usque ad presentiam Sue Maiestatis. In omni autem casu, eundo et non eundo, significa dicto Johanni qui est Jadre, quicquid egeris. Mittimus litteras duas Magnifico domino Voyvode, quarum copiam tibi mittimus presentibus interclusam pro tua informatione. Data XII. Augusti, VIII. indictione.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből 113. sz. a.)

327.

Követének Plumatio Jánosnak a velenczei kormánytanács. 1385.

Johanni Plumatio Notario nostro apud Jadram.

Quamvis non dubitemus, quod statim, cum aplicuisti Jadram, significasti Serenissime domine Regine Hungarie adventum tuum cum pecunia, ut Maiestas Sua dignetur providere de mittendo pro te salvum conductum; tamen notificamus tibi, quod providus vir Desideratus Luceus Notarius noster per litteras suas datas Zagrabie secundo presentis mensis Augusti notificavit nobis, quod itinera aduc periculosa noscuntur, quod non credit posse ire ad prefatam dominam Reginam ad notificandum sibi tuum adventum Jadram cum pecunia. Unde rescripsimus ei, quod si non potest ire, scribat Sue Maiestati adventum tuum predictum. Nichilominus tu etiam scribe et replica Sue Maiestati adventum tuum Jadram cum pecunia, ad finem habendi securum conductum. Data die XII. Augusti VIII. indictione.

(A »Liber Secretorum« czimű velenczei államkönyvből 114. sz. a.)

328.

Mária magyar királynénak nyugtatványa azon 7000 arany forintnyi adónak 1385-re történt lefizetéséről, melylyel a velenczeiköztársaság a magyar koronának tartozik. 1385.

Nos Maria etc. recognoscimus et notificamus universis presentes inspecturis, quod Illustris dominus Antonius Venerio Dux et Commune Venetiarum, amici nostri carissimi, septem millia florenorum auri, que secundum pacta et conventiones inter olim Serenissimum Principem dominum Ludovicum Regem Hungarie etc. genitorem nostrum carissimum felicis memorie ab una, parte vero et altera dominum Ducem et Commune Venetiarum amicos nostros charissimos alias inita et contracta pro anno presenti Nostre Majestati solvere debebant, nobis et ad nostram Cameram per nobilem virum

Johannem Plumatium de Venetiis Procuratorem, Syndicum et Nuncium, concivem ipsorum persolvi, dari et assignari fecerunt plene et integre. Super quibus septem millibus florenorum memoratos dominum Ducem et Commune Venetiarum, amicos nostros carissimos, ad rationem anni duntaxat presentis, commisimus quietos pariter et expeditos testimonio presentium mediante. Datum in Alto Castro nostro Vissegradiensi XVIII. mensis Augusti anno Domini MCCCXXXV.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 273. l.)

329.

Tvartko II. István szerb és boszniai király megerősiti a velenczei kereskedők szabadalmait Cataróban. 1385.

Nos Stephanus Tvertcho Dei gratia Rex Rassie, Bossine, Maritimarumque parcium etc. universis et singulis Christi fidelibus, quibus presentes ostenduntur, salutem in eo, in quo in terris regnancium solia sunt erecta. Hinc vestre universitatis fraternitati elucescat per presentes, quod perceptis et intellectis Ambasiatis et legacionibus Serenissimi ac Illustrissimi Domini domini Anthonii Venerio eadem Dei gratia Ducis Veneciarum etc. ac eiusdem Ducalis Dominii per nobilem et sapientem virum eorum civem et Ambasiatorem dilectum dominum Jacobum de Rippa nobis gratiose et sapienter expositis; videlicet, quod mercatores eiusdem Ducalis Dominii cum suis mercimoniis semper de consuetudine antiqua fuerunt in Civitate Cathari liberi et exempti ab omni dacio et gabella. Nosque volentes cum eisdem unitatem, fraternitatem et antiquam amiciciam sincere et sine fallo observare, et in omnibus licitis sue Ducali Dominio gratissime complacere; matura deliberacione ac puro corde ad ipsius Ducalis Dominii sincerissimam monicionem concessimus presens instrumentum: quod cum per gratiam largiflue Dei disposicionis et preclarissime sororis nostre domine Regine Ungarie Civitas predecessorum nostrorum Catharensis feliciter ad manus Nostre Maiestatis perpetualiter pervenit, ad laudem et gratiam summi Creatoris omnium, qui suis cuncta bona invisibilia preperavit; amicis

vero et benivolis nostris ad gaudium et exultacionem, ut ipsi sint participes dono Divine dispositionis nobis celitus conçesso. Idcireo, ut prefertur, ad eiusdem Ducalis Dominii sincerissimam monicionem universos singulosque mercatores eiusdem Ducalis Dominacionis presentibus assecuramus, quatenus iidem mercatores cum ipsorum mercimoniis, cuiuscumque condicionis existant, possint semper libere et secure et absque omni pavore ad prefatam nostram Civitatem Cathari, et absque omni dacio et gabella venire, intrare, stare et morari, tam per terram quam eciam per mare cum ipsorum mercimoniis, intelligendo eciam de omni pinguedine. Cum autem eisdem placuerit ad propria remeare, salvis ipsorum rebus ac personis liberam ac securam, plenam et expeditam habeant facultatem. Item quod si aliquis civis dicte nostre Civitatis Cathari vel quiscumque fidelis noster tenetur alicui Veneto debitum cuiuscumque condicionis contracto, quod Regimen dicte nostre Civitatis vel alii subditi nostri, quibus racio pertinebit, teneantur eidem omninodam satisfaccionem abhibere, videlicet quod predicti debitores realiter et personaliter coustringantur carceribus, mobilia ipsorum et immobilia vendantur ad solvendum debitum, et de carcere non dimittantur, usque quo non fit integra satisfaccio debitori. Et e converso si aliquis Venetus vel subditus Ducalis Dominii dare teneretur alicui Catharensi vel fideli nostro debitum quocumque modo contractum, quod debeat ipsum citare ad presenciam Consulis Venetorum morantis in predicta nostra Civitate, et quod predictus Consul Venetorum teneatur omnimodam et plenam satisfaccionem super predictos debitores adhibere, videlicet quod prefati debitores realiter et personaliter carceribus constringantur, mobilia ipsorum et immobilia vendantur ad solvendum debitum, et de carcere non dimittantur usque non fit integra satisfaccio debitori. Si vero prefatus Consul in predicta nostra Civitate tunc temporis non reperiretur, ex tunc eliget unum Venetum alium vero Catharensem, vel quiscumque noster fidelis, et hii duo inter ipsos iudicent de dicto et de facto. Sin autem illi duo ipsos concordare non poterunt infra VIII dies, tunc adhibeant sibi alios duos, qui illi quatuor inter ipsos iudicent, et usque ad octo dies, vel terminum per ipsos deputatum, per

maiorem partem de predictis quatuor plenissima satisfaccio adhibeatur. In cuius rei testimonium has presentes nostras licteras fieri iussimus sigilli nostri appensione roboratas. Datum in Aula nostra Regali Sotesca XXIII. die mensis Augusti, sub anno Dominice Incarnacionis millesimo trecentesimo octuagesimo quinto.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 242. l.)

330.

A velenczei köztársaságnak utasitása Siciliában lévő követe számára. 1385.

Anno MCCCLXXXV. die XV. Septembris. Capta in Collegio et in Addictione de XX, quod scribatur Nicolao de Gerardo Notario nostro in hac forma:

Nicolae. Recepimus nuper duo tua brevia nobis missa per te, data die XVIII. et XXII. mensis Augusti proxime preteriti. Quibus plenissime intellectis, per nos et nostrum Collegium cum Additione, presentibus respondemus et sic volumus: quod debeas dicere illi amico ex parte nostri Dominii, quod licet de ipso amico nostro omnem plenissimam confidentiam caperemus in omnibus factis nostris, et quantum forent maiora, ut ipse bene scit; tamen modus recordatus per ipsum amicum non faceret pro nobis nec pro factis nostris. Et propterea regraciamur sibi de laudabili et optima disposicione eius ad honorem et statum nostri Dominii, offerendo nos et Commune nostrum, ut semper fecimus, ad sua beneplacita et honores. Et quia pridie scripsimus tibi per duas manus literarum nostram intentionem et deliberationem, quam iterato ad cautelam tibi replicamus; vollumus et mandamus tibi per nos et nostrum Collegium cum Additione, quod procures adimplere nostram intencionem secundum formam mandati nostri predicti. In casu vero, quod dominus Rex Karolus iret de certo ad partes Sclavonie, sicut fit mentio in literis eius, et tu non videres modum complendi nostram intentionem secundum formam mandati nostri predicti; tunc in hoc casu, accepto com-

meatu a domino Rege Karolo, et a domino Cardinali Ravene, et ab aliis amicis nostris, Venecias revertaris de omnibus informatus. Et circa similia verba et regraciamenta facere debaes domino Episcopo Isagrabiensi cum illis verbis, que tibi utilia videbuntur; verum non debeas ullo modo recedere de partibus illis, nisi primo videris dominum Regem Karolum recessisse de partibus illis pro veniendo ad partes Sclavonie predictas.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. köt. 285. l.)

331.

A velenczei köztársaságnak válasza Tvartko II. István szerb és boszniai király követségére. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione IX. die XXIII. Septembris. Capta: Quod pro dando expeditionem istis Ambaxatoribus domini Regis Bossine pro honore nostri Dominii de differentiis, quas habet cum ser Nicolao Baseio, ordinetur, quod postquam dicti Ambaxatores depositaverunt apud Patronos Arsenatus omnes denarios pro expensis factis per ser Nicolaum Boseio occasione duarum galearum domini Regis predicti, que sunt in nostro Arsenatu, quod dicatur dictis Ambaxatoribus, quod de dictis duabus galeis et corredis suis dominus Rex potest ordinare et facere, ut sibi placet, quia sunt ad omne beneplacitum et mandatum suum. De aliis vero differentiis, quas ser Nicolaus Baseio habet cum dicto domino Rege, ipse ser Nicolaus utatur iure suo, ut sibi placet; quia non intendimus, quod ipse due galee nec correda earum propterea stent impediti ullo modo pro honore nostri Dominii.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXIX. kötet. 295. l.)

332.

A velenczei kormánytanácsnak utasitása Siciliában lévő követe számára. 1385.

Anno MCCCLXXXV. indictione nona, die vigesimo mensis Septembris. Capta in Collegio et in Additione de Viginti ei data: Quod scribatur Nicolao de Gerardo Notario nostro in partibus Neapolis in hac forma.

Nicolae. Recepimus literas tuas et brevia tua data Neapoli die XXV. mensis Augusti, et ultimo datas die primo, secundo, quinto, septimo, octavo et nono mensis presentis Septembris. Quibus plenissime intellectis, per nos et nostrum Consilium cum Additione, tibi presentibus respondemus, quod si dominus Rex Karolus recessit de toto Regno, sicut in tuis literis continetur, et non dimisit libertatem alicui super factis tibi commissis per nos, ita quod non videas modum possendi ullo modo obtinere nostram intentionem, debeas redire Venetias. Si vero dominus Rex Karolus non recessit, quia multotiens isti Domini dicunt de recedendo et non recedunt, vel recessisset et dimisisset libertatem super facto predicto; in hoc casu debeas prosequi negotia tibi commissa per nos, observando formam, quod scribis te recepisse per tuas literas, et quod ad cautelam hic inferius tibi fecimus replicari.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XXXIX. kötetéből 301. l.)

333.

Plumatio János a velenczei köztársaság meghatalmazottjának Mária magyar királyné. 1385.

Maria Dei gracia Hungarie, Dalmatie, Chroatie etc.

Care nobis. Receptis litteris vestris nobis directis, in quibus nobis significabatis, cui vel quibus illam summam pecunie septem millium florenorum auri, quibus domini Dux et Commune Venetiarum annis singulis juxta conventionem alias initam nobis tenentur, dari committemus requisistis, subjungentes, ut licet littere nostre expeditorie super facto dicte pe-

cunie vobis fuissent exhibite, tamen propter abolitionem sigilli earumdem litterarum nostrarum ipsam summam pecunie cuique dare denegassetis. Ad que vobis respondemus, quod ipsas litteras nostras denuo fecimus sigillari sigillo nostro authentico et bullari; ac eas misimus Rectoribus Civitatis nostre Jadrensis, per ipsos vobis presentandas et assignandas habita solutione pecunie antedicte. Eapropter requirimus vos per presentes, ut premissam pecunie summam ipsis Rectoribus secure vice Nostre Maiestatis persone dare et suis manibus assignare velitis plene et integre. Datum Budae VII. mensis Novembris.

Kivül : Nobili et sapienti viro Johanni Plumacio Nuncio et procuratori Illustrissimi Dominii Venetorum nobis plurimum caro.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 274. l.)

334.

Venerio Antal velenczei dogének Jadra város elöljárósaga. 1385.

Illustris et Excelse Domine. Celsitudini Vestre notificamus, quod circumspectus vir ser Johannes Plumacio de Venetiis, qui pro parter Vestri Inclyti Dominii portavit Jadram ducatos septem millia auri pro solutione unius anni debitos Regie Maiestati Hungarie secundum formam ultime pacis firmate inter prefatam Sacram Regiam Majestatem Hungarie ex una parte, et ex altera premissum Inclytum Dominium Vestrum; et quem laudabiliter sollicitum et attentum circa ipsius expeditionem recomissum habuimus prece vestra statim habita et recepta expeditoria Serenissime et Excellentissime Principis et Domine nostre Naturalis domine Marie Dei gracia Illustrissime Regine Hungaries, Dalmacie, Chroate etc. sigillo notorio et authentio dicte Domine nostre munita, et data in Alto Castro Vissegradiensi XVIII. die mensis Augusti anno Domini MCCCLXXXV. ex precepto litteratorio ejusdem domine nostre Regine solvit nobis dictos ducatos septem millia auri contentos et nominatos in predicta expeditoria Reginalis Majestatis. Quos ducatos septem millia auri in ma-

nibus nostris, seu per manus nostras, videlicet Communis, habemus nomine prefacte domine Regine nostre conservandos pro ejus Majestate, et ad mandata et ad beneplacitum Sue Serenitatis. Datum Jadre die XX. mensis Novembris anno Domini MCCCLXXXV. indictione nona.

Rectores Consilium et Commune
Civitatis Jadre.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 274. l.)

335.

Jagiel Ulászló litvániai fejedelem Hedvig lengyel királyné, I. Lajos magyar és lengyel király leányának kezét, s evvel a lengyel trónt nyeri. 1386.

Nos Wlodko Capitaneus Lublinensis, Petrus Ssafranecz Subdapiferus Cracouiensis, Nicolaus Castellanus Zauichostensis, et Cristinus Tutur Kazimiri, notum facimus vniuersis presencium noticiam inspecturis; quod feria quinta infra octauas Epiphanie Domini anno eiusdem Domini MCCCLXXX. sexto ad invictissimum Principem Jagalonem Dei gracia Summum Ducem Lituanorum et Russie Heredem, cum legacionibus Nobilium, Procerum, maiorum pariter et minorum tote Communitatis Regni Polonie cum litteris credencialibus, videlicet Serenissimi Principis Ladislai eadem Dei gracia cum una, et eorundem Nobilium Magnatorum Regni predicti littera cum altera venimus vigore quarundam litterarum credencialium; et nomine eorundem Dominorum cum ipso domino Jagalone Magno Duce prenarrato condicionaliter difiniuimus et taliter pactauimus; ita quod ipsum pro Domino ac Rege Regni eiusdem, videlicet Polonie, Domino nostro perelegimus et assumpsimus; sibi quoque Inclitissimam Heduigem, et preclaram Reginam Polonie Naturalem in coniugem legitimam condicione matrimoniali dedimus, condonamus, conferimus et contulimus copulandam. Quam quidem nostram ordinationem, et definicionem nostram et contractum, vt prefertur, iuxta ritum legacionum nostrarum ab omnibus Regnicolis Regni prenarrati promittimus et sponde-

mus rata, grata et inuiolabiliter fore conseruanda. Eciam cum eodem domino Jagalone Summo Duce premisso, vigore et nomine predictorum Regnicolarum, conuencionem composuimus, condictauimus et dictauimus in Lublin in die Purificacionis Marie proxime affuturam fore generalem, ad quam idem dominus Jagalo Dux sepedictus cum fratribus et terrigenis suis, cuiuscunque existant conditionis, tute et secure venire debebit; interim et Ambasiatores seu Nuncios suos immediato tempore per vniuersos confines Regni Polonie cum omni securitate mittere sua negocia libere ordinandos. Et nos Milites prenarrati promittimus fidei nostre sub edicto et honoris, ab omnibus Regnicolis Regni Polonie eidem domino J. Summo Duci prelibato, cum omnibus fratribus suis et hominibus vniuersis in conuencione eadem existentibus, ac Nunciis eiusdem ante conuentionem prenarratam per Terram Polonie transientibus, vel in ea manentibus, secure, ac vniuersa et singula agere, dolo et fraude quibusuis procul motis. In cuius rei testimonium et euidenciam sigilla nostra presentibus iussimus fore appendenda. Actum et datum in Volkouigzko anno et die quo supra.

(A herczeg Ossolinski-féle intézet kézirati gyüjteményéből Lembergben, II. köt. 311. l.)

336.

Velenczének kereskedése Raguzával. 1386.

Anno MCCCLXXXV. die penultimo Januarii. C a p t a. Cum nobilis vir ser Marinus Storlato civis noster habeat, sicut asserit, in partibus Ragusii circa milliaria XX olei, et dubitat, quod quidam eius factor ignoranter caricauit vel caricet dictum oleum super nauigio forensium pro conducendo illud Venecias; quod si factum esset vel fieret, esset contra formam cuiusdam partis prohibentis, quod non possint intra Culphum conduci Venecias cum nauigio forensium alique mercationes, nisi quedam exceptate in parte predicta; et propterea supplicauerit Dominio, quatenus considerato casu et ignorancia dicti factoris, quod subveniatur ei de non incidendo in

penam contentam in dicto ordine. Vadit pars, quod concedatur sibi de gracia, quod dictum oleum possit venire seu conduci Venecias cum quocunque nauigio, non obstante ordine seu parte predicta, et propter hoc nullam penam incurrat.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XL. köt. 21. l.)

337.

III. vagy Durazzoi Károly siciliai királynak, miután kis Károly nevezete alatt magyar királynak koronáztatott, a florenczi köztársaság. 1386.

Regi Hungarie.

Serenissime atque gloriosissime Princeps, pugil Ecclesie, Guelforum columen, et spes vivida nostri Communis. Nunquam, sicut ad presens, tam efficaciter atque vere fuit experta nostra devotio, quam grave molestumque sit longa nimis expectatione suspendi. Nunquam aliquid tam ardenter tamque letis animis expectavit, quam litteris regiis, super tam mirabili exaltatione Vestre Celsitudinis sonsolari. Nam cum omnipotens Dei dextera Majestatem Vestram mirabili prosperitate direxerit; et cum in annalis renovationis fine, pridie scilicet kalendas Januarij, Sacratissimum Regnorum Hungarie suscieperitis Dyadema, quod hinc inde nobis, tam nostrorum civium, quam aliorum litteris nuntiabatur, videntes undique plures Communitates et Dominos super hoc rescripta Vestre Celsitudinis accepisse: novit Deus, quanto cum desiderio morabamur Sublimitatis Vestre scriptionibus visitari; ne putaretur nostra Communitas, que firmissime devotionis spiritu, reverentieque singularis affectu in Vestre Serenitatis et gloriose memorie progenitorum vestrorum cultu, ceteros mundi Principes et populos antecellit, in tam felicium communicatone successuum a Vestra Clementia posthaberi. Cum tandem undecima presentis mensis exoptatos Fastigii Regalis apices devotio nostra suscepit per Gentilem de Lucerio a Majestatis Vestre Culmine destinatum; quibus summa cum veneratione receptis jocundissimas litteras illas mandavimus aperiri. Mox autem ipsaram intellecto tenore, tanta letitia, tantaque exul-

tatione repleti, quantam nec mente concipere, nec designare calamo valeremus; totum nostrum populum missis hinc inde preconiis fecimus congregrari. Sicque maxima cum solemnitate celebrato publico parlamento, cum silentio et attentione cunctorum fuit, quicquid scripsit Vestra Serenitas, recitatum. Que quidem omnes tam alacriter acceperunt, quod toto populo sine differentia suis a ministeriis sequestrato, festos agendo dies, crebris ignibus, frequentibus hastiludiis, et omni celebritate triumphi, quantum exinde iocunditatis acceperint, ostenderunt. Nec mirum. Tunc enim agnovit Populus Florentinus Majestatem Vestram in Regnum Hungarie non dominandi cupiditate profectum, sed tam Reginarum votis et precibus, quam nobilium populorumque supplicationibus evocatum. Tunc patuit universis, Illustrissimas illas Reginas una cum Regni Proceribus et Prelatis, non tam exaltationis vestre gratia, quam ob directionem tot Regnorum, quibus fragilitate nature satisfacere non valebant, summis suis necessitatibus consulentes, Vos ad exaltationem Regiam sublimasse. Tunc omnes manifestissime perceperunt, Serenitatem Vestram non contrariis studiis amicorum prevalente potentia, sed in cunctorum suffragiis et assensu super thronum Regium, quod tot Provinciis imminet, ascendisse. O felix Regnum, o super omnis mundi plagas felix et gloriosa Pannonia, quod paulo ante dissentiens et divisum, jam usque ad bellorum discrimina fluctuabat, nunc unanime, nunc unitum, sub novi Regis clementia requiescit. Que modo peregrini sanguinis jugum formidans et trepida morabatur, nunc Regem de Rege suo, Principem de Principe, Regem verum de Rege vero meruit accepisse, felix et gloriosa profecto. Quid enim de preteritis retro Principibus in hoc suo Karolo Tertio desiderare poterit, quod sibi non detur abundantissime reperire? Nonne si Karoli Martelli magnanimitatem, qui primus ex glorioso sanguine in Regem Hungarie meruit coronari, forte requirat, in novo Rege specimen illius dabitur intueri. An optime memorie Karoli Umberti tolerantiam; felicitatem atque clementiam Ludovici forte non invenient in hoc suo glorioso Principe refulgere? Ut ultra Ducem et Dominum suum nil aliud in hac societate mortalium possint suspirando requirere, vel pro suo felici regimine, si recte sapiant, exoptare.

Nos autem cum prosperitate Regnorum, que nunc accesserunt Majestatis Vestre Culmini, gratulemur; gaudemus tamen eximie, Serenitatem Vestram novis et mirabilibus quotidie successibus exaltari. Gaudemus, tantum et tale presidium languentis Italie morbis ad obviandum cunctis periculis accrevisse. Gaudemus in potentie vestre brachio, gloriosum Catholice partis Guelffe nomen mira cum fortitudine roborari. Gaudemus denique nostro populo tantum favorem, quantum de Magnitudine Vestra concipimus, preparari; speramusque, quod sicut Sanctissimus ille Presul, in cuius anniversarie commemorationis die dyadema tante glorie suscepistis, orbis imperium, sublata Constantini lepra, multisque miraculis de cecitate gentilium ad lumen transtulit Christianorum, sic invicta Vestra Majestas, cunctis Italie languoribus, et totius Christianitatis infirmitate, sacratissimum salvatoris nostri sepulchrum et illa sancta Sanctorum, que Saracenorum perfidia tot jam retro seculis inclinavit, de fedis illis manibus in Dei benignitate tryumphis felicibus eruetis. Quod autem Vestra Clementia dignata sit cum devotione nostra tam amicabiliter vestra communicare felicia, debitas gratiarum rependimus actiones. Majestatem Vestram, cui nos humillime commendamus, dignetur Omnipotens Deus, Regum et Principum institutor, cum felicibus incrementis longis temporibus conservare. Ceterum cum iuxta Majestatis Vestre rescripta Magnificos fratres nostros Bononienses de pace cum Comitibus de Barbiano strictissime duxerimus requirendos, responsum accepimus in forma, quam iussimus intercludi. Quod quamvis prima fronte sit asperum, negotium tamen istud ob reverentiam Serenitatis Vestre totis affectibus prosequemur. Data die XV. Februarii VIIII. indictione. MCCCLXXXV.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XX. kötegében 166. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

338.

Mária magyar királynénak a florenczi köztársaság. 1386.

Regine Marie.

Serenissima Regina. Si pro glorioso vestro sanguine in ardenti fide et humili securitate movetur nostra devotio; si confidentes audemus in filialis reverentie caritate, et soli, quod plurimi forte silent, pro miserandi Regis salute, magnitudini Vestre Clementie supplicemus: Vestra non debet Serenitas admirari. Novit etenim Vestra Majestas, quanta cum veneratione populus iste non tam Florentinus, quam Regius, gloriosos Hungarie Reges, et totam Sacramentissimam Progeniem Christianissimi Principis domini Karoli Primi Jerusalem et Sicilie Regis, a quo totius vestri sanguinis series derivatur, quantoque cum devotionis cultu fuerimus prosecuti. Novit etiam, meminisseque debet, quanta benivolentie caritate, felicis recordationis eterneque et gloriose memorie Ludovicus genitor vester, nos inter Majestatis Sue singulares servitores et peculiares filios reputabat. Ut etiamsi taceat universus orbis, Communi nostro, quod sine ingratitudinis nota tacere non potest, omnino sit debitum, cuncta que de progenie Regia contigerint infeliciter, in spiritus amaritudine conqueri, et quantum fieri possit, pro salute et honore cunctorum devotis affectibus operari. Heu dolor, heu pietas. Audivimus, quod sine profluvio lacrimarum enarrare non possumus, quosdam iniquitatis filios, detestabili Sathane spiritu concitatos, proh pudor, in Majestatis Vestre conspectu, tantam in audaciam, imo furorem et insaniam surrexisse, quod in Serenissimum Principem Regem Karolum, per manus Vestre Benignitatis paulo ante ad tantam sublimitatem evectum, armatas manus, ad effusionem sanguinis et illationem mortis, crudeliter iniecerunt; tantumque licuisse percussoribus illis, quod ipsum in Palatio Regio, et demum in oppido Visingradus carceribus intruserunt. Quarum rerum fama nos plurimo merore confecit, totam Italiam in stuporem, et universum orbem in admirationem et condolentiam excitavit. De quibus, licet multi multa circumferant, licet variis et diversis opinionibus collo-

quantur; nos tamen arbitrari non possumus, hec omnia nedum preter vestram conscientiam, sed in maximam Serenitatis Vestre displicentiam processisse. Caro quidem est de carne vestra, et os ex ossibus vestris. Quis enim ignorat ex Karolo secundo hinc Karolum Martellum Hungarie Regem, et inde Johannem Ducem Dyrachii descendisse? Quis non novit, ex illo Karolum Umbertum avum vestrum, et ex hoc Ludovicum eiusdem tertii Karoli genitorem serie legitima propagatos? Ut nefas sit atque sacrilegum, aliter de Humanitatis Vestre clementia suspicari. Accedat ad hoc, quod de illo gloriosissimo cespite solus est masculus, ex quo debeat tante consanguinitatis familia protrahi, solusque in tot Regnorum titulos debeat, ne ad externos transeant, conservari. Tingant alii et insimulent quicquid volunt, nos autem infallibiliter credimus Benignitatem Vestram tam immane facinus abhorrere; nunc autem honor et officium Majestatis Vestre fuerit taliter providere, quod idem Rex nedum conservetur in vita, sed ad libertatem pristinam reducatur. Nam quamvis sexus muliebris fragilitas et aetatis tenelle conditio Celsitudini Vestre impedimento fuerint, ut non possit vestra benignitas tantum furorem, et tam immane facinus, in illo subito rerum articulo prohibere; totum tamen onus liberationis et conservationis sue super humeros Celsitudinis Vestre recumbit. Totus terrarum orbis expectat huius rei de manu Vestre Majestatis eventum. Non possunt auferri vulnera, non potest sacratissimus ille sanguis in oculis vestris non esse diffusus. Fuerint hec malignitatis percussorum; sed Vestre Clementie sit paterni sobrini vitam cum optata liberatione benignissime conservare, ne deleatur culmen gloriosissimi vestri sanguinis, et inclita Karoli Primi posteritas tanta cum ignominia finiatur. Nos autem, gloriosissima Regina, tamquam vere devotionis filii, sacris pedibus Vestre Majestatis affusi, liberationem et vitam tanti Principis devotis supplicationibus, et multo cum lacrimarum profluvio postulamus. Parcat nobis Sublimitas Vestra, et ista que scribimus in bonam partem accipiat, nosque dignetur recommendatos cum benignitate suscipere, et nostros mercatores et cives sub alis et umbra Vestre Celsitudinis con-

servare. Data Florentie die XV. Martii VIIII. indictionis MCCCLXXXV.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XX. kötegében 165. sz, a., a florenczy nagy levéltárban.)

- - -

339.

A kis Károly magyar királynak Magyarországban szolgáló olasz harczosoknak a florenczi köztársaság. 1386.

Italicis in Hungaria militantibus.

Contremuerunt viri strenui, viri fortes, contremuerunt viscera nostra, obstupuerunt mentes, et attonita sunt nostra precordia sentientes, quod horremus scribere, quosdam proditionis filios, tanta malignitatis iniquitate repletos, quod sacrilegas manus ausi sunt in Christum Domini, et legitimum Regem suum, atque naturalem Dominum furentes manus miscere (így); corpus Serenissimi Principis et Domini domini Karoli Tertii Hungarie, Jerhusalem et Sicilie Regis, horrendis vulneribus violare. Ausi quidem sunt famuli contra Dominum, subditi contra Regem, prophani contra sacrum. Sacri quidem sunt inuncti Reges; et quod damnabilius est, in suarum Reginarum conspectu tantum et tam abominabile facinus perpetrare. Quis abunde posset tam horribilem casum dignis pro materia verbis prosequi, et quantum admissi requirit atrocitas indignari? Effusus est Regius sanguis in Reginarum aspectu: rupta Principum reverentia, sublata securitas, comminutum sacratissimum illud corpus, totque vulneribus laceratum. Ereptum tot de Regnis caput, et qui paulo ante inter cunctos Christianitatis Principes in tanta gloria, totque Regnorum sceptris excelsissimus eminebat; heu dolor, heu pudor, truculentis proditoribus pene victima jacuit, et nunc intrusus carcere, quasi bello captus, vel capitalis reus criminis detinetur. Heu fortuna, viris invida fortibus, ut tragicus ait. Hoccine latuisse decet tanti sceleris patratoribus. An ita frigida fides populis, sublatusque proceribus juribus, quod tam detestabile facinus non inveniat ultionem? Sed tempus est medicine, quam querele; ut Severinus noster inquit. Omittamus lacrimas. Mulierum

est, non virorum adversa deflere; et nunc sermonem ad vos viros fortissimos convertamus. Que sit rebus fortuna, videtis. Nunc opus est altissimo mentis vigore, et illa animi magnitudine, quam olim tot dubiis casibus ostendistis; nunc opus est illa fidei integritate, que dominis debetur a servis, Regibus a subditis, et inter adversa laborantibus ab amicis. Vulneratus, diminutus et offensus est Rex vester, Dominus vester et benefactor vester, sed Dei gratia vivus. Captus est, sed a proditoribus, sed a paucis. Non putetis in hoc Serenissimas consensisse Reginas, sed mulieres oportet proditorum audacie cedere; et quos cogere non possunt ad humanitatem, modis placidis inclinare; vulnera, credite nobis, percussorum sunt, proditorum carcer; vite vero conservatio Reginarum. Cepistis laudabiliter; sed nichil est, nisi tam fortiter insistitur, quod Rex vester de carceribus liberetur. Vobis nihil, illo triste recepto. Nam quia cedentes licet periculis non fugistis, quia licet pauci, tamen adhuc castra tenetis, quia Regem vestrum verbis magnificis repetistis, videntes titubantes adversarios, faventes populos, consurgentes in ultionem proceres, et ut hinc inter mala leti percepimus, cuncta bene disponi. Si paulo remissius agetis, omnia mutabuntur; Regem simul amittetis et Regnum. Quis novit, an Deus ista permiserit, ut fides apparet vestra? ut cum eternitate memoria vestri nominis conservetur? ut addiscat Rex vester cautius vivere, et oppressis proditoribus, possit securius imperare. Concipite dignam spem, et cum detur vobis gloria fidelis servitii, si bene succedat; sin autem adverse, pulcherrime mortis occasio. Nolite jam cepta relinquere. Vobis etenim cedentibus cuncta, que nunc favent, in contrarium convertentur. Quos nunc presentia vestra, tum admiratione virtutis movet, tum pudore concitat, tum pudore deterret; si discedentes Regem dimittitis carceratum, videbitis omnino depescere, et virtutem atque honestatem, que solum Italicorum est, negligentes suis rebus consulent, suisque virtutibus providebunt. Vos Regem vestrum non ad Corone gloriam, sed ad carceris ignominiam; non ad sceptri decus, sed ad mortis dedecus dicemini sociasse. Nos autem, amici karissimi, ut periclitantis Regis incolumitati pro viribus consulamus, nostros confestim mittimus Oratores, qui iuxta vestra

consilia, liberationem et statum Majestatis Regie prosequantur. Et jam Reginis scripsimus in forma, quam mittimus interclusam. Et si quid aliud videtis nos in eius favorem posse proficere, nos id totum libenter acturos non tedeat informare. Data Florentie die XVII. Martii VIIII. indictionis MCCCLXXXV.

Az ügydarab hátlapján : Scrivono esse una lettera al Duca di Calabria e alla Regina di Nápoli.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XX. kötegében 163. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

340.

Magyarország főurainak a florenczi köztársaság. 1386.

Baronibus.

Contremuerunt, vir fidelissime et Magnifice Domine, contremuerunt viscera nostra etc. quod tam detestabile facinus non inveniat ultionem. Sed inveniet, ut putamus, nec patietur Vestra Nobilitas miserandum cruorem Regis sui; domini sui, et benefactoris sui, cuius Maiestati solenne prestitit obedientie sacramentum, impune de proditorum manibus effluxisse. Jam enim, sicut leti post tanta mala percepimus, vos in arma, cum omni qua valetis potentia preparastis. Jam deplorato tam infelici casu vestri Regis palam indignantibus verbis, hoc immane facinus damnavistis. Jam hinc usque sentimus populos conqueri, proceres indignari, Prelatos autem tantam iniquitatem, tantumque proditionis ordinem abhorrere. Sed cogitate nostram Italiam tanta vestri Regis infelicitate commotam; putate totum orbem terrarum, cunctos populos, omnes Principes atque Reges, qualem hec habitura sint exitum expectare. Cuncti dicunt : »Nunc videbitur Hungarie fides«. Nunc quanta sit illius Regni Proceribus honesti cura, quantaque virtus animi, qualis et quantus vigor, sperant in huius incepti successibus declarari. Scimus, omnes, si velitis Regem vestrum, quem Dei digitus inter gladios et efferas proditorum manus maximo miraculo conservavit in vita, facile posse de indigno carcere proditorumque potentia liberare. Potestis plane si ve-

litis, debetis etiam si nolitis. Quod si iniuriatur ille, qui non propulsat ab alio si potest iniuriam; quantam et qualem iniusticie maculam contrahetis, si Regem vestrum, quem protegere vestris corporibus debeatis, relinquitis in manibus proditorum? Hactenus hec paucorum culpa, paucorum infamia. Sed si Regi non succuritis, si Dominum vestrum in tanta acerbitate fortune relinquitis indefensum, jam omnes eritis culpabiles, pares eritis percussoribus ipsis in fama : ut jam non pauci dicantur, sed totum Regnum in benigni et naturalis sui Regis exicium consensisse. Duplex est in hac societate mortalium hominum vita; una qua in carne vivimus, anima comite dum spiramus. Altera est qua vivi, quave mortui in optime fame preconio celebramur. Illa prior brevis tempore. Quid enim sunt dies hominis, et brevissima notione? Paucissimis enim, illis solis videlicet, qui nos vident, exploratum est, quod in tali spiritu perfruamur. Vita vero fame latissime patet. Per universum enim orbem, sive bona, sive mala sit, in sermonibus hominum circumfertur, et post nos, etsi non eterna, saltem remanet diuturna. Quamobrem cum multa pro vita nostri corporis faciamus, que brevissima quidem et arcta est; quid conari debemus pro vita fame, que per universum effunditur, et demum per tot tempora procelatur?

Si Regem vestrum defenditis ut debetis, fame vestre perpetuo mansure consulitis, et totam Hungarie nationem turpis infamie macula liberatis. Sancitis Regni vestri thronum, et toti mundo de vobis vere virtutis exemplum, et eximie probitatis specimen exhibetis. Nec vos moveat reverentia Reginarum. Nefas est enim credere, quod tantum potuerint facinus consentire. Nec jam Rex vester viveret, si forsan ab ipsis tanti mali consilium processisset. Ergo agite laudabiliter ut cepistis, eripite Regem a carcere, vitam eius de proditorum manibus liberate. Mementote, quod ipsum ab Italie sedibus vestris litteris, vestris sigillis, vestrisque legationibus ascivistis : ut si, quod horrendum est credere, ipsum in tanta miseria relinquetis; dicendum ab omnibus sit, vos ipsum non ad sceptrum, sed ad ergastulum, non ad Regii Culminis gloriam, sed ad infelicis vite miseriam evocasse. Nos autem, tamquam Sue Majestatis devotissimi servitores et filii, qui si

longa terrarum spatia non obstarent, ad eius liberationem cum omni nostra potentia veniremus, Nobilitatem Vestram affectuose requirimus et rogamus, quatenus laudabile ceptum liberationis Regie non linquatis. Ite feliciter, ite comite Deo, duceque iustitia, Regem vestrum de carceribus erutum, et ad tam detestabile proditionis facinus ulciscendum. Data Florentie die XVIII. Martij VIIII. indictionis MCCCLXXXV.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XX. köt. 169. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

341.

Hedvig lengyel királyné megerősiti Lemberg városnak régi jogait és privilegiumait. 1386.

In nomine Domini Amen. Decet quorumlibet Principum legittimas actiones, presertim perpetuas, scripturarum memorie commendare, ne per obliuionem possint aliqualiter in nichilum redigi et reduci. Igitur Nos Heduigis Dei gracia Regina Polonie, Lithuanieque Princeps Suprema et Heres Russie ad universorum noticiam tam presencium quam ficturorum volumus deuenire, quod considerata fidelitatis constancia, ac diligencius inspectis fidelibus seruicijs, que circumspecti viri Consules, totaque Communitas Civitatis nostre Lamburgensis progenitoribus nostris, et nobis exhibuerunt, ac imposterum exhibere, dante Domino, sunt paraty, cupientesque de benignitate nostra ipsos prosequi gracia speciali, omnia et singula ipsorum jura, libertates, privilegia, que tempore Serenissimorum Principum dominorum Cazimiri avi, nec non Ludovici genitoris Ungarie et Polonie etc. Regum, dilectorum nostrorum habuerunt, confirmamus, ratificamus et tenore presencium approbamus, in omnibus punctis et articulis perpetuo valitura; adjungentes, quod nulli hominum in Civitate vel ante Civitatem Lemburgensem predictam nulla omnino violencia, per quempiam quoquomodo debet fieri vel inferri. Volumus etiam, ut Civitas nostra Lemburgensis predicta in suis metis et limitibus, prout in literis et privilegijs ipsius plenius conscriptum continetur, inconcusse debeat permanere. Et si ali-

quid predicte Ciuitati aut civibus violenter abstractum existat, seu ablatum illicite, restitui volumus, que tamen in nostris manibus retinemus. Preterea volumus, ut omnia et singula thelonea et tributa post mortem Serenissimi Principis domini Kazimiri pie memorie, olim Regis Polonie, avi nostri carissimi, indebite et minus juste per quempiam statuta, omnino et totaliter deponantur. Statuimus insuper, quod deposicio salis et omnium mercanciarum in Civitate nostra Lemburgensi prenotata, fore debet et permanere, nec non per omnes et singulos mercatores et homines ab undecunque venientes, cum eisdem non alibi, nisi in Civitate nostra perpetuis temporibus inviolabiliter teneri et observari, veluti fuit temporibus ab antiquis tentum et seruatum; nec etiam aliquis eorundem mercatorum inconsuetas et indirectas vias et transitus, uel audeat pertransire, aut depositum facere eorumdem, preterquam in dicte Ciuitatis deposito generali easdem deponat. Promittentes tenore presencium mediante, omnes et singulos Ruthenos, Armenos, Judeos, Saracenos, et quemlibet eorum, in suis iuribus conservare. In quorum omnium premissorum euidens testimonium presentes litteras scribi fecimus, nostrique appensione sigilli communiri. Actum Lemburge feria proxima tercia post dominicam Reminiscere anno Domini millesimo trecentesimo, octogerimo sexto. Datum per manus venerabilis Kyeczonis Prepositi Sancte Marie in Civitate Cracoviensi, et Cancellarij Aule nostre.

(Lengyelország u. n. metricájából, az országos varsói levéltárban.)

342.

Tengeri jogkérdés velenczei és trau-i polgárok közt. 1386.

Anno MCCCLXXXVI. die XXII. Marcii, (Quoad mercationes cochae Arduynae Franciscus Cornario, Michael Mari petro et Nicolaus Superantio ad partes Sclauoniae eunt.) Insuper quia ante applicacionem dictorum nobilium ad partes Sclauonie quidam nobilis de Tragurio mutuauit patrono dicte coche centum ducatos de hinc per cambium pro aliquibus expensis oportunis, qui patronus misit ad soluendum dictos cen-

tum ducatos de hinc per cambium; sed quia non apparent expense, in quibus dicta pecunia fuit expensata: ordinetur, quod participes dicte nauis debeant soluere dictos ducatos centum; et postea in reditu dicti patroni videbuntur raciones sue, et exigentur dicti denarii ab illis, quibus de Jure spectabit solvere. stb.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XL. köt. 43. l.)

343.

A velenczei köztársaságnak Margit siciliai királyné. 1386.

Margarita Dei gracia Regina Hungarie, Jerusalem et Sicilie.

Eminens et Magnifici viri, amici carissimi. Percepimus nouiter, quod nonnulli equi Serenissimi Domini, viri nostri, ad vestras manus casualiter peruenerint; nosque pro illorum habicione Januarium Primicerium de Neapoli, familiarem et fidelem nostrum dilectum presencialiter destinamus. Idcirco Eminenciam et Magnificenciam Vestram affectuose precamur, quatenus prefatos equos dicti Domini, viri nostri, qui ad manus vestras, ut predicitur, peruenerunt, velitis dicto Januario nostri parte celeriter assignare. Date in Castro Owi prope Neapolim sub annulo nostro secreto die VIIII. Aprilis none indictionis.

Kívűl: Eminenti et Magnificis viris, domino Antonio Venerio Duci, et Consilio Civitatis Veneciarum, amicis nostris carissimis.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VIII. köt. 258. lap.)

344.

A velenczei köztársaság meghatalmazottat küld Mária magyar királynéhoz. 1386.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXXX. sexto, indiccione nona die Martis XXVI.

mensis Junij, Excelsus et Illustris Dominus dominus Anthonius Venerio Dei gracia Dux Veneciarum unacum suis Consilijs ad hec et alia specialiter deputatis, ad sonum campane et vocem preconiam congregatis, et ipsa Consilia cum ipso domino Duce unanimiter et concorditer nemine discrepante, pro se et successoribus suis, et nomine et vice Communis Veneciarum, omnibus modis, juribus, formis et causis quibus melius potuerunt, fecerunt constituerunt creaverunt et ordinaverunt suum et dicti Communis Veneciarum Sindicum, actorem, defensorem, procuratorem legitimum et negociorum gestorem et Nuncium specialem, et quiquid amplius dici potest, Nobilem et sapientem virum dominum Panthaleonem Barbo honorabilem Civem Veneciarum, Ambaxadorem suum ad Serenissimas Regiam et Reginalem Majestates Hungarie absentem tanquam presentem in omnibus suis et Comunis Veneciarum causis, litibus, controversijs et querelis civilibus et criminalibus presentibus et futuris, specialiter ad tractandum, iniendum, faciendum et firmandum ligam, unionem, confederacionem cum Serenissimis et Excellentissimis dominabus Rege et Regina Hungarie, Polonie etc. et inter Regias et Reginalibus Majestatis (igy) earum seu cum deputatis et deputandis ab ipsis Majestatibus sub quibuscunque pactis modis formis terminis condicionibus articulis promissionibus et obligacionibus, que dicto eorum Sindico et procuratori videbuntur, et ad obligandum bona Communis Veneciarum pro observacione eorum, que duxerit promittenda stb. stb.

(A Syndicatusok könyvéből I. köt. 158. l., a velenczei nagy levéltárban.)

345.

II. vagy kis Károly magyar és siciliai királynak pénzei florenczi kalmárok kezelése alatt. 1386.

In Dei Nomine Amen. Anno ab eius Incarnatione MCCCLXXXVI. indictione VIIII. die VI. Junij etc. Certum esse dicitur, quod de anno Dominice Incarnationis MCCCLXXX. indictione VIIII. die XVII. mensis Februarii Illustrissima et Serenissima Domina domina Margarita, Dei

gratia Ungarie, Jerusalem et Sicilie Regina etc. Vicaria Generalis Illustrissimi et Serenissimi Principis domini Karoli Dei gratia Ungarie, Jerusalem et Sicilie Regis etc. reverendissimi viri sui, voluit, et dictum dominum Regem iam diu voluisse asseruit, dari per Commune Florentie seu alium vel alios eius nomine ex quadam summa florenorum auri XXXVIII milia debita dicto domino Regi per dictum Commune vigore codicilli et ultime voluntatis olim Illustris Domine domine Agnetis filie olim clare memorie domini Karoli Ducis Duratii, Imperatricis Constantineapolis, ut in instrumento inde confecto fit mentio, Johanni de Portinarijs recipienti pro se et sotiis suis Bartolomeo Lorini, Johanni Giani, Bonacurso Berardi, Michaeli Francisci et Dominico Cini civibus et mercatoribus Florentinis, et alii, et seu aliis declarandis et nominandis Florentinis per dominum Johannem de Ricciis, Guidonem domini Tommasii, et Franciscum de Ardinghellis cives Florentinos, florenos tria milia ducentos auri recti ponderis et conii Florentini pro satisfactione pannorum et aliarum mercantiarum et seu rerum eis olim ablatarum per stipendiarios et seu gentes dicti domini Regis, et quod dicta domina Regina ut Vicaria predicta, cum consensu et deliberatione sibi assistentis Consilii recognovit et acceptavit quasdam solutiones florenorum auri XXIIII^{M} VIIII^{C} LXXXIII libre I solidorum XVI denariorum II factas per dictum Commune, quibus et prout in dicto instrumento inde confecto fit mentio, et computavit et computari voluit dictam summam florenorum auri XXIIII^{M} VIIII^{C} LXXXXIIII libre solidorum XVI denariorum II tamquam vere solutam dicto domino Regi in et de summa et pro satisfactione dicte summe florenorum XXXVIII^{M} auri debite, ut prefertur, dicto domino Regi per dictum Commune vigore dictorum codicillorum, et similiter dictam quantitatem III^{M} II^{C} florenorum auri pro dicto domino Rege solvendam per dictum Commune predictis mercatoribus et aliis nominandis, ut supra, ex nunc, tamquam conversis in commodum et utilitatem dicti domini Regis, liberans etc. Et promisit non petere etc. Et predicta omnia et singula fecit dicta domina Regina dicto nomine, si et in quantum dicti mercatores et alii nominandi, ut premictitur, pro sa-

tisfortione dictorum pannorum et aliarum mecantiarum et seu rerum eis olim ablatarum per stipendiarios et seu gentes dicti domini Regis, a dicto Communi recipiente, et seu alius vel alii pro eis vel aliquo eorum dictam quantitatem florenorum III^{M} II^{C} auri, et seu ipsi mercatores et cives Florentini et alii nominandi, ut predicitur, faciant finem, quietationem, libertationem, absolutinem et pactum de ulterius non petendo dicto domino Regi, et seu alii pro eo recipienti de dicta quantitate Florenorum III^{M} II^{C} auri solemniter per publicum instrumentum roborandum capitulis et solemnitatibus oportunis, conficiendum et rogandum per me Notarium infrascriptum, quod super alium Notarium veniat ad notitiam dicti domini Regis, prout et sicut et quando declarabitur per dictos dominum Johannem Guidonem et Franciscum de Ardinghellis. prout hec et alia plus vel minus, sic vel aliter constare dixerunt publico instrumento inde confecto et rogato per me Johannem Notarium infrascriptum.

Unde hodie hac presenti die VI. mensis Junij supradicta, Ardinghus olim Cursi de Ricciis ut sotius, et vice et nomine dicti Johannis de Portinariis de Florentia, et vice et nomine Bartolomei Lorini de Florentia, pro quibus promisit de rato etc. Johannes Jani suo nomine, Bonacursus Berardi et Michael Francisci cives et mercatores Florentini, et Michael Bartolomei, populi Sancte Felicitatis de Florentia, vice et nomine domine Piere olim Guidonis del Biancholeti, et uxor olim Bartolomei Lapi Buti dicti populi Sancte Felicitatis, tutricis et tutorio nomine Filippi Infantis olim et heredis in solidum domini Cini de Florentia, ut de tutela etc. et vice et nomine dicti Filippi etc. omni modo etc. fecerunt finem, quietationem etc. michi Joanni Notario infrascripto tamquam publice persone presenti et recipienti pro et vice et nomine dicti Domini Regis et eius heredum, nec non vice et nomine dicti Communis Florentie de dicta quantitate florenorum auri III^{M} II^{C} etc. liberantes etc. cassantes etc. Et hec ideo fecerunt dicti Ardinghus, Johannes Giani, Buonaccursus, Michael Francisci, et Michael Bartolomei dictis nominibus et quolibet ipsorum, quod dixerunt et confessi fuerunt dictus Johannes de Portinariis Bartolomeum Lorini, Johannes Giani Bona-

cursum, Michaelem Francisci, et dominam Pieram tutricem predictam habuisse et recepisse etc. a dicto Communi Florentie, et seu alio pro dicto Communi solvente et dante pro dicto domino Rege et eius heredibus dictos florenos III^{M} II^{C} videlicet dicte domine Piere etc. pro satisfactione predicta etc. Quem finem etc. Sub pena etc.

Et postea ad paucos dies Johannes de Portinariis et domina Piera ut tutrix predicta etc. ratificaverunt etc.

(Hiteles másolat az »Atti Publici di Napoli« czimű okmányok VIII. kötegében 42. sz a., a florenczi nagy levéltárban.)

346.

A velenczei kormánytanács István vajda magyarországi főlovász mesternek gályát engedélyez, melyen Jerusalemba utazhassék. 1386.

Anno MCCCLXXXVI. die decimo Julii. Cum Magnificus dominus Stephanus condam Dionisij Voyvode, Magister Agazonum Regalium Hungarie, nepos Magnifici domini Stephani Voyvode Transilvani, scripserit curialiter, rogando nostrum Dominium, quod cum sit dispositus ire ad servicia Dei in Jerusalem; unde rogat, ut placeat nobis sibi concedere, quod possit cum sua pecunia et expensa armare unam galeam, cum qua ire possit; vadit pars, quod respondeatur ei, quod ex singulari benivolentia, quam gessimus et gerimus ad Magnificentiam Suam, et domini Stephani Voyvode patris sui, et suorum, simus parati complacere ei, sicut petit, videlicet quod ob dictam causam possit cum sua pecunia et expensa armare dictam galeam in Venetiis; et concedetur ei per nos corpus galee cum suis corredis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XL. köt. 52. l.)

347.

László oppelni herczeg, egykor Magyarország nádora, később Lajos királynak galicziai kormányzója, Ostrzézow városban advokatiát rendez. 1386.

In nomine Domini Amen. Ad perpetuam rei memoriam. Ladislaus Dei gracia Dux Opuliensis, Welunensis, Cuyauiensis, Dobrinensis etc. notum facimus tenore presencium vniuersis, quod cum de commoditatibus et utilitatibus oppidi Ostrzeschow alias Schiltberg, nec non fidelium nostrorum ciuium in eodem commorancium ubilibet, et potissime, qualiter ipsius oppidi et eius incolarum status pacificus successuris temporibus procuretur, ad quod primum mentem nostram dirigimus, salubriter intendamus, pacem et iusticiam unicuique tam pauperi, quam diviti, in personis et rebus, equa ministracione cupientes firmiter exhiberi; volentes per infrascriptam ordinacionem dicti oppidi nostri condicionem et statum in melius reformare: Primum quidem damus et conferimus eisdem nostris ciuibus presentibus et futuris, Advocaciam seu Judicium dicti opidi Ostrzeschow, cum omnibus penis paruis et magnis de ipsa Advocacia prouenientibus, capitalibus duntaxat penis exceptis, de quibus eisdem ciuibus tercium denarium damus, duobus autem denarijs pro nobis et nostris posteris reservatis. Damus eisdem etiam ciuibus, quod nusquam in uillis tocius Districtus Ostrzeschow possit aliquis sal vendere; sed quod ipsius opidi Consules vendicionem salis in eodem opido habeant ex parte Communitatis. Damus insuper eisdem ciuibus omnes census in dicto opido, eciam de macellis carnium prouenientes, similiter et censum agrorum ville Bartoldisdorff, foris ciuitatem seu dictum opidum situate. Adicientes eciam, quod ipsi cives quelibet eorum debita, que rustici villarum Districtus eiusdem in eodem opido apud ipsos ciues fecerint seu contraxerint, eo jure et modo ab ipsis rusticis exigere et repetere possint, prout aliarum nostrarum Ciuitatum ciues pro similibus eorum debitis facere sunt consweti. Predicti quoque ciues et eorum posteri pro universis solutionibus et censibus viginti tres marcas grossorum usualium

singulis annis et perpetuis temporibus, videlicet medietatem in festo Sancti Martini, et aliam medietatem in festo Sancte Walpurgis, nobis et nostris posteris soluere tenebuntur; et quod de quolibet manso unum plaustrum lignorum pro nostra Curia, dum et quociens ibidem fuerimus constituti, ducere sint asstricti. Harum, quibus sigillum nostrum appensum est, testimonio literarum. Datum Opol, anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo sexto proxima feria sexta aute festum Sancte Marie Magdalene. Presentibus nostris fidelibus dominis: Henczkone Swantopolk de Landisberg, Georgio de Swus Holsteinensi, Wictore de Merzicz Opuliensi Capitaneis, Bernhardo Werusch Ostreschouiensi, Ilankone de Vschicz Welunensi, Niczkone Strus Karnoniensi Burgrauijs; et domino Nicolao Ticzconis Canonico Opuliensi, Cancellario nostro, qui presencia habuit in commissis.

(Eredetie bőrhártyán, melyről László herczegnek pecsétje vörös-zöld selyemzsinóron függ, a lengyel országos levéltárban.)

348.

VI. Károly franczia királynak Venczel római és cseh király Magyarország dolgairól. 1386.

Wenceslaus Romanorum et Bohemie Rex Karoli Regi Francie.

Serenissime Princeps et frater carissime! Qualiter post obtentam nuper celitus de quorundam proditorum Illustris N. germani nostri carissimi insania nefanda victoria, fortuna celebris copiis nostris et ejusdem germani nostri processibus, quos Divina semper clementia comitatur, arrisit. Dilectioni Vestre, quam de successuum nostrorum prosperitate letari confidimus, per familiarem vestrum, quem licet invitum ex causis premissis retinuimus usque modo, presentibus nunciamus. Nam dum inter eundem fratrem nostrum ab una, et Serenissimas dominas N. Reginas, proditorum hujusmodi suggestu nefario, precipue N. de N., qui penam proinde sibi debitam Divino judicio jam exolvit, gravis esset dissensionis suborta materia; que nonnisi magnis bellorum sedari conflicti-

bus sperabatur, nosque viribus et armis nostre potentie jam accincti pro reformatione status ejusdem fratris nostri, ejusque assistentia et reductione provisa deliberatione decreverimus vices nostras et arma exercere : ecce aiutore Domino, qui Principum salutem clementi sua bonitate disponit, dirigit et tuetur, predicte partes, signanter Regine et earum pars nostram formidantes potentiam ad manus nostras omnem earum causam ponentes, in nos velut arbitrum et compositorem amicabilem compromiserunt simpliciter et de plano. Nos igitur hujusmodi pretextu inter eas et predictum germanum nostrum omni sedata discordia, eundem germanum nostrum ad possessionem et gubernationem Regnorum et terrarum N. circa medium transacti jam mensis N. magnifice reduximus et potenter. Qui una nobiscum et consortibus nostris valida mentis et corporis sospitate potitur, Altissimo largiente; de vobis hoc ipsum audire quam crebrius sinceris desideriis affectantes.

(XV. századi Wittingaui kézirati Codexből a herczeg Schwarzenberg család levéltárában.)

349.

Raguza dalmatiai városnak kereskedése Sicilia szigetén. 1386.

Amici carissimi. Vestris litteris respondemus, quod licet requisitio vestra de immunitate et exemptione dohane, quam omnibus vestris civibus in Civitatibus nobilibus Messane et Syragusie concedi per nos petitis, gratiose offerentes vos consimilem exemptionem Messanensibus et Syragusanis in vestra Ciuitate Ragusii observare in dampnum Reginalis hujus Regni Curie revertatur. Nichilominus cupientes vobis in omnibus nobis possibilibus complacere, vobis exemptionem predictam de cetero duximus de speciali gratia concedendam; mandandoque scribimus Officialibus nostris in prefatis Massanie et Syragusie Ciuitatibus constitutis, quatenus civibus vestris deinceps debeant exemptionem et immunitatem predictas ef-

fectualiter observare. Scriptum in castro nostro Jacii die VI. Augusti none indictionis.

Artalis de Alagona Comes Mistrecte et Regni Sicilie Magister Justitiarius, et una in sociis Vicarius Generalis.

Kívül : Nobilibus et Egregiis Rectori et Judicibus, Consilio et Communi Ciuitatis Ragusii, amicis nostris carissimis.

Recepta die XVII. Septembris a domino Artale.

(Eredetie a bécsi császári titkos levéltárban.)

— — —

350.

Messina siciliai város községének Raguza város hatóságа a viszonos vámszabadság tárgyában. 1386.

Viri egregii et amici carissimi. Post votivam salutem vestre amicitie litteras nobis presentatas per quemdam nobilem Volcum de Babalio grato accepimus animo, continentes, per Magnificum et potentem Dominum dominum Artalem de Alagona Regium Sicilie Vicarium Generalem noviter fuisse provisum, quod universi et singuli Ragusei in juribus doanarum pro omnibus mercimoniis seu mercadantiis per eosdem Raguseos in Ciuitate Messane tam per mare quam per terram a primo die Septembris proxime futuro X. indictionis sint et esse debeant liberi et immunes; dummodo omnes vestri Messanenses simili modo et forma sint et esse debeant liberi et exempti in Ciuitate Ragusii. De qua quidem gratia nobis scripsit vir nobilis Perellus de Peruitali de Messana Reginalis Secretarius et Magister Procurator dicte Ciuitatis Messane; nos requirens, ut — — — et dicto Secreto de nostra intentione scribere deberemus super hujusmodi causa. Nos igitur gratis vestris requisitionibus annuentes, in vestris contenta litteris acceptamus, approbamus et confirmamus; sicque volumus per nostros officiales inviolabiliter observari. Quibus jam expresse mandavimus, quod omnes Messanenses et singulos in juribus doanarum tractare debeant tamquam liberos et immunes in juribus

doanarum predictis; sicque placeat vestris mandare officialibus, ut omnes et singulos Raguseos versavice in similibus debeant pertractare. Scribimus nec non in simili forma Secreto juxta vestrarum continentiam litterarum, et ad predictorum cautelam presentes litteras scribi jussimus atque registrari, et nostri Communis sigilli soliti desuper communiri impressione notata. Datum Ragusii die XVIII. mensis Septembris indictione nona. De harum autem receptione per vos placeat nos vestris litteris reddere certiores.

Rector Consilium et Commune Ciuitatis Ragusiensis ad cuncta vobis grata parati.

Kívül : Egregiis et circumspectis viris dominis Juratis ac Universitati Nobilis Ciuitatis Massane, amicis et fratribus carissimis.

(Hiteles másolat a bécsi császári titkos levéltárban.)

351.

A velenczei köztársaságnak Zsigmond brandenburgi őrgróf és Magyarország kapitánya. 1386.

Sigismundus ad Ducale Dominium.

Inclite Magnifice Princeps nobis singulariter diligende. Magnificentie Vestre, nec non Communitati Civitatis nuper de mense Junii transacto, ut arbitramur, recolimus Serenissimas dominas Reginas, dum Bude fuissent constitute, per earum litteras vobis significasse, quatenus septem millia florenorum, que jam de mense Augusti proxime retroacto ad sopiendum guerrarum disturbia, et ex conventione pacis prefatis dominabus Reginis solvere tenebamini, Mauritio Pauli de Florentia mercatori Bndensi, qui pro ipsis septem mille florenis eisdem dominabus Reginis omnio satisfecit, aut ibidem commoranti eius nomine recipienti, prout in litteris Regalibus vobis extitit declaratum, solvere deberetis. Et quia audivimus, quod hic sunt multi, qui diversis modis sibi dictos septem mille florenos a vobis solvi procurant, Excellentiam Vestram et Communitatem precamur et hortamur, ut dictos florenos nemini per-

solvere debeatis, quousque sepedicte domine Regine liberentur, ac utrisque tam dominarum Reginarum quam nostris litteris, cui ipsos florenos pagare debueritis, fueritis plenarie informati, gratam nobis complacentiam ostensuri. Datum in Vespremio vigesima secunda die mensis Novembris. LXXXVI.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 278. l.)

352.

A genuai köztársaság a magyar korona nevében Dalmatiát különös védelme alá vevén, ajánlja azt a velenczei kormánynak. 1387.

Dux et Consilium Janue ad Ducem Venetiarum.

Illustris et Magnifice frater charissime.

Longeva charitas, qua Inclita Corona Vngarie semper est prosecutá nostram Januensem Rempublicam, et unde nobis cultus devotionis effloruit; nuper induxit amicabili confidentia Proceres Vngarici Regni et incolas Dalmatinos, suos ad presentiam nostram destinare Legatos, urgentibus ex causis requirentes solitum obsequium nostre Dominationis pro conservatione Dalmatinarum partium sub debita fidelitate premisse Corone seu Regni, nunc, ut Vestra Illustris Fraternitas novit, quodammodo fluctuantis. Nos autem, quibus ad illud Regnum indeficientis devotionis integritas manet, cupientes nostram constantiam dictis Proceribus comprobari, devenimus ad certas compositiones cum dictis Procerum et Dalmatinorum Legatis, ipsa Dalmatia sub amica hujus Communis protectione succepta ad conservationem pretacte fidelitatis, ad tranquillitatem et pausam ejus, et demum ad pacificam gratitudinem non solum cum finitimis, sed remotis. Quapropter Illustrem Vestram Fraternitatem affectuose rogamus, quatenus placeat dictas partes et loca Dalmatie, et Dalmatinos, nostri specialiter intuitu recommissos habere, eosque tractare velut proprios Januenses; quos, licet non expediret, monemus tamen hortamine placido, ut cunctis se propensius Venetis vestris amicissimis nostris reverentes se prebeant, atque gratos, quo

nihil acceptius conferre nobis poterunt, dispositis ad quelibet conformia Magnificis votis vestris. Data Janue MCCCLXXXVII. die XII. Martii.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 293. l.)

353.

Tvartko II. István szerb és bosznia királynak követe Velenczében. 1387.

Anno MCCCLXXXVII. die XXII. Martii. Capta: Quod unus Ambaxator Serenissimi domini Regis Raxie possit levari super galeis Culfi, et duci ac deponi Braziam cum eius famulis et arnesiis levibus.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XL. kötetéből 83. l.)

354.

Mária és Erzsébet magyar királynéknak követe Velenczében. 1387.

Anno MCCCLXXXVII. die XXII. Martii. Capta: Quod possit levari et conduci ad partes Sclavonie ser Johannes de Ymola, Nuncius Serenissimarum dominarum Reginarum Hungarie.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XL. kötetéből 84. l.)

355.

Zsigmond brandenburgi őrgróf és Magyarország kapitánya az országos rendek részének gyülésén magyar királynak választatik. 1387.

In nomine Domine Amen. Nos Prelati, Barones et Regni Hungarie Nobiles, quorum sigilla inferius sunt appensa, notum facimus tenore presentium quibus expedit universis, quod cum Serenissimus Princeps et Dominus, dominus Sigis-

mundus Marchio Brandeburgensis, Sacri Romani Imperii Archicamerarius, Illustrissime Principis et Domine domine Marie Regine Hungarie consors preclarus, ejusdem Regni Antecessor et Capitaneus, bonum statum Sacre Corone, et regnicolarum utilitatem sinceris affectibus contemplando, in augmentum Culminis predicte Corone, de presenti in suis terminis non modicum distracte, ex altitudine Divini consilii magnifice intendere velit, nobisque articulos infrasriptos in suis punctis, clausulis et articulis, quod eorum mentem et verba diligenter et inviolabiliter de certa sua scientia observare promiserit, eosque et eorum quemlibet effectui sollicite mancipare. Et primo : Quod omnes et singulos Prelatos, Barones Proceres, Nobiles ac alterius cujuscunque status homines, nullo dempto, in omnibus eorum libertatibus et bonis consuetudinibus, quibus a tempore Sanctorum Regum vel aliorum successorum eorumdem freti sunt et gavisi, salvos conservabit et tenebit indemnes novitate absque omni. Item promisit et expresse consensit, quod antiqui Consiliarii sui esse debent Prelati, Barones eorumque successores et Baronum heredes, quos alias Ungarie Reges pro eorum Consiliariis habuerunt, et dumtaxat Ungaricam et non alias nationes in suis Consiliis et pro Consiliariis tenere, temporibus quoad vixerit affuturis. Item quod nec hominibus spiritualibus, utpote viris ecclesiasticis, seu etiam personis secularibus quibuscunque alienis et extraneis nationis (igy) aliquas dignitates, beneficia vel officia possessiones vel aliqua jura immobilia proprie donationis titulo dare valeat atque possit, nec pro spiritualibus obtinendis in Regno ipso Domino nostro Pape Summo Pontifici pro alienigenis supplicare, sed solummodo Ungarie natione Prelaturas, dignitates, honores et officialatus, quos in Regno ipso pro tempore vacare contigerit, dare debeat et conferre teneatur. Item quod omnes conceptus et rancores, quod hactenus contra et adversus Prelatos, Barones et Nobiles, ac alterius cujuscunque status et conditionis homines qualitercunque gesserit, de intimis sui cordis penitus evellet, eisdemque indulget, predictos rancores et odia per omnia relaxando, et presertim his, qui sue persone, dominabusque Reginis, seu consorti et matri sue precaris, fidelitatem observant et confirma-

bunt in futurum. Item quod omnes et singulas donationes in Regno Hungarie quibuscunque personis hactenus per literas suas in quibuscunque bonis et possessionibus factas, simul cum literis suis exinde confectis cassabit, annullabit et irritum perpetue revocabit. Item quod nec amore, favore, consilio aut quacunque inductione mala, personam vel personas, illam vel illas, quam vel quas in presentem ligam recipit et recipiet, eas aut aliquam earum relinquet seu deseret, nec eis seu alicui earum injuriose nocumenta faciet, seu de ipsa liga aliquam vel aliquas excludet, nisi omnes unanimiter talem vel tales rationabiliter duxerit (így) excludendum; imo ipsum et ipsas in presenti sua liga existentem vel existentes ab omnibus et contra omnes protegere debeat et defensare toto suo posse. Item quod si premissa vel infrascripta omnia in parte vel in toto dictus dominus Marchio non observabit, et in his persistere nollet: extunc nos Prelati, Barones et alii, quorum sigilla presentibus sunt appensa, simul vel divisim, absque omni nota infidelitatis, ipsum dominum Marchionem facere non admittemus, sed ad observandum premissa viis quibus possumus ipsum tenebimus. Item quod omnem vel omnes ligam vel ligas, quam et quas fortassis contra Sacram Coronam dicti Regni Ungarie, aut contra aliquos regnicolas, vel contra prefatum Regnum Ungarie propter suas incumbentes necessitates et expeditiones cum aliquo vel aliquibus hujus Regni Ungariae regnicolis iniisset et fecisset de voluntate ipsorum colligatorum, ipsum et ipsas frivolas fore vult et nullius existere firmitatis, simul cum suis literis exinde confectis, prorsus irritum revocando, presentium testimonio mediante. Item quod omnes captivos per ipsum dominum Marchionem, et alios quoscunque Boemos (így) tempore sue pristine guerre captivos, et etiam expost, quocunque tempore et qualitercunque, per eundem vel eosdem, per formam pacti vel pactionis, liberatos vel nondum liberatos, absque omni pactione et pecuniali solutione liberabit, eosque et quemlibet eorum liberum et liberos faciet remitti; dempto tamen et excepto signanter Thomlino de Sancto Georgio, ad cujus etiam liberationem erga fratres suos, Marchiones Moraviae, partes suas diligenti cura intendit ponere adjutrices, aliaque

agere, facere et complere adjutore Deo, que felicem statum ipsius Corone respiciunt, et ejus culmen propensius augent.

Idcirco nos Prelati, Barones et Nobiles supradicti, ejusdem domini Marchionis Capitanei et Antecessoris nostri. — — — — — — — — — —

(XV. századi kézirati codexből, a herczeg Schwarzenbergi családnak Wittingaui levéltárában. Zsigmond koronáztatására nézve l. Fejér Cod. Dipl X. köt. I. r. 327. l.

356.

Visconti Galeazzo milanói fejedelemnek követe Tvartko II. István szerb és magyar királynál. 1387.

Anno MCCCLXXXVII. die XXX. Martii. Capta: Quod quidam nuncius Magnifici domini Comitis Virtutum, nomine Guidotus Plato, qui mittitur ad partes Rasie, possit levari super galeis culfi cum famulis et arnesiis levibus, et conduci ad partes Sclavonie in illo loco, qui videbitur, non sinistrando armatam.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv LX. kötetéből 86. l.)

357.

De Monacis Lőrincz velenczei titkárnak jelentése a velenczei nagytanács előtt Barbo Pantaleon a köztársaságnak Magyarországban követe nevében. 1387.

Relatio Laurentii de Monacis Notarii Curie pro parte nobilis viri ser Pantaleonis Barbo Ambaxiatoris ad partes Hungarie, in quantum tangit et spectat ad facta unionis et subsidii postulati.

Serenissimus dominus Sigismundus Rex Hungarie dixit in Pasce in viridario suo domino Ambaxatori presentibus Baronibus et Prelatis: »Domine Ambaxiator, nos sumus contenti et requirimus habere ligam cum domino Duce et Commune Venetiarum, sicut voluerunt et requisiverunt mater nostra et uxor nostra; et ideo rogamus vos, ut mittatis Notarium Dominationis Venetias propter hoc, et vos remaneatis«.

Et postea dixit idem dominus Rex: »Domine Cardinalis Quinque-Ecclesiensis. Nescio bene loqui litteraliter, dicatis vos«. Tunc dominus Cardinalis dixit domino Ambaxatori: »Domine Ambaxiator, vos bene audivistis dominum Regem, qui dixit, quod est contentus, et requirit habere ligam cum Dominatione Vestra, sicut voluit et requisivit Serenissima Mater sua ac Serenissima Domina sua; et quod remaneatis et mittatis Cancellarium Venetias«. Respondit dominus Ambaxator domino Regi: »Serenissime domine Rex, Serenissime domine, mater et uxor vestra requisiverunt Dominationem meam de liga in mari«. Dominus Stephanus Voyvodu respondit: »Ita, ita, de liga in mari dicimus«. Tunc dominus Ambaxiator dixit, quod quia missus fuerat ad requisitionem Serenissimarum dominarum Reginarum tempore, quo regnabant, Syndicatus dicebat in personam earum, sed iuxta requisitionem ipsius domini Regis mitteret Notarium Venetias ad Dominationem, et ipse remaneret. Dominus Rex statim post verba illa predicta traxit in partem dominum Ambaxiatorem et dominum Stephanum Voyvodam Magnum Comitem, et dixit: »Comes Johannes de Vegla scripsit nobis, quod per ea, que senserat, sperabat dominam matrem nostram adhuc vivere, sed quod de certo uxor nostra vivebat; et quod si mitteramus sibi gentem, et haberet subsidium a mari, recuperaret ipsas. Et ideo rogo vos, ut committatis Notario, quod roget Dominationem, ut dignetur sibi prebere subsidium a mari; et ego mittam sibi gentes in terra, ita quod uno eodem tempore concurrat subsidium a terra et a mari«. Dominus Ambaxiator respondit: »Serenissime Rex, si placebit Deo et Dominationi mee, quod hec liga in mari fiat, postea Serenitas Vestra habebit a Dominatione illa ea, que erunt vobis grata et placibilia secuncum formam lige«. Dominus Stephanus Magnus Comes respondit: »Dominus Ambaxiator dicit verum; melius est, quod primo fiat liga, si placet Dominationi«.

Per ea, que dominus Ambaxiator comprehendere potuit ex verbis domini Regis et Baronum, ipsi volunt, quod liga extendatur contra terras Dalmatie a mari, rebelles et inobedientes Regno.

Die nono Aprilis in Regia capella dum missa celebra-

retur, dominus Rex dixit domino Ambaxiatori soli : »Domine Ambaxiator, hoc vobis sit secretum. Ego cum Baronibus et Prelatis meis deliberavi, per duas hebdomadas ultra festum Pentecostem esse in campo contra Johannem Banum et Priorem rebelles nostros, et destruere eos iuxta posse nostrum, et ire usque ad locum, ubi sunt domine mater et uxor nostra. Et quia dubitamus, quod rebelles ipsas transportabunt per mare ad alias partes; rogamus vos quantum possumus, ut per Notarium rogatis Dominationem, quatenus sibi placeat habere galeas in mari ad custodiam, ne transportentur; quia hoc esset summe necessarium fieri pro presenti, nam si expectaretur primo ligam firmari, nimium temporis laberetur«. Dominus Ambaxiator respondit, quod diceret Notario, ut referet ipsa Dominationi.

In fine dominus Stephanus Voyvoda et dominus Episcopus Agriensis dixerunt domino Ambaxiatori, quod ille miles Ambaxiator, qui veniebat ex parte domini Regis ad Ducale Dominium, habebat tantum tria in mandatis, videlicet : annuntiandi Coronationem, faciendi renovari iuramentum pacis, et pro facto septem millium florenorum, et quod factum lige et galearum permittebant, quod dominas Ambaxiator Venetiarum exponi faceret per Notarium.

(A »Copia de Commemoriali« czimű államkönyv VIII. kötetéből 297. l.

358.

A velenczei köztársaságnak a genuai köztársaság. 1387.

Dux et Commune Janue ad Ducem Venetiarum.

Illustris et Magnifice frater charissime. Benignum Illustris Vestre Fraternitatis responsum, quod providus vir ser Boniohannes de Brissariis sub vestris credentionalibus litteris nuper nobis oretenus reddidit ad ea, que Magnitudini Vestre pridem scripsimus de suscepta in nostra protectione Dalmatia; nec non alia quedam pro parte ejusdem Magnificentie nobis per dictum ser Boniohannem exposita, intelleximus grata valde. Cognoscentes Eandem Magnitudinem Vestram, sicut existimatio nostra tenebat, jam certum dispositam esse ami-

cabiliter tractare amicos hujus Communis, et insitam nobis cordi vobiscum, charitatem nobiscum reciprocam confovere. Super quibus expositis Fraterna parte Vestra nobis respondimus, aliãque et insuper dicto ser Boniohanni adjecimus parte nostra, que hincinde concernunt amoream pacem, fructiferam tranquillitatem et incrementa Statuum utrorumque, prout sepedictus Boniohannes nostre sincere dispositionis edoctus recitare poterit Magnitudini Vestre. Cui paratos offerimus nos in vota. Data Janue MCCCLXXXVII. die XV. Aprilis.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 294. l.)

359.

László siciliai király, atyja II. Károly magyar és siciliai király halála után, Chieti városnak megirja, hogy a magyar királyi méltóságot felvette. 1387.

Ladislaus etc. nobilibus viris hominibus Consilii Vniuersitatis Ciuitatis Theatine fidelibus nostris dilectis. Incerti hactenus inter spem metumque dubij manseramus, quidnam rei foret de vita an interitu diue memorie domini K(aroli) Tercij Illustrissimi Hungarie, Jerusalem et Sicilie Regis, nostri incliti genitoris huc usque; et quoniam tot dissone fuere sentencie, et nouorum tanta diuersitas, id fidelitati vestre distulimus intimare. Nunc autem de eius dampnosa morte per Reuerendum in Christo Patrem dominum P(aulum) Episcopum Zagrabiensem, et alios Magnates Legatosque Regni Hungarie nostros fideles, pridie nostram presenciam adeuntes facti, prohdolor, cerciores, eiusdem mortem nobis multum defletam, deflendamque vobis, olim suis, nuncque nostris fidelibus, quorum corda non veremur, equali propterea consternati merore, magna cum cordis amaritudine nunciamus. Sed ut in tanti iactura Principis et lugubris casus euentu solamen aliquod capiatis; scitote, quod eius necem satis grandem, ultro tamen pro sceleris grauitate pusilla celere nutu Dei non passi diu tam nefandum et atrox inultum manere facinus et inpunitum. Nam pene contos (igy »cunctos« helyett) proditores et sceleste

faccionis conscios aut gladius trucidauit, aut noster carcer habet inclusos, vel esules lares et fines patrios percussi formidine reliquerunt. Ad cuius excelsi Throni Regalis fastigium successores K., impares ac ad sublimes Regie paterneque dignitatis apices legitima nobis successione delate nos assumptos presentibus declaramus. Nos enim suscepta Regnorum sceptra, et fidelium gubernacula subditorum, quamquam tanto oneri humeri nostri imbecilles existant : Deo tamen auspice, in cuius benignitate confidimus et speramus, adeo consulte cum justitia et clementia gubernare curabimus, quod exinde tam res publice quam private exoptatam salutem et requiem consequentur. Parati semper et prompti, vobis ut bene meritis ad vberiores retribuciones et gracias, quas vestra fidelitas vendicabit. Datum in Castro Oui sub priuato sigillo nostro die XVIII. Aprilis indictione X.

(Eredetie Chieti déli olasz város levéltárában.)

360.

Zsigmond magyar király Demetert csazmai prépostot és Zántói Jánost küldi követekül Velenczébe, kiknek jelenlétében a velenczei doge és tanácsa a turini békekötést esküvel megerősitsék. 1387.

Nos Sigismundus etc. notum facimus vniuersis, quibus expedit presentes nostras litteras inspecturis, quod nos volentes cum Inclito domino Duce, et Communitate Veneciarum, sinceram habere amiciciam, atque inviolabilem pacem, cujus amatores sumus, alias videlicet anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo primo, die octavo mensis Augusti celebratam inter Serenissimum Principem patrem et Dominum nostrum, dominum Ludovicum olim Regem Hungarie gloriose recordacionis, mediantibus procuratoribus et syndicis suis specialibus ex una ; et Dominum . . . dominum Ducem et Commune Veneciarum, ipsorum similiter procuratoribus et syndicis intervenientibus parte ex altera, nobis a prefato domino Duce, Consilio, et Commune dicte Civitatis Veneciarum ratificari, ut ex forma dicte pacis celebrate cavetur, honorabilem virum dominum Deme-

trium Prepositum Chazmensem, et Egregium militem Johannem filium . . . de Zanto fideles nostros, harum ostensores, quos tenore presencium fecimus, constituimus et ordinavimus procuratores nostros et nuncios speciales ad prefatos dominum Ducem, Consilium et Commune Veneciarum, et Consilium dicte Civitatis, pacis antedicte omnimodam et plenam approbacionem, ratificacionem, laudacionem et emolgacionem, et omnium et singulorum, que in instrumento ipsius pacis seriose et capitulariter continentur; et specialiter ad recepiendum ab ipso domino Duce et ab aliis Consiliariis Communitatis Veneciarum juramentum corporale de hujusmodi pacis observacione, secundnm quod in capitulo dicte pacis continetur, quod incipit: »Et pro majori cautela et stabilimento predictorum dicte partes teneantur ratificare presentem pacem« etc. Dantes eisdem nostris procuratoribus et concedentes vices nostras, ac plenum, liberum et generale mandatum, cum plena, libera et generali administracione in premissis et quolibet eorum, eciamsi aliud magis et expressum et speciale exigerent mandatnm, ratum, et firmum atque acceptum nos habituros promittentes, quicquid ab ipsis procuratoribus nostris circa premissa et quodlibet eorum actum fuerit. Datum Bude in nostro castro Regali die XXIII. mensis Aprilis anno Domini millesimo trecentesimo LXXX.VII.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. köt. 299. l.)

361.

A velenczei köztársaságnak Raguza város községe. 1387.

Serenissime et Excellentissime Domine, debita recommendatione premissa. Benignas litteras ducales Vestre Serenitatis debita recepimus reverentia, effectualiter continentes, nos debere Ducalem Excellentiam reddere nostris responsionis litteris certiorem, an de valore quindecim millium ducatorum auri mercium conducendarum et extrahendarum ac pertractandarum in Civitate Vestra, etiam cum non Venetis per ceteros Dalmatinos et Jadrenses secundum capitulum firmate pacis inter celebris memorie Serenissimum dominum

Ludovicum Hungarie Regem illustrem ex una parte, et recolende memorie Clarissimum et Excellentissimum Dominum dominum Andream Contareno inclitum Venetiarum Ducem et Commune Venetiarum ex altera, ut in ducalibus vestris litteris continetur, aliqua portio nos tangit, et quanta est nostris civibus et mercatoribus limitata; ac etiam, si acceptavimus aut accipere intendimus particulam de predictis nos tangentem etc; ut in eisdem litteris ducalibus seriosius legitur contineri. Quibus reverenter respondemus, quod nunquam scivimus neque scimus, quanta aut quota portio nos contingat, quia nunquam indagavimus nec intendimus indagare, nec etiam solvimus, neque volumus uti favore dicte particule, neque uti intendimus in futurum, ex eo, quod semper temporibus retroactis recepimus et presentibus etiam recipimus gratas et benignas pertractationes a Ducali Vestro Dominio. Verumtamen aliqui ex mercatoribus nostris, nostre intentionis et deliberationis ignari propter eorum absentiam, dicta gratia a principio pacis, licet in minimo usi sunt, qui a nobis digna meritis receperunt. Novissime etiam nobis innotuit Serenitatis Ducalis erga nos sincera dilectio, quam Egregius et Sapiens vir dominus Johannes Barbarico Capitaneus Culphi per suum Admiratum pro parte Ducalis Excellentie se obtulit copiose, favorabiliter et benigne nobis et civibus nostris in quibuscumque opportunis tamquam devotis amicis Dominationis Ducalis, de quo a benignitatis vestre fomite derivato, ad quas valemus, assurgimus gratiarum multiplices actiones, nos eidem ac omnibus vestris civibus ad cuncta nobis possibilia consona votis suis cordis affectu possibiliter offerentes. Data Ragusi die XXIIII. Aprilis, indictione decima.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 295. l.)

362.

A velenczei köztársaságnak Spalato város községe. 1387.

Litteris Illustris Vestri Dominii quo decuit honore inspectis, datis in vestro ducali palatio die quinta decima huius

mensis; quibus inter cetera nos hortamini ad constantiam fidelitatis debite Regno ac Sacro Diademati Ungarie, offerentes vos libero animo preparatos ad omnia, que faciunt pro bono et conservatione status uostri ad honorem semper Diadematis prelibati. Ad que Excellentie Vestre grates reddentes uberrimas, et oblationes vestras amplas et benevolas acceptantes, dicimus nos esse firmi propositi a dicte fidelitatis stipite nec morte nec gladio separari. Pro cuius conservatione illesa videtis, quot quantisque malis pressi sumus et premimur incessanter, quia grave est fidem fallere; offerentes nos versa vice iuxta decentiam quanto altior est statui vestro ad omnia vestra beneplacita, augmenta, commoda et honores, in quantum possumus cum fidelitate et honore Regni et Corone Hungarie predicte. Non attendentes, si quis, ut scribitis, semina aliqua scandali in medio proiecisset, que certe supra petram cadentia radicem in nostris cordibus non fixerunt. Data die ultimo mensis Aprilis, decima indictione.

Rector, Judices et Consilium Spalati.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 298. lev.)

363.

A velenczei köztársaságnak Trau város községe. 1387.

Excelse et illustris Dux et noster voluti Domine singularrissime. Recommendatione premissa, receptis litteris Excelse Dominationis Vestre omni qua decuit reverentia nobis insinuatis per venerabilem et discretum virum dominum fratrem Benedictum Abbatem Monasterii Sancte Marie de Pola civem vestrum, gavisi fuimus amplo corde, consideratis et inspectis vestra sincera benivolentia, quam circa Sacram Coronam Hungarie geritis cordialem, amonitionibus hortationibusque bonis, quas Vestrum Dominium nos instruit atque monet. De quibus non sumus tanti, ut possemus Vestre Celsitudini premium meritum elargiri, sed ille pro nobis retribuere dignetur, qui remunerator bonorum omnium est et largitor. Quibus litteris Celsitudinis Vestre sic cum subiectiva reverentia

brevi eloquio duximus respondendum, quod nos omni nostro posse studuimus fidelitatem Corone Sacre Hungarie mediantibus operibus incorruptam et immaculatam servare, et sic studebimus, donec spiritus vigebit in corporibus nostris; pro cuius exaltatione intendimus mittere personas et res nostras, et non parcere nobis in aliquo pro augmento Corone predicte, tanquam pro domino nostro naturali. Et o utinam essemus tante potentie, ut possemus dictam Coronam Hungarie exaltare, quoniam nunc pateret, qualiter nostra pura fidelitas circa ea intemerata servatur. Et sic in nostra fidelitate durabimus Deo duce immutabili et corde duro, et maxime ut in nostro pristino statu et libertate solita perserverare possimus. Preterea quod aliqui possent inter Domiuium Vestrum et nos, quos potestis vestros servitores firmiter reputare, aliquam zizaniam seminare; quesumus Celsitudinem Vestram, ut minime credere velitis, cum hoc esset impossibile, quoniam totis nostris viribus dispositi sumus et fuimus Vestre Excelse Dominationi gerere reverentiam et honorem tanquam amicis carissimis Corone predicte. Et sic offerimus Vestre Celsitudini et civibus vestris tam generaliter quam particulariter nos et nostra ad omnia, que Vestre Illustri Dominationi respiciant, commoda et honorem. Data die secundo mensis Maii decima indictione.

Rectores, Judices, Consilium et
Commune Civitatis Tragurii.

(A »Copia de Commemoriali« velenczei államkönyv VIII. kötetéből 298. lap.)

364.

A velenczei köztársaságnak Sebenico város községe. 1387.

Vestre Celsitudinis litteras recepimus gratiossisimas, quarum puncta realiter bene intelleximus. Et quia inter cetera hortamini nos persistere debere constantes Regno Hungarie etc. sic Vestre Reverentie duximus respondendum, quod semper fuimus, sumus et esse intendimus fideles et constantes Sacre Corone Hungarie, et sic in eadem constantia et perse-

verantia persistere volumus et intendimus, nec oppositum facere licet. Super quibus apte Vestre regratiamur Sublimitati, quia in hoc cognoscimus et sentimus, statum et libertatem nostram summe diligere. Et quia in vestris postremo notatis litteris, quod vos sentitis aliqua verba non bona fuisse prolata de nobis per personas, que vellent seminare scandalum inter vos et nos et illos de Dalmatia etc.; sic vobis dicimus, quod veraciter nullam sinistram informationem habemus de vobis, de qua curare deberetis; quia non licet de facili facilibus omnia credere, ita quod non turbetur opinio vestra, parati semper etc. Data die tercia mensis Maii decima indictione.

Ludovicus di Georgiis de Jadra Legum Doctor Comesque Sybenici, ac Judices et Consillium Civitatis eiusdem.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 298. l.)

365.

A velenczei kormánynak az apostoli széknél követségben lévő titkára De Clarutis Vilmos. 1387.

— — — — — — — — — — — —

— — Item ibidem dominus Papa hortatur et rogat eosdem dominum Ducem et Communitatem Veneciarum, quod omnem favorem omneque auxilium eis possibilia ad liberationem Serenissime domine Marie Regine Hungarie et ad conservationem status ipsius, ac illustris Principis domini Sigismundi Regis Hungarie, et Regni predicti prompte et efficaciter adhibeant. Nam ex hoc domino Pape, cui premissa multum insident cordi, singulariter complacebunt ipsi Dux et Communitas Venetiarum etc.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 301. l.)

466.

VI. Orbán pápa Zsigmond király és Mária magyar királynéhoz intézett leveleiben örömét fejezi ki, hogy az utóbbi kiszabadúlt fogságából. 1387.

Urbanus Episcopus sevus servorum Dei carissimo in Christo filio Sigismundo Regi Vngarie illustri salutem etc. Magnus Dominus et magna virtus eius, et magnitudinis illius non est finis, quia nunquam sperantes in se, nunquam iustas causas deserit. Et ne longe factorum petantur exempla, nuper cum carissima in Christo filia nostra Maria Regina Vngarie, illustris consors tua, pridem sorte sinistra per rebelles perfidos intercepta, per eosdem captiva in locis munitis detineretur, et quodammodo secundum humanum iudicium de eius liberatione nulla aut admodum pauca spes videretur; dilectos filios nobilem virum Antonium Venerio Ducem et Communitatem Venetiarum animavit et induxit, ut cum presidentibus galeis eorum ad custodiam Culphi deputatis ordine dato, dicti presidentes una cum dilecto filio nobili viro Johanne Comite Segniense et felici tuo exercitu prope Castrum Novum, ubi dicta Regina detinebatur, insimul convenirent, ac tandem per ministerium ipsorum prefatam Reginam cum insigni honore et ingenti letitia in pristinam libertatem eduxit. Quam quidem liberationem dicti Dux et Communitas cum devota iocunditate nobis nuper intimarunt. Ipsi ergo Domino laus et gloria, cui imperium et potestas per infinita secula. Nos quoque propterea, qui de captivitate anxii fueramus, et pro liberatione, huiusmodi apud Dominum et incessantes preces fuderamus, eidem Domino humiles gratias egimus, illum obnixius deprecantes, ut sicut Reginam ipsam liberavit, et sicut speramus ita sua pietate concedat, quod liberatio hujusmodi sit efficax causa, quod illa inclita Regna, que in magna commotione sunt posita, ad pacem et unitatem reducantur, boni premientur, mali vero aut corrigantur, aut luant pro demeritis dignas penas. Quamobrem te, peramantissime fili, hortamur et obsecramus in Domino Jesu Christo, quatenus tam tu, quam dicta Regina gratiam liberationis huiusmodi humiliter ab ipso Do-

mino etiam Ecclesie indesinentibus precibus impetratam recognoscentes, eisque puro corde gratias agentes, sic in eius timore vivere et operari studeatis, quod ipse digne stabiliat solium vestrum, illudque omni stabilitate fecundet, vobisque donet ita per bona temporalia transire, quod non ammittatis eterna. Ceterum suademus Serenitati Tue, ut cum prefatis Duce et Communitate grate te gerens, illos gratitudine et beneficiis illectos ad favores tuos semper efficias promptiores. Possunt enim, nec dubitamus, esse volunt tuis partibus plurimum fructuosi. Si autem aliqua expedientia per nos fienda cognoveris, nobis Tua intimet Celsitudo; sicut enim nosti, pro stabilimento et conservatione tuis adhibuimus et adhibere dispositi sumus opem et operam efficaces. Datum Luce XVIII. kalendas Julii, Pontificatus nostri anno decimo.

Similis mutatis mutandis carissime in Christo filie Marie Regine Ungarie illustri.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből. 304. l.)

367.

VI. Orbán pápa megköszöni a velenczei köztársaságnak Mária magyar királyné fogságából való felszabadulása körüli működését. 1387.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis nobili viro Antonio Venerio Duci et Communitati Venetiarum salutem et Apostolicam benedictionem. Nuper Vestre Devotionis gratanter accepte littere continebant, quod de mandato vestro dilecti filii nobilis vir... Capitaneus et gentes galearum ad custodiam Culphi deputatarum, cum dilecto filio nobili viro Johanne Comite Segniense et Regali exercitu apud Castrum Novum, ubi carissima in Christo filia nostra Maria Regina Vngarie Illustris detinebatur captiva, cum eisdem galeis convenientes, et ad idem pariter intendentes, prudenter ac efficaciter, et quantum expedivit, operati fuerunt, quod eadem Regina etiam sub medio per vestros datorum obsidum, qui postea juxta conditionem habitam liberati fuerunt, resti-

tuta extitit pristine libertati. De significatione autem rei sic geste prefate devotioni dignas gratiarum referimus actiones. Sed ex re ipsa avidi et libentes recognoscimus bonam et antiquam dispositionem vestram ad beneagendum, rectumque zelum et per maiores vestros laude dignorum gestorum imitationem voluntariam et preclaram; de quo vos plurimum in Domino commendamus, vos attentius exortantes, quatenus sicut cepistis, ita in prebendo charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Regi Vngarie illustri, dicte Regine consorti, ipsique Regine expedientia presidia et favores Vestra continue firmius perseveret Magnitudo. Nam ex hoc, etsi ad stabilimentum dictorum Regis et Regine non parum accedat vestris etiam partibus; ex illorum prosperitate vice reciproca non modicus favor accrescit. Sed et nobis, quibus huiusmodi eorum prosperitas multum insidet cordi, id cedit ad complacentiam singularem. Et ut Circumspectio Vestra nostram circa hoc affectionem agnoscat; scribimus prefatis Regi et Regine iuxta tenorem presentibus interclusum. Dispositi quoque sumus ad conservanda et augenda honores et commoda vestra favorabiliter, quantum cum Deo poterimus, apponere partes nostras. Datum Luce XVIII. kalendas Julii, Pontificatus nostri anno decimo.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyv VIII. kötetéből. 304. l.)

368.

Margit siciliai királyné, II. Károly magyar és siciliai királynék özvegye, egyszersmind fia László siciliai királynak nevében meghatalmazottakat nevez ki, kik Arezzo várost átadják a florenczi köztársaságnak. 1387.

In Dei nomine Amen. Anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, indictione decima, die vero Lune decimaseptima mensis Junii, Pontificatus domini Urbani Pape Sexti Anno decimo. Per hoc presens publicum instrumentum sit omnibus manifestum, quod me Notario et testibus infrascriptis personaliter constitutis in conspectu Serenissime do-

mine Margherite Dei gratia Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarie Regina, Provincie, Forcalquerii ac Pedemontis Comitisse, ipsa dicta Regina suo proprio et privato nomine, nec non ut tutrix et tutorio nomine, et pro vice et nomine Illustrissimi Principis et Domini, domini Ladizlay predictorum Regnorum Regis, pupilli, et ipsorum Comitatuum Comitis, filii quondam clare memorie domini Karoli Tertii predictorum Regnorum Regis, ut de tutela predicta constat puplico instrumento confecto manu mei Notarii infrascripti; nec non dictus Dominus Ladizlaus Rex pupillus, cum consensu, licentia et auctoritate ac presentia dicte domine Margharite tutricis sue, et quilibet eorum per se et in solidum, omni modo, via, iure et forma, quibus magis et melius fieri potuit, fecerunt, constituerunt et ordinaverunt dictorum domine Margherite Regine et Domini Ladizlay Regis, et cuiuslibet ipsorum in solidum, actores, procuratores, factores, et certos nuntios spetiales et generales Zenobium Nerii Macigni, Antonium Guidonis della Foresta, et Antonium Johannis del Perchia, Cives Florentinos, ab infrascripto loco absentes tamquam presentes, et acceptantes specialiter et nominatim, ad donandum, transferendum, et donationis titulo et causa tradendum, cedendum et concedendum Magnificis viris Prioribus Artium et Vexillifero Justitie Populi et Communis Florentie, et seu aliis pro dicto Communi et populo recipientibus, maxime ob remunerationem et compensationem servitiorum multorum hactenus a dicto Communi Florentie receptorum, omnia et singula jura, et seu actiones, et seu jurisdictiones et potestates vel imperium, que, quam, et quod vel quas dicta domina Margherita Regina, dictus Ladizlaus Rex, et seu aliquis eorum haberet vel habere posset, et seu haberent vel habere possent, et seu dictus dominus Rex Karolus habebat vel habere poterat tempore sue vite quoquo modo, titulo vel causa, in, de et seu pro Civitate vel Districtu, et seu in homines et personas ipsius et seu ipsorum, et seu dicte Civitatis Aretii de Provincia Tuscie, et seu eius Comitatu vel Districtu, et seu eiusdem Comitatus sive Districtus et hominum quorumcumque, et seu personarum eorumdem occasione, causa vel pretextu. Et ad dicta talia iura,

et seu actiones, et seu de talibus juribus et seu actionibus renuntiandum, refutandum et per pactum publicum remictendum et faciendum finem et quietationem, liberactionem et pactum publicum de ulterius non petendo dicto Communi Florentie, et seu alii pro eo recipienti. Item ad consentiendum et parabolam dandum cuilibet alienationi et seu concessioni facte per quemcumque et seu quoscumque dicto Communi, vel aliis pro eo accipientibus de dicta Civitate, Comitatu et Districtu Aretii. Et ad promittendum dictum Commune Florentie, nec alium pro eo, nec etiam ipsam Civitatem Aretii, et seu eius Comitatum vel Districtum, et seu homines vel personas eorumdem de cetero ullo modo non molestare vel inquietare, et seu questionem vel controversiam de jure vel de facto movere, vel moveri facere seu consentire, sed perpetuo dictam concessionem, et omnia et singula suprascripta firma et rata habere, tenere et observare, et haberi, teneri et observari facere. Et quod dictus dominus Ladizlaus Rex infra annum, postquam erit etatis legitime, ratificabit presens mandatum et contenta in eo, et omnia et singula inde secutura per publicum instrumentum scribendum et rogandum manu Publici Notarij; ita quod infra dictum terminum presentetur in publica forma Prioribus Artium et Vexillifero Justitie dicti Communis, qui pro tempore fuerint. Item ad substituendum, et loco dictorum Procuratorum et cuiuslibet et seu alterius eorum ponendum, subrogandum et mictendum unum et plures procuratores, et revocandum, firmum in revocatione et substitutione in se retinendo mandatum. Et pro predictis et quolibet et seu altero eorum, et dependentibus, et seu connexis ex eis rogandum fieri, et rogari faciendum contractus et instrumenta unum et plura, semel et pluries, vallandum et roborandum omnibus et singulis pactis, promissionibus, obligationibus, terminis, conditionibus, juramentis, capitulis, renuntiationibus, penis, penarum adiectionibus, preceptis, cautelis et sollemnitatibus, que et quas dicti Procuratores, et quilibet et seu alter eorum, vel substituendi ab eis, aut aliquo eorum voluerint et seu voluerit. Et generaliter ad omnia et singula faciendum, exercendum et operandum in predictis circa predicta, et quodlibet predictorum, et dependentibus et

seu connexis ex eis, que dicti Procuratores et quilibet, seu alter eorum, vel substituendi ab eis vel aliquo eorum voluerint vel voluerit, et que dicti domini constituentes et quilibet seu alter eorum facere possent et seu posset, si presens esset vel presentes essent. Dantes et concedentes dictis nominibus et quolibet eorum dictis procuratoribus et cuilibet eorum in solidum, et substituendis ab eis vel aliquo eorum in predictis, circa predicta et quodlibet seu alterum predictorum, dependentibus et seu connexis ex eis, plenum liberum et generale mandatum cum plena, libera et generali administratione. Promictentes michi Notario infrascripto tamquam persone publice stipulanti et recipienti nomine et vice Communis Florentie predicti, et omnium et singulorum, quorum interest, intererit seu quomodolibet interesse poterit in futurum; et jurantes ad Sancta Dei Evangelia manu tactis Scripturis corporaliter, videlicet dicta domina Margarita Regina dictis nominibus, et dominus Ladizlaus Rex cum consensu, licentia et auctoritate dicte domine eius tutricis dictis nominibus et quolibet eorum in solidum, se dominam Margaritam Reginam, et dominum Ladizlaum Regem, et quemlibet eorum in solidum, habere firmum, ratum, gratum et validum tenere, et quicquid per dictos procuratores vel eorum aliquem, vel substituendos ab eis, vel aliquo eorum factum, gestum, operatum, promissum in predictis et circa predicta et quodlibet et seu aliquod predictorum, et dependentibus, et seu connexis ex eis, sub obligatione personarum dicte domine Margherite Regine et dicti domini Ladizlai Regis, et cuiuslibet ipsorum in solidum, et eorum, et cuiuslibet eorum in solidum heredum bonorum et jurium omnium presentium et futurorum. Et nichilominus etiam ad cautelam et maiorem roboris firmitatem, dicti domina Margarita Regina dictis nominibus, et eorum in solidum, et dominus Ladizlaus Rex cum auctoritate, consensu et licentia dicte domine tutricis eius, ex nunc facta donatione, cessione et renunciatione predicta per ipsos procuratores, vel eorum alterum promictunt, et se et suos heredes et bona et iura omnia obligant, renuntiant et ad Sancta Dei Evangelia juraverunt, ut supra, et faciunt in omnibus et per omnia, et quoad omnes omnia et singula, et omnia ad que, et prout

constituerunt procuratores predictos; volentes quod illa omnia et singula hic intelligantur singulariter et expresse repetita. Certificati dicta domina Margarita Regina, et dictus dominus Ladizlaus Rex, et quilibet eorum de omnibus et singulis suprascriptis, et quid dicant et importent et preiudicent, et seu preiudicare poterant eisdem vel alicui eorum de Jure. De quibus omnibus et singulis dicta domina Margarita Regina, et dominus Ladizlaus Rex nominibus quibus supra rogaverunt me Notarium Publicum una cum testibus subscriptis, ut conficerem unum et plura publicum seu publica instrumenta.

Actum in Castro Ovi prope Neapolim in camera dicte domine Regine, sub anno indictione die mense et Pontificatu predictis; presentibus ibidem Nobilibus et Egregiis viris dominis Gentile de Merdinis de Sulmona, Johanne de Tiens, Martucello de Bonifatiis, Gurrello Urilgia et Antonio Urilgia de Neapoli, Militibus et Legum Doctoribus, et quam pluribus aliis testibus fidedignis ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Jegyzői jegy.)

Et Ego Antonius Cicci de Ranerijs de Civitate Penne, Publicus ubilibet Apostolica et Imperiali auctoritate Notarius, predictorum procutorum constitutioni, ac omnibus aliis et singulis suprascriptis, dum sic ut premittitur agerentur, dicerentur et fierent, una cum prenominatis testibus presens fui, eaque sic vidi fieri et audivi, hoc quoque publicum instrumentum propria manu scripsi et publicavi cum solito signo meo rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium premissorum.

(Eredetie bőrhártyán az »Atti publica di Napoli« VIII. kötetében 44. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

369.

Venerio Antal velenczei dogének Mária magyar királyné. 1387.

Serenissime Princeps et amicorum nostrorum intime. Affectuosa salutatione premissa. Quam magnifice et quam gratiose et alte Vestra Serenitas circa Nostre Maiestatis deliberationem vestre sinceritatis partes et vires efficaciter interposuerit, lingua humana non possit exprimere. Nam pro vero dicere possumus, quod circa liberationem nostram partem vestram habuerimus potiorem. Quod quidem non immerito in archano mentis nostre perpetualiter notum habebitur, cum animo tam notabilia et magna servitia recompensandi, et tantorum meritorum vicem reddendi. Et quum vir nobilis dominus Johannes Barbadico Capitaneus vester et miles noster in exequendo mandata vestra circa Maiestatem Nostram laudabiliter se habuit; vos instantius deprecamur, quatenus eundem nostro intuitu recommendatum habere dignemini. Date Segnie XXX. mensis Junii.

Maria Dei gratia Regina Hungarie, Dalmatie etc.

Kívül: Serenissimo Principi et Domino domino Antonio Venerio Dei gratia Duci Venetiarum etc. amico nostro sincerissimo.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből. 214. l.)

370.

Ünnepélyes okmány, melynél fogva a siciliai király átadja Arezzót a florenczi köztársaságnak. 1387.

In Dei nomine Amen. Anno Incarnationis Domini nostri Jhesu Christi millesimo trecentesimo octuagesimo septimo indictione decima secundum cursum et morem Florentinum, die decimo nono mensis Julij.

Zenobius Nerij Macigni et Anthonius Ghuidonis della Foresta Cives Florentini, actores, procuratores et Nuntii spe-

ciales et generales Serenissime Domine domine Margherite Dei gratia Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmacie, Croatie, Rame, Servie, Galitie, Lodomenie (igy), Cumanie, Bulgarieque Regine, Provincie, Forcalqueri ac Pedemontis Comitisse; ac etiam Illustrissimi Principis et Domini domini Ladislay predictorum Regnorum Regis pupilli, et ipsorum Comitatuum Comitis, filij quondam clare memorie domini Karoli Tertij predictorum Regnorum Regis, constituti a dicta domina Reyna constituente suo proprio et privato nomine, nec non ut tutrice et vice et nomine ipsius domino Ladislay pupilli filii sui, ac etiam ab ipso domino Ladislao cum consensu, licentia et auctoritate ac presentia dicte domine Margherite tutricis sue, et a quolibet eorum per se et in solidum, ut de tutela dicte domine Regine, aprehensione hereditatis et actoria, et etiam de procuratione et mandato dictorum Procuratorum et actorum constare vidi Ego Nicholettus Notarius infrascriptus, et infrascriptus ser Dinus per instrumentum inde confectum, ut in publicis continebatur per Antonium Cicci de Ranerijs de Civitate Penne Publicum Appostolica et Imperiali Auctoritate Notarium sub acto in Castro Ovi prope Neapolim in camera dicte domine Regine sub presenti anno Domini millesimo, trecentesimo octuagesimo septimo, indictione decima, die vero Lune decima septima mensis Junii, Pontificatus domini Urbani Pape Sexti anno decimo, Actorio et Procuratorio nomine ipsius domine Margherite Regine, et dicti domini Ladislay, et utriusque eorum in solidum, et quolibet modo et nomine in solidum. Et dicentes se hec facere de expressa voluntate commissione et mandato dicte domine Regine et predicti eius filii eius auctoritate, et ex certa scientia, et non per errorem, et certis iustis causis, et ob remunerationem maxime et compensationem servitiorum multorum maximorum et utilium hactenus a dicto Communi Florentie per dictum olim dominum Regem Karolum, et per dictam dominum Reginam, et dictum dominum Ladislaum receptorum; pure, mere, inrevocabiliter inter vivos dicta servitia, etiam versa vice, et recipere compensando, et omni modo, nomine, via, causa et forma, quibus melius et efficacius potuerunt; et ita etiam et taliter, quod presens donatio ex causa ingratitudinis aut alia causa vel modo non pos-

sit vel valeat revocari, vel aliqualiter infringi vel anullari, donaverunt, transtulerunt, et donationis titulo et causa tradiderunt, concesserunt, ac etiam ob causam dicte remunerationis et compensationis, et quocumque jure et titulo melius potuerunt, dederunt et concesserunt Jannino Bartolomey de Pistorio, et Taddeo domini Francisci de Civitate Castelli, et Nobis Dino ser Scarfagni et Nicholetto Pauli Notarijs Publicis ut publicis personis, et cuilibet nostrum pro Populo et Communi Florentie recipienti et stipulanti omnia et singula jura et seu actiones et seu jurisdictionem et potestatem vel imperium, castra, fortilitia et imperia; que, quam et quod vel quas dicta domina Regina, dominus Ladislaus Rex, et seu aliquis eorum haberet vel habere dicerentur, seu posset et seu haberent vel habere possent, et seu dictus dominus Karolus habebat vel habere poterat tempore sue vite quoquo modo, titulo vel causa in, de et seu pro Civitate Aretii vel Districtu, et seu in homines et personas ipsius, et seu ipsorum, et seu dicte Civitatis Aretii de Provincia Tuscie, et seu eius Comitatus vel Districtus, aut in suis castris, fortilitiis et pertinentiis, et seu eiusdem Comitatus vel Districtus et hominum quorumcumque et seu personarum eorumdem ocaxione, causa vel pretextu. Et predicta omnia dicta et in dictum Commune Florentie in perpetuum concesserunt et transtulerunt, et insuper etiam stantibus firmis predictis rebus et juribus supra donatis et concessis quoad preiudicium Communis Florentio nullatenus derogandum, sed ad robur omnium jurium ipsius Communis Florentie, et ad omnem cautelam et favorem dicti Communis Florentie, et tam ob dictas causas, quam per omnem viam, causam et formam quibus melius et efficacius potuerunt, supradicta jura et actiones et alia predicta renumptiaverunt, et refutaverunt; et de ipsis juribus et actionibus et aliis predictis dicto Communi Florentie et predictis Jannino et Taddeo et nobis Notariis infrascriptis ut publicis personis recipientibus pro dicto Communi Florentie, et vice et nomine dicti Communis, fecerunt finem, quietationem, liberationem, absolutionem et pactum de ulterius non petendo. Item etiam modo, forma et nominibus antedictis, dicti Procuratores sponte et expresse consenserunt et parabolam et consensum dederunt

et prestiterunt cuilibet alienationi et seu concessioni vel submissioni facte per quemcumque seu quoscumque dicto Communi Florentie vel alii pro ipso Communi recipienti de dicta Civitate, Comitatu et Districtu Aretij et suis castris, fortilitiis, hominibus, personis, juribus et pertinentiis quibuscumque. Et insuper etiam solempniter promiserunt et convenerunt, dictis Jannino et Taddeo et nobis Notariis predictis et infrascriptis, ut supra, recipientibus, dictum Commune Florentie aut alium pro eo, et ipsam Civitatem Aretii, et seu eius Comitatus et Districtus, et seu homines et personas eorumdem, aut castra, fortilitia vel iura seu pertinentias de cetero ullo tempore non molestare vel inquietare, nec questionem vel controversiam de jure vel de facto mouere vel moveri facere, seu consentire, sed perpetuo dictam donationem, concessionem, et omnia et singula suprascripta firma et rata habere, et tenere et observare, et haberi et teneri et observari facere. Et quod etiam dictus dominus Ladislaus Rex infra annum, postquam erit etatis legigtime ratificabit presentem donationem et mandatum, de quo in presenti contractu fit mentio, et contentum in eis, et omnia suprascripta et infrascripta, et omnia et singula inde secuta per publicum instrumentum scribendum et rogandum manu Publici Notarij, ita quod infra dictum tempus et terminum presentetur in publica forma dominis Prioribus Artium et Vexillifero Justitie dicti Communis Florentie, qui pro tempore fuerint. Et predictam donationem, concessionem, et omnia et singula suprascripta et infrascripta et quodlibet ipsorum predicti actores et procuratores, modis et nominibus, quibus supra, promiserunt et solempniter convenerunt dictis Jannino et Taddeo, et nobis predictis Notariis ut publicis personis, et cuilibet nostrum in solidum, ut supra, recipientibus et stipulantibus attendere, observare, et cum effectu adimplere, et contra in aliquo non fecisse nec venisse, nec in futurum dare, facere vel venire, directe vel indirecte, tacite vel expresse, de jure vel de facto, aliqua causa vel modo. Et predictam donationem ob ingratitudinem aut aliam causam nullatenus revocare sub pena et ad penam centum milium florenorum auri solempni stipulatione promissam in singulis et pro singulis partibus supradictis, cum restitutione dampnorum et expensarum ac

interesse litis et extra. Que pena totiens commictatur et cum effectu exigi possit, quotiens fuerit contrafactum seu ventum contra predicta vel aliquod predictorum de jure vel de facto, per se vel alios, tacite vel expresse, et seu ipsa omnia effectualiter non observata. Qua pena commissa, soluta, exacta aut remissa vel non, nichilominus predicta omnia firma durent, et cum et sub eadem pena debeant observari. Et pro predictis omnibus et singulis observandis et adimplendis, et pro dicta pena, si et quotiens commictatur, solvenda, predicti procuratores et actores, modis et nominibus quibus supra obligaverunt dictis Jannino et Taddeo et nobis Notariis predictis et infrascriptis, predictam dominam Margheritam Reginam, et dictum dominum Ladislaum Regem, et utrumque eorum in solidum, et eorum et utriusque ipsorum Regna, bona, res et jura presentia et futura, et omnes eorum et utriusque ipsorum subditos et subiectos, et ipsorum subditorum et subiectorum posteros, successores in bona presentia et futura. Et renuntiaverunt ipsi procuratores et actores dictis modis et nominibus in predictis exceptioni et beneficio dicte donationis non facte, et omnium predictorum non sic actorum et gestorum, doli mali, condictioni sine causa, et omni alii legi et constitutionis auxilio et favori, et maxime cuicumque juri et legi dicenti seu disponenti, generalem renumptiationem sufficere vel valere. Et insuper predicti procuratores et actores dictis modis et nominibus juraverunt corporaliter ad Sancta Dey Evangelia, manu tactis scripturis, suprascripta omnia et singula attendere et effectualiter observare, et contra ea vel eorum aliquod ullo tempore non facere vel venire de iure vel de facto, tacite vel expresse, directe vel indirecte. Hac protestatione facta per dictos procuratores et actores in principio, medio et fine omnium predictorum, quod per predicta vel aliquod predictorum non intendebant nec volebant se ipsos vel alterum ipsorum aut eorum vel alterum ipsorum heredes et bona aliqualiter obligare. Et de predictis omnibus rogatus fuit conficere instrumentum et instrumenta ser Dinus ser Scarfagni, et ego Nicholettus Pauli de Monte Varchi Notarii Florentini, et uterque nostrum in solidum et de per se.

Acta fuerunt predicta in civitate Florentie in populo Sancti Petri Scheradii, preséntibus Nobilibus et prudentibus viris domino Blaxio Bonaccij de Guasconibus, domino Pazzino domini Francisci de Strozzis Militibus, domino Filippo, domini Tome de Corsinis Legum Doctore, Nofrio Johannis domini Lapi Arnolfi, Bartolomeo Lorini Bonaiuti, Johanne Bartoli de Biliottis, Francischo Lapi Federighi, ser Dominico Silvestri, et ser Mino ser Dominici Notariis, omnibus civibus Florentinis, et aliis testibus ad premissa vocatis, habitis et rogatis.

(Jegyzői jegy.) Ego Nicolectus quondam Pauli de Montevarchi civis Florentinus Imperiali auctoritate Judex Ordinarius et Notarius Publicus, predictis omnibus et singulis, dum agerentur, interfui, eaque rogatus scribere scripsi et imbreviavi, et complenda et publicanda commixi infrascripto ser Johanni Petrini de Montaione civi et Notario Publico Florentino, et ideo me subscripsi, et signum meum apposui consuetum.

(Jegyzői jegy.) Ego Johannes filius olim Petrini de Montaione Comitatus Florentini, civis et Notarius Florentinus, Imperiali auctoritate Judex Ordinarius atque Notarius Publicus predicta omnia et singula ex rogationibus et libro imbreviaturarum suprascripti ser Nicholetti Pauli Notarij, et per ipsum rogata et scripta, vigore commissionis suprascripte michi ab eo, ut supra patet, facte, fideliter sumpsi, et in hanc publicam formam redegi et scripsi, ideoque me subscripsi, et signum meum hic apposui.

(Eredetie bőrhártyán az »Atti Publici di Napoli« VIII. kötetében 46. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

371.

Tengerészeti egyenetlenség a dalmatiai tengeri városok és Ancona olasz város közt. 1387.

Anno MCCCXXXVII. die tertio Augusti. Franciscus quondam Johannis Liberii Coppe de Ancona suo nomine, et ut procurator et procuratorio nomine domine Constancie sue vxoris, heredis et hereditario nomine quondam Marcellini Minigutii de Ancona, prout de suo mandato constat publico instrumento stb. habuit et recepit coram me Notario infrascripto stb. ab Andrea Theodori de Tragurio dante et soluente vice et nomine Communis Ciuitatis Tragurii triginta octo ducatos auri et octo soldinos argenti, qui valeant CLX libras pecunie parue Tragurii, ad racionem quatuor librarum et quatuor soldorum Tragurinorum pro quolibet ducato, de summa et pro parte satisfaccionis tertie partis damni illati dicto Francisco et dicto quondam Marcellino in certis eorum mercationibus per tres galeas, scilicet vnam Tragurii, vnam Jadre, et vnam ser Pauli de Aregio in mari prope insulam Asseri tempore quo erat guerra inter Januenses et Venetos. De quibus triginta octo ducatis et octo soldinis fecit quietacionem stb.

(Trau város régi jegyzökönyveiből, az ottani levéltárban.)

372.

Zsigmond király esküvel kötelezi magát a turini békesség megtartására. 1387.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, indiccione decima. die vigesimo tercio mensis Augusti. Cum in instrumento pacis, pactorum et convencionum factorum et firmatorum per Reverendos in Christo patres, dominos Valentinum Quinque-Ecclesiarum Decretorum Doctorem, et Paulum Zagrabiensem Episcopos, tunc procuratores, actores, nuncios et legatos pie memorie Serenissimi et Excellentissimi Principis et domini Lu-

dovici Dei gracia Hungarie, Polonie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie Bulgarieque Regis, Principis Salernitani et Honoris Montis Sancti Angeli Domini, nomine et vice prefati quondam domini Regis ex una parte; et nobiles ac sapientes viros dominos Zachariam Contareno, Johannem Gradonico et Michaelem Mauroceno, Procuratorem Ecclesie Sancti Marci, cives Veneciarum, syndicos, procuratores, actores et nuncios speciales inclite memorie domini Andree Contareno Illustris Veneciarum Ducis, Consiliorum et Communis Veneciarum anno Dommi millesimo trecentesimo octuagesimo primo, indiccione quarta, die Jovis octavo mensis Augusti in castro Taurini, de cuius quidem pacis instrumentis conficiendis eiusdem tenoris fuerunt rogati Notarii infrascripti, videlicet Johannes Ravaysii Secretarius Illustris domini Comitis Sabaudie, Antonius de Credencia Notarius Januensis, Bandinus filius Angeli Notarii de Bragis Notiarius Paduanus, Galvanus quondam ser Bartholomei de Castro Bal do Notarius Reverendi patris domini Episcopi Quinque-Ecclesiensis, Antonius quondam Nicolai olim ser Guarnerii de Sonambergo Notarius Furlanorum, et Bon Johannes de Brisariis Notarius Ducalis Dominacionis Veneciarum, inter cetera in effectu contineatur, quod omnes Duces Veneciarum, qui pro tempore erunt, cum eorum Consilio habente omnimodam potestatem, in quo debeant adesse ipse dominus Dux, et sex Consiliarii sui, tria Capita de Quadraginta, Sapientes de Guerra, Consilium de Quadraginta, Consilium Rogatorum et Consilium Adjunte, nomine Communis Veneciarum semper et quandocunque ad requisicionem Serenissime Majestatis Hungarie et successorum eius teneatur semel tantum pro quolibet Duce prestare iuramentum corporaliter et expresse de observando pacem predictam, et omnia ac singula in instrumentis ipsius pacis contenta; et viceversa prefata Serenissima Maiestas Hungarie, et singuli eius in posterum successores similiter teneantur de observancia tocius pacis predicte et transaccionis, et omnium contentorum in ea, corporaliter jurare pro quolibet Rege semel tantum; idcirco Serenissimus et Excellentissimus Princeps et Dominus dominus Sigismundus Dei gracia Illustris Rex Hungarie, Dalmacie, Chroacie etc. nec non Marchio Bran-

deburgensis etc. volens et intendens dictam pacem et omnia et singula in instrumento ipsius pacis contenta plenissime et inviolabiliter observare, sequens formam dicti capituli de dicto juramento prestando, in presencia et ad requisicionem egregiorum et nobilium virorum dominorum Leonardi Dandulo Militis Procuratoris Santi Marci, et Panthaleonis Barbo Militis, procuratorum, ambaxiatorum et syndicorum Illustris et Excelsi Domini domini Antonii Venerio Incliti Ducis Veneciarum etc., et Consiliorum suorum atque tocius Communis Veneciarum, absente domino Paulo Mauroceno Milite tercio eorum socio, ad infrascripta specialiter et solemniter constitutorum, ut constat instrumento de syndicatu eorum scripto per Leonardum de Anzolellis de Veneciis Imperiali auctoritate et Ducatus Veneciarum Notarium sub anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo septimo indiccione decima die Mercurii duodecimo mensis Junii, in quo quidem instrumento continentur hec verba : »Item ad recipiendum a Serenissimis dominis Rege prefato et Regina et utroque eorum juramentum de observacione pacis firmate inter Serenissime memorie dominum Ludovicum Illustrem Regem Vngarie etc. seu agentes pro Sua Majestate ex una parte, et Illustris memorie dominum Andream Contareno, Ducem et Commune Veneciarum, seu agentes pro eis ex altera, ut in instrumento dicte pacis cavetur« ; ac visis litteris Ducalibus datis in die quarto Augusti, per quas libertas conceditur prenominatis dominis Ambaxiatoribus, quod solus dominus Rex juret, prout patet in ipsis litteris sic incipientibus: »Et primo ad factum sacramenti pacis etc. quod sumus contenti, quod non possendo vos aliter facere« ; dominus Rex solus absque domina Regina fecit dictum sacramentum corporaliter tactis scripturis ad Sancta Dei Evengelia, predictam pacem, et omnia et singula capitula, pacta et convenciones ac remissiones, et omnia et singula in instrumentis dicte pacis contenta attendere et observari facere, absque excepcione vel dolo, in pena et sub pena contenta in contractibus pacis predicte et sub obligacione bonorum omnium Regalis Majestatis prenominate, renuncians super omnibus et singulis suprascriptis excepcioni doli mali et in factum, condiccioni sine causa vel ex iniusta causa, fori privilegio, et omnibus iuribus civili-

bus, canonicis et municipalibus, quibus posset contra predicta vel aliquod predictorum se tueri. In premissorum autem fidem et evidenciam pleniorem supradictus Serenisimus Princeps et Illustrissimus dominus Rex presens instrumentum fieri mandavit, ac sigilli sui sub stigmate, seu imagine sigilli munimine roborari. Actum et factum in domo hospitii Serenissimi domini Regis prelibati in Chiasma, presentibus Reverendo in Christo patre Domino domino Demetrio Episcopo Nitriensi Electo, et strenuis et egregiis militibus Leustachio filio Petri de Hilstua Magistro Curie Regie, Detrico Bubech, Nicolao filio Johannis de Cariga. et Frank filio quondam Combani, et aliis quam pluribus testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis.

(Jegyzői jegy.) Ego Laurencius Vulemus Ecclesie de Iuuanich Zagrabiensis Diocesis Publicus Imperiali auctoritate Notarius, supradictis omnibus et singulis presens fui, eaque rogatus scribere per Serenissimum dominum Regem sepedictum in hanc formam publicam scripsi, meorumque signi et nominis munimine roboravi.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből, 297. l.)

373.

A velenczei köztársaság az apostoli széknél a maga részéről is támogatja Mária királynénak két magyar püspökség postulatiója ügyében történt kérését. 1387.

Anno MCCCLXXXVII. indictione X. die penultimo Augusti. C a p t a : Cum ad requisitionem amicabilem Serenissimi domini Regis et Serenissime domine Regine Hungarie auctoritate huius Consilii scriptum fuerit Sanctissimo domino Pape et dominis Cardinalibus in favorem Reverendi Patris domini Demetrii Episcopi Nitriensis nunc postulati in Episcopum Vesprimensem, et Ambaxatores, qui nuper venerunt de Hungaria, euntes ad Romanam Curiam, suplicaverunt, quod scribatur similiter domino Pape et Cardinalibus in favorem Reverendi Patris domini . . . fratris unius ex dictis Ambaxa-

toribus, ut ei provideatur de dicto Episcopatu Nitriensi in casu, quo dictus dominus Demetrius transferatur ad Ecclesiam Vesprimiensem; vadit pars, quod scribatur, ut petunt, in forma, que videbitur Dominio.

(A »Misti« czímű velenczei államkönyv XL. kötetéből 157. lev.)

374.

A raguzaiak kereskedése a Boszniában és Szerbiában nyert ezüsttel. 1387.

Propria commissio domini Regis.

Nos Sygismundus Dei gracia Rex Hungarie, Dalmacie, Croacie etc. ac Marchio Brandeburgensis etc. notum facimus universis presentes inspecturis, quod nos humillimis et devotis supplicationibus fidelium civium et mercatorum nostrorum de Ragusio nobis per providos et sapientes viros, Junium de Sorgo et Marinum de Bona, concives et Ambasiatores eorum porrectis Regia favorabiliter inclinati benignitate, annuimus et concessimus gratiose, ut mercatores ipsorum in terra nostra Syrimiensi residentes a mercatoribus consociis eorum in terris Bozne et Rascie commorantibus argentum, terris tamen in eisdem reperiens et in usum proveniens, precio comparandi et emptum tandem iidem mercatores de Syrimia mercatoribus de dicto Ragusio, concivibus ipsorum, venditioni exponendi prefatique mercatores Ragusienses idem argentum versus Ragusium exportandi et deferendi tutam, liberam et absolutam habeant facultatem. Eapropter vobis fidelibus nostris universis cujusvis status, condicionis et preheminencie Regni nostri Hungarie hominibus, quibus presentes ostendentur, firmo precipimus Regio sub edicto, quatenus visis presentibus prefatos cives et mercatores Ragusinos circa exportacionem et delacionem ipsius argenti ad dictum Ragusium fiendam non impediatis nec dampnificetis quoquo modo; sed permittatis dictum argentum ipsarum terrarum Bozne et Rascie eisdem juxta premissam nostram annuenciam exportare et deferre pacifice et quiete, sineque contradictione et impedimento aliquali. Et aliud pro nostra gracia facere non ausuri; presentes

eciam semper apud eosdem mercatores Ragusienses volumus remanere post lecturam. Datum Bude in vigilia festi Beati Andree Apostoli anno Domini M.CCC.LXXX. septimo.

(Eredetie, melynek hátára Zsigmond király pecsétjé van nyomva, a bécsi császári titkos levéltárban.)

375.

Mária magyar királynénak a florenczi köztársaság. 1387.

Regine Hungarie.

Serenissima et gloriosissima Regina. Prebet devotioni nostre fiduciam Vestre Serenitatis humanitas, que per inclite recordationis Regis Ludovici, gloriosissimi genitoris vestri, vestigia gradiens, semper se nobis ac nostris civibus exhibuit gratiosam, ut pro Florentinis mercatoribus, qui Regnum vestrum incolunt, tunc precipue, cum justiciam fovent, et cum ipsorum expeditio de manu Vestre Sublimitatis pendere dignoscitur, supplicationes nostras, confidentissime porrigamus. Cum itaque nobiles viri dominus Verius de Medicis Miles, Guido domini Thomasii Militis, Andreas domini Ugonis, et Antonius Sanctis, egregii nostri cives, diu fecerint in Regnorum vestrorum partibus mercaturam, exercitore dudum negotiorum eorumdem Maruccio Pauli de Florentia, cive nostro dilecto; et habeant variis de causis et a pluribus personis recipere non parvas pecunie quantitates, in exactione quarum, nisi Reginalis Clementie favoribus adiuventur, per Judiciorum anfractus, magno cum dispendio traherentur; ipsos benignitati Vestri Culminis devotissime commendamus. Et quoniam pro servitiis factis, et mercantiis creditis, habent in magna summa Curiam Vestre Celsitudinis obligatam, Serenitati Vestre reverendissime supplicamus, quatenus pro justicie debito, et Vestre Majestatis honore, dignemini de satisfactione celeri providere, ne libera grataque servitia Celsitudini Vestre facta, dum pecuniis carent, dum per dilationes, ultra quam oporteat distrahuntur, in ipsorum exitium convertantur. Nihil enim mercatoribus periculosius est, quam pecunias sibi debitas in prefixis et ordinatis terminis non habere. Omnis autem

ipsorum benigna tractatio, et quicquid a Superexcellentia Vestra favoris et gratie consequentur, erit nostre devotioni, tamquam singulare beneficium gratiosum. Data Florentie die X. Februarij XI. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. köt. 11. sz. a, a florenczi nagy levéltárban.)

376.

Zsigmond királynak a florenczi köztársaság kormánya. 1387.

Regi Hungarie.

Serenissime atque gloriosissime Princeps, Domine metuende. Tanta semper fuit populi nostri devotio, quam sinceris affectibus ad gloriosissime memorie Principem dominum Karolum Romanorum Imperatorem semper Augustum atque Boemie Regem singularissimum Dominum nostrum, dum in humanis degeret habebamus, quod vos inclitam Majestatis tante progeniem, pro nostris requirere civibus non tantum pro consequenda iustitia supplicamus. Cum itaque nobiles viri etc. Data etc.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 12. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

377.

Magyarország több főurának a florenczi köztársaság kormánya. 1387.

Baronibus.

Magnifice Domine, frater et amice karissime. Cum Nobiles viri dominus Verius etc. in exactione quarum, nisi vestris favoribus adiuventur etc. ipsos Nobilitati et Magnificentie Vestre cordialiter commendamus, et precipue in assecutione pecuniarum, quas a Curia recipere debent. Ne libera grataque servitia Reginali Celsitudini facta etc.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. köt. 13. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

378.

István Magyarország nádorának a florenczi köztársaság kormánya. 1388.

Magno Comiti Ungarie.

Magnifice et Excellentissime Domine, frater et amice karissime. Certi sumus, quod Vestra Sublimitas non ignorat, quanto dilectionis zelo gloriose recordationis Rex Ludovicus, nostrum Commune, nec non cives et mercatores Florentinos, quantaque cum prerogativa fuerit prosequutus; ut tenere debeat Vestra Nobilitas nos versa vice erga Majestatem Suam singularem devotionis habitum habuisse. Et nunc etiam ad Serenissimam posteritatem suam, et Sacratissimum Regnorum Hungarie Dyadema, continuatis affectibus eandem reverentiam obtinere. Ex quo firmissime credimus et speramus, Excellentiam Vestram nos et Florentinos cives ex innata devotione veros illius gloriosi throni fidelissimos servitores certissime reputare, vestrique fore propositi, quod in benigne tractationis officio solitus favor et consueta benivolentia nobis et nostris civibus, nec privatim, nec publice subtrahatur. Çuius rei gratia confidentissime vobis scribimus, ac de vestro favore certissimi pro nostris civibus supplicamus. Cum itaque Domini de Lippoldo pretendant, se debere recipere a Zenobio de Macignis mercatore atque cive nostro dilecto certam pecunie quantitatem et ex eo quod sibi non satisfiat, innuere videntur, se velle contra Florentinos cives, qui negociantur in illis partibus, restaurari; quod tamen, utpote rem iniustissimam et iniquam, sub vest·e gubernationis regimine non veremur. Nam cum eisdem obtulerimus et parati simus exhibere favorabile justicie complementum, nullo prorsus jure possunt aut debent, contra Florentinos agere; quod concedi dumtaxat deberet, si non possent a nobis, nostrisque Magistratibus justiciam reportare. Verumtamen ne possint sibi vel nobis aliquid imputare, quia Zenobius mercator insignis aliquo modo non intendit fugere rationem, ecce mittit Marcum Buoni Filippi civem nostrum, ut videat ex qua causa dicere volunt prefatum Zenobium eis fore, sicut asserunt, obligatum. Quo scito, in-

tendit ipse Zenobius eos taliter declarare, quod videbunt ipsum, sicut rectos mercatores decet, incedere bona fide. Quapropter Magnitudinem Vestram affectuosissime deprecamur, quatenus amore nostri dignemini Dominos prelibatos a molestandis nostris civibus cohibere, nec non facere taliter ordinari, quod idem Marcus copiam habeat eorum que per dictos Dominos postulantur, ut ipse Zenobius possit eos de veritate negocii cum claritate reddere certiores Nam cum simul agere variis et diversis ex causis videantur, multisque civibus habuisse; necessarium est, quod ex quo capite velint agere, ut ad illa responderi valeat, nullatenus ignorari. Ceterum nostros mercatores et cives, et presertim Marcum atque Zenobium antedictos, benignitati vestre totis affectibus commendamus. Data Florentie die XVI. Martij XVI. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 40. sz. a. a florenczi nagy levéltárban.)

379.

A Lippoldi főuraknak a florenczi köztársaság kormánya. 1388.

Dominis de Lippoldo.

Amici karissimi. Venit istuc, ne possit conqueri Vestra Nobilitas, Marcus Buoni Filippi civis noster dilectus, ut a vobis percipere possit et in scriptis habere, quid et quare vos habere pretenditis a Zenobio de Macignis, qui se paratum offert, vos de cunctis que postulaveritis declarare; ut videre possitis, quod ipse justiciam aliquo modo non fugit, sed intellectis causis, ex quibus agitis, intendit tam perspicuam vobis reddere rationem, quod possit noster servitor et benivolus remanere. Placeat itaque dictum Marcum, exhibendo sibi copiam vestrorum jurium, taliter informare, quod idem Zenobius possit absque dilatione vobis iuxta veritatis seriem respondere. Talis etenim mercator est, quod infallibiliter credimus ipsum nec velle fidem rumpere, nec vobis quod justum extiterit denegare. Si autem circa hoc oportuerit nos aliquid

operari, cum securitate rescribite; paratos nos offerentes, vobis omnem favorem in his et in aliis exhibere. Ceterum placeat dictum Zenobium circa dictam materiam suscipere commendatum, et alios nostros mercatores et cives, qui negociantur in illis partibus, amore nostri protegere, et a cunctorum injuriis, sicut de vobis spem gerimus, adiuvare. Data Florentie die XVI. Martij XII. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 90. sz. a.; a florenczi nagy levéltárban.)

380.

A velenezei követ Morosini Pál Magyarországból viszatér Velenczébe. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die X. Aprilis. Capta: Quod nobilis vir ser Paulus Mauroceno Miles, qui nuper rediit Ambaxiator a partibus Hungarie, et est de ipsis factis plene informatus, licet non sit de Consiliis Rogatorum, possit venire ad ipsum Consilium quociens tractabitur de istis factis, et dicere opinionem suam, non capiendo partem

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XL. kötetéből 246. l.)

381.

Magyar követ Velenczében a köztársasággal kötendő szövetség ügyében. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die X. Aprilis. Capta: Cum iam multis diebus sit hic Ambaxator Serenissimi domini Regis Hungarie ad factum lige cum Dominatione nostra, et pro honore nostro faciat providere et disponere circa oxpeditionem suam; et sicut est manifestum modo in ultimis, quando revocavimus demum nostros Ambaxatores de partibus Hungarie, fuit captum in nostris Consiliis Rogatorum et Additionis quoddam capitulum, quod est valde utile et bonum, et servit et respicit in omnem partem; et faciendo per illum modum, veniremus esse extra omnem laborem

faciendi ligam cum domino Rege, domina Regina et Corona Hungarie; vadit pars in bona gratia, quod tractetur circa illud capitulum.

Verum quia ipse Ambaxator in expositione sue Ambaxate fecit mentionem, quod venit pro facto lige alias tractate in partibus Hungarie per nostros Ambaxatores; respondeatur sibi, quod per nostros Ambaxatores, tunc in partibus Hungarie existentes, fuit ordinate responsum domino Regi ad factum lige predicte; et propterea si placet sibi esse super dicto capitulo in ultimis misso nostris Ambaxatoribus, ut dictum est, sumus contenti esse et tractare super illo; et si Ambaxator domini Regis Hungarie erit contentus tractare super dicto ultimo capitulo, tunc prosequatur et tractetur circa dictum capitulum cum omnibus illis avantagiis, que videbuntur pro honore nostri Dominii. Si vero dictus Ambaxator domini Regis Hungarie non esset contentus de modo predicto, providebiter, sicut videbitur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű államaktákból R. köt. 10. sz. a.)

383.

A velenczei kormánytanács megengedi Tvartko II. István szerb és boszniai királynak, hogy 200 arany-nyi értékű malvaziri bort Velenczéből kivihessen. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XII. die XVII. Aprilis. Capta: Quod Serenissimo domino Regi Rassie hoc amicabiliter requirenti concedatur, quod possit facere extrahi de Venetiis et conduci ad partes suas vinum Monovasie ad valorem ducatorum ducentorum.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XXXVIII. köt. 255. l.)

---

383. •

A velenczei köztársaságnak határozata Mária magyar királyné és Zsigmond király követségére. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. die XX. mensis Aprilis. Capta: Quod respondeatur isti Ambaxatori Serenissimi do-

mini Regis Hungarie, quod novit Deus, libenter voluissemus, quod ipse habuisset libertatem circa illud capitulum, de quo sibi fecimus mentionem; et in ultimis, quando recesserunt nostri Ambaxatores de partibus Hungarie, ipsi fecerunt etiam mentionem domino Regi, quia ad parere nostri Dominii illud capitulum servit et respicit in omnem partem, et est sine aliqua suspicione, et de illo deberent omnes esse contenti, sicut per nostros Ambaxatores dici fecimus Serenissimo domino Regi in partibus Hungarie. Et quia modus predictus videtur nobis bonus et utilis pro utraque parte, Excellentissimus dominus Rex semper inveniet Dominationem nostram circa illum modum bene dispositam et paratam.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államakták R. kötetéből 13. sz. a.)

384.

A velenczei köztársaságnak válasza Tvartko II. István szerb és boszniai királynak levelére. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die XXIX. mensis Aprilis. Capta: Cum Serenissimus dominns Rex Raxie scripserit nostro Dominio rogando cum instantia, quod nobis placeat ad presentiam suam mittere unum de nostris ad audiendnm ea, que Sua Regia Maiestas dicere vellet; vadit pars pro multis bonis respectibus, quod pro modo non mittatur aliquis de nostris ad ipsum dominum Regem Raxie, quia non est neccessarium; quia nos misimus alias, ut notum est, et mictendo de novo et redeundo, et iterum remittendo ad ipsum dominum Regem perderetur multum de tempore. Sed si Regie Maiestati Sue placet aliquid dicere nostro Dominio, ipse potest mittere ad nos, quia audiemus alacriter et libenter omnia, que sibi placebunt dicere. Et sic respondeatur isti suo Ambaxatori, qui est hic.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államakták R. kötetéből. 14. sz. a.)

385.

Tvartko II. István szerb és bozsniai királynak követe Velenczéből visszautazik urához. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die tercio mensis Maii: quod unus Ambaxiator Serenissim domini Regis Rassie possit levari super presentibus galeis Culphy cum famulis, iocalibus et levibus arnesiis, et deponi in Sclavonia.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XL. köt. 256. l.)

386.

A velenczei köztársaság követet küld Genuába, hogy ezen államnak a magyarországi ügyeket tárgyazó szándokát kitudhassa. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die quarto mensis Maii. Capta: Quia divulgatum est et divulgatur per aliquos, quod intencio Januensium est cum galeis, quas armant ad presens, vel cum parte earum conducere ad partes Dalmacie dominam Reginam Margaritam et eius filium, et sapiens sit habere super hoc facto, quod vehementissime tangit statum nostrum, illas declarationes et informationes, que haberi possunt, ut possit factis nostris salubrius provideri; vadit pars, quod Collegium Domini, Consiliariorum Capitum et Sapientum Consilii et Ordinum habeat libertatem mittendi Januam unum sufficientem nuncium cum illa commissione et verbis utilibus et fructuosis, que dicti Collegio vel maiori parti videbuntur pro bono agendorum predictorum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű államaktákból R. kötetéből 18. sz. a.)

387.

Margit siciliai királynénak a florenczi köztársaság. 1388.

Regine Hungarie, Jerusalem etc.

Serenissima Gloriosissimaque Regina. Ad ea que nobis exposuit devotissimus Majestatis Vestre servitor, atque dilectissimus civis noster Lucas del Pecchia pro parte Vestre Serenitatis, ex commissione sibi facta per Reverendum Patrem, dominum Paulum Episcopum Zagabriensem Sublimitatis Vestre Legatum, responsum dedimus in forma, quam credimus ipsum tam Supereminentie Vestre, quam eidem domino Episcopo plenissime relaturum. In qua re dignetur nos et devotionem nostram clementer vestra benignitas supportare. Nam oportet nos pro indempnitate nostrorum mercatorum et civium, qui undique sparsi sunt, necessitati cedere; nosque citra votum vestre dilectionis et reverentie continere. Data Florentie die XVI. Maij XI. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 26. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

388.

A velenczei kormány foganatositja azon itéletet, mely a Corbaviai grófok perében 1384 (mint fentebb 287. sz. a.) hozatott. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die XXI. mensis Maii. Capta: Cum Egregius Miles quondam Comes Georgius de Curiacho iam bono tempore depositasset ad Cameram nostram Frumenti ducatorum V millia, et Comes Gregorius de Curiacho, nepos prefati Comitis Gregorii, cui spectant predicta V millia ducatorum, comparuerit coram nostro Dominio, requirens humiliter, quod dicta V millia ducatorum et prode sequutum ex eis, quod est etiam ducatorum V millia, (restituantur ei), et iustum sit predicto Comiti Gregorio civi nostro subvenire saltem de dicto prode, ut melius fieri poterit; vadit pars, quod dentur sibi pro nunc de

dicto prode ducatorum millia V centum, et alia III millia V centum ducatorum, que sunt residuum dicte pecunie scilicet prodis, scribantur sibi in capitalibus ad Cameram Frumenti ita, quod de dictis tribus milibus et quingentis ducatis recipere debeat prode pro isto mense Novembri proxime futuro, prout faciebat de dictis V millia ducatis; et sic successive de tempore in tempus. Item de prode III millium V centum ducatorum, quod recipere debet isto mense Novembri proxime venturo, complaceatur sibi in tantum, quod sibi dentur pro presenti ducati ducenti quinquaginta auri.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XL. köt. 260. l.)

389.

Szövetség a velenczei és a genuai köztársaságok közt. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. die VIII. Junii. (In tractatione ligae inter Venetam et Januensem Respublicas in Senatu Veneto propositum fuit: quod neutra partium possit acquirere terras vel loca in Regno Hungariae seu locis suppositis Corone Regni Hungarie; item) quod Januenses nullo modo possint sibi acquirere terras vel loca in Culfo Venetiarum, et quod non impendiant Venetos a Syo citra usque ad Culfum Venetiarum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államakták R. kötetéből 23. sz. a)

390.

A velenczei kormány kiád egy dalmátiai áruczikkekkel terhelt s elfogott hajót. 1388.

(Deliteratum, quod Domini de Nocte restituant navigium cum mercationibus conductum Venetias per galeam Ducis Andagaviensis) acceptum de manibus Anconitanorum et caricatum mercibus Tragurinorum, Spalatinorum, Raguseorum et aliarum gentium de intra Culphum, ut conservemus nobis

istos de intra Culphum in amicos, nec amittantur taliter introitus et dacia dacia nostri Communis, et hoc illis, qui habent jus in ipso navigio et mercibus supradictis.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államakták R. kötetéből 27. sz. a.)

391.

Barbo Pantaleon egykor Magyarországban velenczei követ érdemeinek elismerése. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XI. die XIIII. Junii. Capta: Cum nobilis vir ser Pantaleo Barbo Miles fuerit Ambaxator ad partes Hungarie, ubi, sicut notum est, stetit magno et longo tempore, et in illis partibus ad honorem et statum Communis Venetiarum se gessit, sicut omnibus plenissime notum est; et existens in dicta Ambaxata, et operando fideliter sibi commissa, fuit captus et derobatus ad valorem librarum XV grossorum inter libros, pannos et lapides pretiosos; occurrit vero, quod placuit Serenissimo et Excellentissimo domino Regi Hungarie facere ipsum Militem, quam militiam pro honore et bono agendorum Communis Venetiarum ipse ser Pantaleo Barbo acceptavit, et tunc ipse misit Serenissimo domino Regi predicto duo jocalia ex dono pro honore nostre Dominationis, que duo iocalia fuerunt solum lapides preciosi valoris librarum XVIII grossorum et ultra, et ipsa iocalia presentavit ipsi domino Regi Laurentius de Monacis Notarius Curie nostre, cum Simone de Trentis cognato suo, qui erant cum dicto Ambaxatore; et est verum, quod tunc dominus Rex misit dicto Ambaxatori ser Pantaleoni Barbo unam stagnatam et unam taciam argenti ex dono, que sunt valoris ducatorum quinquaginta vel circa, et dixit tunc nuntius regius: Dominus Rex mittit vobis istud donum pro militia vestra; vadit pars omnibus predictis consideratis, quod dicte stagnata et tacia argenti, date dicto ser Pantaleoni Barbo pro millitia sua, ut dictum est, debeant dari libere et restitui dicto ser Pantaleoni Barbo, ut est conveniens atque iustum, habito res-

pectu ad dampna, que passus fuit, et ad id, quod presentavit domino Regi pro militia sua predicta.

(A »Sacreta Consilii Rogatorum« velenczei államakták B. kötetéből 29. sz. a.)

392.

Mária magyar királynénak a florenczi köztársaság. 1388.

Regine Hungarie Marie.

Serenissima gloriosissimaque Regina, singularissima Mater et Domina nostra. Quamquam per effectum operis cognoscamus Serenitatem Vestram per paterna et avita gradiendo vestigia semper fuisse cives et mercatores Florentinos singularis benivolentie gratia prosecutam, de quo clementie vestre, quanto pleniora possumus, referimus impendia gratiarum; juvat tantum in devotione solita pro nostris civibus scribere, ut privatas nostrorum civium tractationes cognoscat Vestra Sublimitas ad nostre Reipublice gratiam pertinere. Hinc est, quod cum nobilis vir Johannes de Tosinghis de Florentia plurium nostrorum civium negocia intra vestri gloriosi Regni terminos administret, ipsum benignitati vestri Throni, totius nostre devotionis affectibus commendamus; omni cum reverentia supplicantes, quatenus ipsum, et nostrorum civium facta que gerit, dignemini Excellentie Vestre favoribus adiuvare; ita quod, sicut sperat nostra devotio, sub umbra alarum Vestre Supereminentie nedum contingat ipsum ab injuriis protegi, sed etiam gratiose in cunctis oppressionibus sublevari. Ceterum quia dicti nostri cives Majestati Vestre non de parvis pecuniarum pecuniis (igy) etiam cum suo incommodo servivervnt, Humanitatem Vestram devotissimis supplicationibus exoramus, quatenus nostre Communitatis intuitu, ac contemplatione vestri nominis et honoris, dignemini super ipsorum satisfactione, quantum expedit, providere, ne pro servitiis Celsitudini Vestre Majestatis impensis, aliquibus afficiantur dispendiis, sed ex promptitudine restitutionis ad eadem exhibenda servitia propensius animentur. Majestatem Vestram, cui nos devotissime commendamus, dignetur Altissimus feliciter

conservare. Data Florentie die ultima Julij XI. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 40. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

393.

Zsigmond királynak a florenczi kormány. 1388.

Regi Hungarie.

Serenissime atque Illustrissime Princeps, benignissime fautor noster. Tanta fuit semper Florentinorum inconsussa devotio erga Regnorum Hungarie Sacratissimum Dyadema, quod nobis prebet audaciam, ut confidentissime pro nostris civibus ad Celsitudinis Vestre clementiam recurramus. Cum itaque nobilis vir Johannes de Tosinghis de Florentia, plurium nostrorum civium intra gloriosi Regni fines negocia prosequetur, considerantes quantum possit sibi et rebus quas agit favor Regius commoditatis afferre, benignitatem Sublimitatis Vestre humili supplicatione deposcimus et oramus, quatenus nostre devotionis intuitu dignetur Vestre Serenitatis humanitas ipsum in cunctis emergentibus in Vestre Clementie gremio favorabiliter suscipere commendatum. Et quoniam, sicut audivimus, illi quorum negocia gerit, Curie tam Reginali, quam Regie, de non parvis pecuniarum quantitatibus libere servierunt, Majestati Vestre devotissime supplicamus, quatenus super ipsorum satisfactione dignetur Vestre Magnitudinis Celsitudo, quantum expedit providere, ita quod alias possint officiose, sicut expediet in futuris oportunitatibus, deservire, et quod qui non sine damno et gravamine suo Curie subvenerunt, debite restitutio (így »restitutionis« helyett) gratitudine restaurentur. Nichil enim devotorum animos ad implenda servitia magis accendit, quam prompta restitutio creditorum. Majestatem Vestram, cui nos cum reverentia commendamus, dignetur Altissimus conservare. Data die XXV. Julij predicti.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 38. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

304.

Bálint bibornok pécsi püspöknek a florenczi kormány. 1388.

Cardinali Quinque-Ecclesiensi.

Reverendissime in Christo Pater et Domine. Johannes de Tosinghis mercator atque civis dilectissimus Florentinus in partibus Hungarie plurimorum nostrorum civium facta gerit, in quorum felici directione, certi sumus, ipsum vestris favoribus indigere. Eapropter Benignitati Vestre devotissime supplicamus, quatenus amore nostro dignemini eumdem Johannem, et negocia que administrat, favorabiliter suscipere commendatos, et in omnibus pro ipso vestre protectionis clipeum obiectare. Et quoniam illi nostri cives, quorum res per dictum Johannem aguntur, Reginali Curie de non parvis quantitatibus serviverunt, ex quo multa fuerunt incommoda consecuti, Clementiam Vestram suppliciter deposcimus et rogamus, quatenus circa satisfactionem ipsorum opem placeat et consilium exhibere, ut reddantur ad serviendum in posterum promptiores, et honor Reginalis Culminis debite restitutionis gratitudine conservetur. Data Florentie die ultimo Julij XI. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive,« stb. XXI. köt 40. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

395.

István Magyarország nádorának a florenczi kormány. 1388.

Magno Comiti.

Magnifice Domine, frater et amice karissime. Inter alios Florentinos, qui mercaturam exercent in partibus Hungarie, Johannes de Tosinghis multorum nostrorum civium negocia fideliter administrat; quos cum sincere dilectionis affectu singulariter prosequamur, Nobilitatem Vestram instantissime deprecamur, quatenus in omnibus placeat ipsum suscipere contemplatione nostri favorabiliter commendatum, et in exigendis pecuniis, quas recipere debent tam a Reginali Curia,

quam ab aliis quibuscumque, vestrum patrocinium exhibere. Quod quidem nobis ad singularis gratie cumulum ascribemus. Data ut supra (31. Luglio 1388.)

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie. Missive,« stb. XXI. köt. 40. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

396.

Garai Miklós macsói bánnak a florenczi kormány. 1388.

Domino N. de Gara·

Magnifice etc. ut supra per totum usque ibi; patrocinium exhibere. Ceterum quia Simon Talenti promisit, ut dicitur, dicto Johanni pro quondam nobilissimo patre vestro certam pecunie quantitatem; dignetur Vestra Nobilitas, tam pro honore paterni nominis, quam ob justicie cultum taliter operari, quod que dictus Simon promisit, realiter debeat adimplere. Quod quidem etc.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 40. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

397.

Zsigmond királynak a florenczi kormány. 1388.

Regi Hungarie.

Serenissime atque gloriosissime Princeps, singularisque benefactor noster. Litteras Sublimitatis Vestre nostra recepit humilitas, et omnia que pro parte Serenitatis Vestre Nobilis vir Albertus de Saldinis de Jadra, eiusdem Majestatis Nuntius Orator, nobis exposuit viva voce, devoto collegimus intellectu. Ad que cum reverentia consueta respondimus, quantum putavimus expedire. Que quidem inserere litteris judicavimus esse superfluum; quoniam certi sumus, eumdem Oratorem cuncta fideliter relaturum. Ipse quidem de omnibus, et de dispositione nostre devotionis erga Sacri Dyadematis Vestri thronum, clarissimus testis erit; ut supervacaneum sit litteratoria scriptione depromere, quod ipse copiose poterit ex-

plicare. Nos autem in solite devotionis affectu Supereminentie Vestre nos et nostrum populum, Florentinosque mercatores et cives, precipue qui intra gloriosissimorum Regnorum Vestrorum limites conversantur, devotissime commendamus. Data Florentie XVII. Augusti XI. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXI. kötegében 41. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

398.

Velencze kereskedése Magyarország tengermelletti vidékeivel. 1388.

Anno MCCCLXXXVIII. die XXV. Augusti. Capta: Cum multi mercatores de partibus Sclavonie habeant multas quantitates ballarum pannorum pro ponendo in partibus Sclavonie usque Ragusium, quas dubitant ponere cum navigio disarmato, et ideo supplicent de ponendo eas super galeis nostris Alexandrie; vadit pars: quod pro subventione dictorum mercatorum et dextro patronorum nostrarum galearum predictarum dicte balle dictorum mercatorum possint recipi super dictis galeis usque ad diem sui recessus, solvendo datium sicut si caricassent super navigio disarmato, recipiendo tamen primo omnes mercationes, quas teneantur recipere a nostris et per nostra loca.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XL. kötetéből 297. l.)

399.

Venerio Antal velenczei dogének Zsigmond király. 1388.

Inclite et Perillustris, amice karissime. Vigesima prima die mensis Septembris litteras Ducales Nostro Culmini presentatas recepimus, et que in eis continebantur, grato collegimus intellectu. Vestre Amicitie super depositione pecunie in Jadra facta respondentes; quod ultra id, quod Regium in eo contemplati estis honorem, quem nobis sine dubio ut amico credimus recommissum; fideli nostro dilecto Venerabili in

Christo Patri domino Demetrio Ambaxiatori nostro ad vos et ceteros amicos vestros transmisso, inter cetera de ipsis septem millibus ducatis recipiendi et quietandi plenam et omnimodam dedimus potestatem. Scituri a certo quod XV. die festi Michaelis Archangeli proxime venturi ad edomandam Bani Boznensium et aliorum nostrorum rebellium superbiam, assistente nobis Dei dextera, cum victorioso nostro Hungarorum exercitu in Dyaco constituemur, dubio quolibet procul moto. Datum in Castro nostro Dyosgeur die XXII. mensis Septembris (1388.)

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 326. l.)

400.

Zsigmond királynak a florenczi köztársaság. 1388.

Regi Hungarie.

Serenissime et Gloriosissime Princeps. Tantam devotionem habemus ad Celsitudinem Vestri throni, quod omnis Sublimitatis Vestre rogatio nobis est instar urgentissime jussionis; ut firmiter tenere debeat Vestra Serenitas, nos requisitionem aliquam, nec litteras moraturos, quotiens nobis aliquid innotesceret, quod ad Supereminentie Vestre statum aut Majestatis Vestre beneplacita pertineret. Illud tamen quod circa negocia nobilissime Domine domine Catharine Comitisse Modrusii atque Vegle jubet Vestra Sublimitas cum nobis, nichil nisi ministrationem justicie, quod cuiuslibet Presidentis est debitum, iniungatis. Tale quidem est, quod nedum Vestre Magnitudini, sed nulli prorsus debeat denegari. Quamobrem iuxta Majestatis Vestre rescripta, tam sibi, quam procuratoribus suis favorabile jus, et expeditissimam justiciam faciemus contemplatione Vestre Celsitudinis ministrari. Verum tamen, quia vir suus et ipsa sequestrari fecerunt multa bona nobilis militis domini Versii de Medicis dilectissimi nostri civis et sociorum, tamquam societatem habeant cum Milano Jacomelli de Padua, quem ajunt prefate Domine debitorem; et nos certissimi sumus inter ipsos nullam fore, nec unquam fuisse penitus societatem: Clementie Vestre devotissimis affec-

tibus supplicamus, quatenus Superexcellentia Vestra dignetur bona prefatorum nostrorum civium facere liberari, et eisdem Comiti et Comitisse Regia auctoritate precipere, quod nullam in posterum contra cives nostros faciant novitatem, et omnia que sequestrari fecerunt, jubeant relaxari. Nescimus enim, quo jure possint pro quodam Paduano, qui civis noster non est, contra nostros mercatores, qui cum debitore, quem asserunt, nullam habeant nec habuerunt penitus societatem, quique suo nomine, aut dicte domine Catharine, aut prefato Comiti nichil debent, aliquam de jure facere novitatem. Ut Regie Potestatis debitum sit, ne intra Regni Vestri gloriosissimos fines aliquid contra justiciam attentetur, hoc quod postulamus injungere, et a nostris civibus tales molestias cohibere. Quicquid autem superinde pro favore nostrorum civium Vestra Serenitas ordinabit, nobis et nostro populo, quem ex devotione vestrum reputare potestis, ad donum singularis muneris ascribemus. Data Florentie die XXVIII. Septembris XIII. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredcti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive,« stb. XXI. kötegében 129. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

401.

A Frangepánoknak a florenczi köztársaság. 1388.

Comiti et Comitisse Modrusii et Vegle.

Magnifici Domini, fratres et amici karissimi. Scimus, quod cum Vestra Nobilitas fuerit subornatis falsitatibus informata, Milanum Jacomelli de Padua nostrum civem fore, et habere societatem cum nobili milite domino Verio de Medicis de Florentia, vos quondam fecisse, sicut scribitis, certam quantitatem eris sive ramis, pretextu cuiusdam debiti quod ad vos pertinet arrestasse, et ipsa demum, nostrorum precaminum interventu fecisse, de quo vobis gratias agimus, liberari. Et nos, sicut Nicholaus ser Mathei vester orator vobis debuit retulisse, sibi in vestris juribus prosequendis contra quemcumque, bona dicti Milani, que possent in nostra fortia reperiri, et contra personam suam et alios quoscumque nos-

tram obtulimus assistentiam et favorem in tali forma, quod nichil plus debuit aut potuit nedum expeti, sed nec etiam exoptari. Cumque diceret se pro mandato, quod non habebat, ad vestram presentiam reversurum; quicquid Nobilitati Vestre suggesserit, nunc de novo sentimus, vos eiusdem militis mercantias fecisse cum eius et aliorum mercatorum nostrorum rebus plurimis sequestrari sub pretextu debiti prelibati. Certi sumus, vos putare prefatum Milanum nostrum civem esse, et supradicti domini Verii socium et collegam. Alias autem cum vobis non fuerit justicia denegata, sed potius omnis favor oblatus; nichil est quod possetis de jure pretendere, quo liceret bona ipsorum nostrorum civium arrestare. Nunc autem certa sit Vestra Nobilitas, Milanum prefatum nec origine, nec lege, civilitatis nostre beneficium obtinere, sed prorsus esse forensem et advenam, nobis aut nostris legibus non subjectum. Quin etiam clari sumus, et ita Nobilitatem Vestram tenore presentium declaramus, ipsum nullam habere, nec habuisse cum prefato domino Verio societatem. Nam et quando Milanus tempore Magnifici fratris nostri domini Francisci de Carraria a Civitate Paduana discessit, societas domini Verij vigebat Padue, nec unquam fuit ob debita dicti Milani et quomodolibet requisita. Cum tamen dominus Franciscus prelibatus molestum haberet discessum suum, ei ipsum sibi fore in quantitate maxima debitorem pretenderet, et narraret, ut verissime tenere possitis, dictum dominum Verium aut alium civem nostrum, pro dicto Milano nullo modo debere, vel posse cum justicia conveniri. Quocirca Nobilitatem Vestram affectuosissime deprecamur, quatenus, que sequestrata sunt, placeat facere liberari, et nullam imposterum huius rei gratia facere novitatem. Sed si putatis ipsum Milanum in nostro territorio vel civitate per se, vel apud alios aliquid possidere, vestrum procuratorem confidentissime transmittatis; faciemus enim sibi tam expeditam justiciam liquidato debito ministrari, quod vos ipsi promptiorem, nec vobismet facere, nec a nobis expeditiorem petere valeretis. Intendimus enim vos utpote veros amicos, et singularem favorem nostrorum civium, nobis ante cunctos illius Regni proceres conservare. Da-

ta Florentie die XXVIII. Septembris XIII. indictione MCCCLXXXVIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive,« stb. XXI. kötegében 30. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

402.

A velenczei köztársaság Cornaro Ferenczet bízza meg avval, hogy a magyar koronának évenkint fizetendő 7000 arany-nyi adót Demeter veszprémi püspöknek, Mária magyar királyné és Zsigmond király meghatalmazottjának kezéhez adja. 1388.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis ejusdem MCCCLXXXVIII. indiccione undecima die Veneris nono mensis Octobris. Excelsus et Illustris Dominus dominus Anthonius Venerio Dei gracia Dux Veneciarum etc., unacum suis Consilijs ad infrascripta et alia exercenda plenissimam libertatem habentibus ad sonum campane et voce preconia specialiter vocatis et congregatis, et ipsa Consilia una cum ipso domino Duce, unanimiter et concorditer, nemine discrepante pro se et successoribus suis, ac nomine et vice Communis Veneciarum, et omnibus modis, jure, forma et causa, quibus melius potuerit, fecerunt, constituerunt, creaverunt et ordinaverunt suum et dicti Communis Veneciarum Sindicum, actorem, procuratorem, Negociorum gestorem ac Nuncium specialem, et quicquid amplius dici potest, Nobilem et sapiendem virum dominum Franciscum Cornaro, filium quondam clare memorie domini Marci Cornaro Ducis Veneciarum, absentem veluti presentem, in omnibus eorum et dicti Communis causis, litibus, controversijs et querellis civilibus et criminalibus presentibus et futuris; et specialiter ad solvendum, numerandum et dessignandum nomine et vice et de propria pecunia Communis Veneciarum Reverendissimo in Christo Patri domino Demetrio Vesprimiensi Episcopo, Ambaxatori et procuratori Serenissimi domini Sigismundi Dei gracia Illustris Regis Hungarie, Dalmacie et Croacie etc. Marchionisque Brandenburgensis etc., et Serenissime domine Marie eadem gracia predictorum Regnorum Illustris Regine, duca-

tis septem milia boni auri et justi ponderis, pro solucione et satisfaccione anni novissime elapsi, conplecti in festo Sancti Regis Stephani, scilicet die XX. Augusti proxime elapsi, juxta formam contractus et pacti celebrati Taurini per Excelsum Ducale Dominum Veneciarum cum Illustrissimo Principe domino Ludovico olim Hungarie Rege; et ad recipiendam confessionem recepcionis et dessignacionis dicte pecunie; item ad recipiendum ab ipso domino Episcopo finem, remissionem, absolucionem, quietationem, et pactum de ulterius non petendo, nec non ad recipiendum instrumentum et cartas opportunas de predicta solucione, et fine et remissione cum stipulantibus promissionibus, obligacionibus, penis, cautelis et clausulis opportunis; et generaliter ad omnia alia et singula, que in predictis et circa predicta et in dependentibus et connexis et prorsus externeis necessaria fuerunt et opportuna stb., (mint szokás a megbizó leveleknél).

(A Syndicatusok könyvéből I. köt. 160. l., a velenczei nagy levéltárban.)

Jegyzet. Ezen adónak évenkint történt fizetéséről v. ö. 1847. december 7-iki akadémiai előadásomat, a Magyar Tud. Akadémiának ezen évi Értesítőjében.

403.

A velenczei körtársaság követet határoz küldeni Mária magyar királyné és Zsigmond királyhoz, hogy őket a durazzói párt dolgairól értesitse. 1389.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XII. die XXX. Januarii. Capta: Quod pro reddendo informatum Regem et dominam Reginam Hungarie de his que sentimus de partibus Bossine, et etiam de illis duobus Cardinalibus, qui ituri sunt ad coronandum filium quondum domini Regis Karoli, Collegium Domini, Consiliariorum, Capitum et Sapientum ambarum manuum habeat libertatem mittendi unam sufficientem personam ad partes Hungarie ad significandum sibi predicta pro bono agendorum nostrorum per illum modum, qui dicto Collegio utilis apparebit.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« velenczei államakták R. kötetéből 44. sz. a.)

404.

A Magyarországba küldendő velenczei követnek megbizása. 1389.

Anno MCCCLXXXVIII. indictions XII. die octavo Februarii. Capta: Quia facit pro honore nostri Dominii informare Serenissimum et Excellentissimum dominum Regem Hungarie de hiis, que sentimus, et que tangunt Serenissimas Regias Maiestates Suas, et Regnum et honorem et statum suum; vadit pars, quod mittatur unus noster Notarius sufficiens ad partes Hungarie, per quem notificentur ordinate omnia, que habemus, domino Regi et domine Regine, tam de literis nobis missis per dominum Thomam de Sancto Severino, quam de casu occurso galee Zadratinorum, et de captione domini Episcopi Isagrabiensis, et aliorum captivorum, et de ordine, quem dedimus galeis nostris Culfi, quas misimus ad partes Sicilie et alia loca occasione galee predicte, ut non adimpleret malum propositum suum. Que omnia eis notificare deliberavimus, quia honorem et statum Excellentie Sue et Corone et Regni Hungarie velut nostrum proprium reputamus, et indendimns perpetuo reputare; et vadat iste noster nuntius cum illa commissione et informatiene in predictis et circa predicta et alia, que videbuntur ei committenda, sicut videbitur Collegio vel maiori parti.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XL. kötetéből. 346.)

405.

De Monacis Lőrincz velenczei titkárnak utasitása, ki követi megbizással küldetik Magyarországba. 1389.

Anno MCCCLXXXVIII. indictione XII. die X Februarii. Capta in Collegio: Quod mittatur Laurentius de Monacis Notarius noster in Hungariam cum ista commissione:

Laurenti! vade solicite ad presentiam Serenissimi domini Regis Hungarie et Excellentissime domine Regine, quos sub nostris literis credulitatis parte nostra salutabis cum illis

honorabilibus et pertinentibus verbis, que pro honore Maiestatum Suarum et nostri Dominii videris convenire, offerendo nos et nostrum Commune ad cuncta concernentia conservationem status Corone et Regni sui, quam ut propriam exoptamus. Deinde expones Maiestatibus Suis, quod perseverantes in sincero proposito nostro, vigilavimus et continuo vigilamus ad obstandum totis viribus quibuslibet propositis et imaginationibus, quas emuli Corone et Regni sui fecerunt et faciunt in damnum et detrimentum honoris et status sui. Unde multis mensibus iam elapsis sentientes, quod Jadratini armaverant unam galeam, quam mittere intendebant Gaetam ad dominam Margaritam pro conducendo eam vel filium ad partes Dalmatie, mandavimas Capitaneo nostro Culphi, quod cum omnibus galeis sibi commissis, que fuerunt sex numero, staret attentus et paratus ad sentiendum de viis et progressibus galee predicte, et quod teneret modum omnino, quod in reditu suo haberent linguam de ipsa galea, et in casu quo invenirent in ea predictam dominam Margaritam vel filium, tenerent modum de habendo ipsos in manibus suis; per quem ordinem ipse Capitaneus noster misit galeas suas ad partes Sicilie et ad alias partes cum tali et sic sufficienti ordine, quod semper informatus extitit de motibus et viis suis, et in reditu, quem faciebat, pervenit ad manus partis galearum suarum, sed habito clare et manifeete, quod neuter predictorum eant in ipsa galea, nulla novitas vel motus per nostras galeas factus fuit. Postea narrabis, qualiter per litteras domini Comitis Montis Caucensis singularissimi amici nostri informati fuimus, qualiter, sicut Domino placuit, galea predicta in principio mensis Januarii in aquis Taranti naufragium passa fuit, et qualiter in ea erat dominus Paulus olim Episcopus Zagrabriensis, dominus Johannes de Grisogonis et Cresius eius frater, qui captivi sunt ipsius domini Comitis; penes quem reperta est una littera ipsius domine Margarite, que multum nostro iuditio tangit statum suum. Et propterea volumus remittere ad presentiam Maiestatum Suarum cum copia litterarum ipsius domini Comitis et domine Margarite, ut sint de omnibus informati; quia honorem et statum suum et sue Corone velut proprium reputavimus, et intendimus perpe-

tuo reputare. Uteudo his et aliis verbis, que tibi videbuntur circa istam nostram intencionem. Et expositis predictis, ac habita responsione ipsorum dominorum Regis et Regine, accepto honore et devoto commeatu, Venetias revertaris, de omnibus factis deinde plenarie informatus. Visitabis quoque illos Prelatos et Barones, quibus nostras litteras mittimus, si eos invenies, cum illis verbis, que tibi videbuntur; et quicquid ab eis habueris, nobis in tuo reditu particulariter declarabis. Insuper quia istis diebus preteritis recepimus unam litteram dicti domini Regis pro factis Francisci de Bernardo, cuius copiam tibi dari fecimus pro tua informatione, volumus et committimus tibi, quod caute et dextro modo procures sentire, si ipsa littera processit a Curia Regia, et de consensu et voluntate sua, quia est tenoris non bene rationabilis nec honesti. Et in casu quo habeas, quod ipsa littera processerit a Curia et de mente Regia, tunc cum illis verbis et rationibus, que sapientie tue videbuntur, debeas facere excusationem domino Regi de facto predicto, quia nos volumus habere bonum consiliuum et deliberationem superinde, et habemus, quod non habeat ius in pecunia, quam petit. Si autem haberes, quod processisset per alium modum, nichil dicas de facto, sed cum eo, quod senseris, posito fine factis tibi commissis, Venetias revertaris.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« velenczei államaktákból R. köt. 49. sz. a., a velenczei nagy levéltárban.)

406.

A dalmatiai városok Mária magyar királyné és Zsigmond királynak hűségében. 1389.

Ladislaus de Losonch Regni Sclauonie Banus, Dalmacieque et Croacie Gubernator, ac Regii exercitus Capitaneus Generalis amicis suis dilectis Rectori, Judicibus, Consilio et Communi Ciuitatis Spalati salutem et dileccionis affectum. Querelam a fidelibus nostris Traguriensibus accepimus, quod vos indebite contra eos non cessatis iniuste infere eis damna non modica, auferendo eis bona sua. Quod si sic est, moleste ferimus; nam et vos subditos Regie Maiestatis et fideles, et

fratres vestros sic tractare non debetis quidem; et nos vos requirimus, et nichilominus presentibus damus in mandatis, vt eosdem Tragurienses deinceps benigne et vt fratres tractare velitis, nullatenus iniuriam, offensam vel damna in bonis et personis eorum per vos vel vestros inferentes. Ymo similiter precipimus et mandamus, vt si que violencia eis per vestros facta sit, eis iusticiam pro fauore faciatis; secus non facturi nostri amore. Et vicissim, si quam forte cum Traguriensibus causam haberetis; illam coram nobis prosequi debeatis, vt omnibus reddimus iusticiam. Data Jadre V. die mensis Junii MCCCLXXXVIIII. Presentes autem post lecturam reddi iubemus presentanti.

(Eredetie Spalato város levéltárában.)

407.

Tvartko II. István szerb és boszniai király követet küld a velenczei köztársasághoz. 1389.

Anno MCCCLXXXVIIII. indictione XII. die X. Junii. Capta: Quod pro honore nostri Dominii, et ut possit haberi informatio eorum, que dominus Rex Bosnie significat nobis per istum Ambaxatorem, qui est in Cherso, scribatur Capitaneo nostro riperie Istrie, quod recepto presenti mandato ire debeat cum ligno sibi commisso ad partes Chersi ad levandum ipsum Ambaxiatorem, et conducendum usque Caprulas, eundo solicite et cum bono ordine, ita quod cito redire possit ad suam custodiam, et dimittendo barchas suas ad custodiam, ita quod contrabanna non fiant.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XLI. köt. 39. l.)

408.

A velenczei köztársaságnak válasza ezen követségre. 1389.

Anno MCCCLXXXVIIII. indictione XII. die VI. Julii. Capta: Quod respondeatur Ambaxatori Serenissimi domini Regis Bosne. Et primo ad primam partem de possendo

extrahere de Venetiis seu de aliis partibus per Civitatem nostram libere certa arma sibi necessaria pro factis suis: quod libenter complaceremus Maiestati Sue in cunctis possibilibus, sed Civitas nostra est ita conditionata, datiaque ordines nostri ligati, quod nullo modo hoc facere valemus, et propterea ipse solvendo datia nostri Communis potest hoc facere ad beneplacitum suum. Una rogamus Suam Excellentiam, quod non gravetur, si ipsos nostros ordines infringere non valemus.

Ad aliam partem de possendo extrahere galeas suas, quas habet in nostro Arsenatu, et conducere ad loca sua: respondemus quod de hoc sumus valde contenti; sed ad partem de faciendo eas sociari per galeas nostras Culphy propter cursores, qui sunt intra Culphum, sic dicimus; quod galee nostre ad presens non sunt in istis partibus, sed in partibus valde remotis pro arduis factis nostris, itaque hoc facere non possemus; et propterea rogamus, quod placeat habere nos merito excusatos.

Ad id autem, quod ipse Ambaxiator dixit de interpositione, quam ipse dominus Rex offert se facturum inter dominam Reginam Margaritam et nos, ac verbis sibi dictis per Ambaxatorem ipsius domine Regine, respondemus; quod nos et nostrum Commune semper optavimus et optamus vivere pacifice et quiete cum omnibus, et propterea quandocumque nobis aliquid dicetur de factis ipsius domine Regine, nos audiemus id, quod nobis dici faciet.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XLI. köt. 51. l.)

409.

VI. Orbán pápa apostoli nunciusnak Radolinai Pétert vladiszlaviai prépostot küldi Magyar- és Lengyelországba. 1389.

Urbanus Episcopus etc. dilecto filio Magistro Petro de Radolina Preposito Ecclesie Wladislaviensis, Utriusque Juris Doctori, Referendario nostro, Apostolice Sedis Nuncio salutem etc. Cum te, de cuius diligentia, fidelitate et prudentia, aliisque virtutibus, quibus, prout experientia certa nobis

innotuit, te Dominus insigniuit, pro certis arduis nostris et Apostolice Camere per nos tibi commissis negotiis ad Ungarie et Polonie Regnorum, et Prouincie Gneznensis, et nonnullas alias partes presentialiter destinemus stb. Datum Rome apud Sanctum Petrum IX kalendas Septembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

(VI. Orbán pápa regestáiból.)

410.

Zsigmond király és Anjoui Lajos király kibékülvén, ez utóbbinak hatalmában lévő Bari olasz, s Sibenico, Spalato és Scardona dalmatiai városok közti egyezkedés. 1389.

Gabriel de Maledixiis de Parma Capitaneus et Castellanus Ciuitatis et Castri Bari, pro parte Illustrissimi Domini domini Ludouici Secundi Dei gracia Jerusalem et Sicilie Regis. Licet retrolapsis temporibus inter me et Communia Ciuitatum Sibenici et Spaleti eorumque Districtus parcium Dalmacie exortis guerris, dampna et offensiones et displicencie geste fuerint, prout earum inter partes surrexerunt euentus; et demum littere Illustrissimi et Serenissimi domini Regis Vngarie mihi presentate per Donatum de Preumo de Sibenico pro parte Egregij viri Andree Cipriani de Sibenico Capitanei galearum Sibenici, subscriptiue narrantes, Ciuitates Sibenici et Spaleti et earum Districtus fore ad fidelitatem et obedienciam Maiestatis predicte; quia ipse dominus Rex cum Illustre et Serenissimo Domino meo domino Ludouico Rege predicto se conueniunt affectione paterna; esset namque incongruum, quod subiecti Dominorum vestigia non sequantur; vt reiectis preteritis, ac si facta aliqualiter non fuissent, de cetero velim cum ipsis Communibus pacificare, et viuere sicut cum fratribus et amicis respectu Maiestatis predicte; advertendo, quod non deberent addi mala malis, nec error sit erroribus prosequendus. Quoniam Maiestas predicta me requirit, et vos quoque predictarum Vniuersitatum nomine me, vti predicitur, de pacificacione requiritis; cuius scriptiones loco recipio mandatorum, et vestris precaminibus uti fra-

ternalibus : presencium tenore vobis predicto viro Egregio Andree Cipriani de Sibenico, Danieli Marini et Martino Nicolai de Sibenico Consiliariis Capitanei ipsorum; decerno pariter et declaro vobis dictarum Ciuitatum Sibenici et Spaleti, earumque Vniuersitatum et Communitatum, ac singularitati earum nomine: quod omnes molestias, offensiones, inimicicias, nouitates et dampna, ciuilia vel criminalia, quomodocunque vel qualitercunque illata mihi, Barensibus, et quibuscunque meis, in personis vel bonis, per homines dictarum Ciuitatum Sibenici et Spaleti, vel dependentes ab illis, quocunque ingenio vel colore ipsis retrolapso tempore, remitto et eos ex ipsis libero, absoluo, perpetuo pariter et quieto per promissionem et pactum de illis vlterius non petendis, meque cum illis reducens ad amicicie federa; et volo amicorum more cum eis viuere tanquam cum fidelibus Regis predicti Vngarie affectione fraterna. Et vt predictis reiectis amoribus predicta meliori robore futuris temporibus innotescant, pro me et meis Barensibus nomine N. N. mero puro animo et bona fide promitto ex nunc dictis Sibenicensibus et Spaletensibus, ipsos eorumque iuri subiectos in generali seu speciali, ac eorum bona vbique tractare, habere, tenere et reputare vt fideles dicti domini Regis Vngarie. meosque vt amicos et fratres, vbique in mari vel in terris esse seu reperiri contigerit. Et cum ad Ciuitatem Barensem, seu terras et loca mee jurisdiccioni subiectas omnes, ciues et homines terrarum cum eorum nauigiis ire vel declinare contigerit, eritis in aduentu, mora vel reditu vt amici et fratres semper in vestra libera potestate, nullamque vobis impendere offensam, obstaculum vel iacturam, sub pena et ad penam ducatorum auri MM paruorum, pro Vniuersitatibus predictis, et alio pro eis in banno, si contrafacerent, ciuibus singulis irremissibiliter exigendorum, sibique per omnia sine aliquo defectu cum efficacia soluendorum. Cum pacto, quod postquam per vos similes promissiones mihi facte sint, cum pro meliori cautela a Comite terrarum predictarum consimiles littere necessario sint habende; mihi reseruo, quod per totum mensem Octubris proxime futurum XII. indiccionis procurabitis a Comitibus et Officialibus terrarum predictarum mihi consimiles litteras promissionum

mittere et assignari facere curabitis. Aliter si in predicto termino ipsas mihi assignari facere non curabitis, presentes mee promissiones nullius esse intelligantur roboris et efficacie. In cuius rei testimonium et obseruacionem premissorum presentes meas dedi promissionis litteras mei impressione sigilli munitas. Datum in Regio Castro Barri anno Domini MCCCLXXXVIIII. die vigesimo mensis Augusti XII. indiccionis.

Post datam. Quia Castrum Scardone et terra, partium Dalmatie, cum dictis Sibenicensibus in vnione ligatum, obliuione in predictis non extitit denotatum : quare cum ipsis, sicut in predictis, ad pacificacionem me reduco, et esse volo de cetero cum eis in eadem vnione et pace, sicut si quid particulariter dictum esset, dictisque promitto promissa seruare. Data die, loco, mense et indiccione superius denotatis.

Post predicta, et predictis addo per promissionem et pactum conuentum, quod si galea et fusta armata dictarum terrarum Sibenici, Spaleti et Scardone ex quibuscumque Ciuitatibus venient ad portus Ciuitatis Barri et locorum subiectorum mihi; illas ibidem receptabo, et receptari faciam ac recipi infra Ciuitatem et terras easdem, si voluerint; eisque dari faciam exhiberi forragia et alia, que voluerint, congruis pretiis eorum pecunia mediante. Actum vt supra.

Presentate autem per virum nobilem ser Danielem Marinum de Sibenico die perultima Augusti MCCCLXXXVIIII. indictione XII.

(Spalato város regestumaiból.)

411.

Frangepán Jánosnak a velenczei kormánytanács. 1389.

Anno MCCCLXXXVIIII. die septimo Obtubris. Capta : Quod respondeatur isti Nuncio et Ambaxatori domini Comitis Johannis Segne, quod Deo teste multum nos gravat, quod inter Magnificentiam Suam et illos dominos Corbavie orte sunt iste differentie et ista scandala ac errores; quia vellemus libenter, quod Magnitudo Sua viveret in pace

et benivolentia circavicinorum suorum, et precipue dictorum attinentium suorum, quia sicut scit, ex guerris sequuntur male et mala, et oppositum ex pace; et ad hoc hortamur eum quantum plus possumus. Ad aliam autem partem in qua tangit, quod in casu quo eis moveat guerram, placeat dare auxilium et favorem; nos sic dicimus, quod dominus Comes Johannes potest reddere se certum, quod in cunctis possibilibus alacriter complaceremus sibi; sed considerantes, quod ambe partes sunt subdite domini Rogis Hungarie, suntque amice nostre, non videretur nobis honestum impedire nos in factis predictis causis predictis et aliis, quibus possunt esse sibi nota. Et propterea rogamus, quatenus placeat nos habere rationabiliter excusatos.

Die XII. Octobris. Cum Magnificus dominus Comes Johannes Segne singularissimus amicus nostri Dominii notificare nobis fecerit per suum Nuncium, quod Comites Corbavie attinentes sui diffamaverunt eum in Curia domini Regis Hungarie et per totum Regnum, propter quod consulere voluit alios propinquos et amicos suos, qui considerata infamia predicta dixerunt et consuluerunt sibi, quod pro conservatione honoris sui et domus sue non potest facere, quin aut personaliter secum pugnet aut eis publicam guerram faciat; propter quod ipse misit nuncium suum ad dominum Regem et Reginam ad requirendum, ut possit ei movere guerram, quod ipse etiam notificat nobis tamquam singularibus amicis domus sue; rogans, ut in casu quo procedat ad dictam guerram, placeat dare sibi auxilium et favorem ad obtinendum suam intentionem. Et pro honore nostro faciat, consideratis his, que semper ipse dominus Comes fecit in honorem et statum nostrum, ostendere ei, quod nos habeamus memoriam predictorum, et quod non sumus ingrati; vadit pars, quod respondeatur Nuncio ipsius, quod multum gravat nostrum Dominium, quod inter Magnificentiam Suam et illos Dominos de Corbavia orte sint iste differentie et errores, que possent esse causa tanti mali; et non dubitamus, quod Serenissimus dominus Rex predictus tamquam sapientissimus Dominus providebit de remedio opportuno reconciliationis, quietis et pacis. Sed si propter alias occupationes non posset ad id attendere, nos ob singularem amorem, quem ge-

rimus ad Magnificentiam Suam, nos offerimus ad mittendum nostrum Ambaxatorem pro interpositione quietis et pacis, quando procedat de beneplacito suo et Dominorum de Corbavia predictorum. Et propterea in dicto casu ipse poterit notificare nobis suam intentionem, qua habita, procurabimus sentire de intentione illorum Domiuorum Corbavie, et procedemus secundum quod honori nostro et suo melius videbimus convenire.

Die XVII. Obtobris. C a p t a : Quod respondeatur isti Ambaxatori et nuncio Magnifici domini Comitis Johannis Segne ad requisitiones, quas nobis modo de novo fecit.

Et primo ad primam partem possendi soldare centum ballistarios in Venetiis, quos conducere possit ad loca sua; quod licet, sicut ipsi domino Comiti potest plenissime notum esse, terra nostra propter guerras et mortalitates preteritas sit multum spoliata et diminuta talibus ballistariis, nosque non sumus soliti velle, quod disperdantur per alias partes, quia sunt multum necessarii statui nostro; tamen ob contemplationem ipsius domini Comitis Johannis, et ut videat sinceram dispositionem nostram, sumus contenti, quandocumque sibi necesse fuerit, quod possit soldari facere quinquaginta ballistarios pro pecunia sua, et conducere ad loca sua, sicut requirit.

Ad secundam partem de bombardis, quas requirit mutuo a nostro Communi; respondeatur, quod ad presens Commune nostrum est male fulcitum dictis bomdardis, quia multe nobis necessarie fuerunt in Tervisana, quam noviter habuimus, et omni die fieri faciamus de allis; sed dominus Comes bene inveniet de eis in Venetiis, de quibus fieri faciemus bulletum, et similiter de ballistis et armis, que sibi fuerint opportuna.

Ad alteram partem de pecunia, quam requirit a nobis mutuo etc.; respondeatur ipsi Nuncio cum illis verbis, que Domiño videbuntur, excusando se de hoc propter longas guerras nostras et infinitas expensas, quas passi fuimus, ita quod non gravet nos de hoc.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XLI. köt. 97. l.)

412.

Tvartko II. István szerb és boszniai királynak a florenczi köztársaság. 1389.

Regi Bossine.

Serenissime atque Christianissime Princeps. Gloriosissimam victoriam, quam Omnipotentis et Eterni numinis inenarranda benignitas, ab alto respiciens gregem suum, Serenitati Vestre concessit, vestrarum litterarum serie gratulanter accepimus, et in ipsa cum Majestatis Vestre culmine letis animis exultamus. Nam quamvis jam diu tryumphum hunc Sublimitati Vestre celitus traditum tum fama, tum multorum scriptionibus nostra devotio percepisset, nobisque notissimum foret die XV. mensis Junij proxime elapsi superbam temeritatem, temerariamque superbiam Maomecthicole Lamoratti, qui Frigum sive Turchorum imperio violenter adepto, Christianitatem, et salvatoris nostri nomen ex orbis facie tollere cogitabat, et si potuisset, de libro viventium abolere, quique stulte fines vestrorum Regnorum invaserat, in loco qui campus Turcorum dicitur, cum infinitis gentium suarum milibus, cumque duobus filiis, multo cum sanguine cecidisse; nichilominus tamen hoc fuisse humilitati nostre per Regales litteras intimatum et gloriosum et gratissimum nobis fuit. Quid enim potuit nobis veris Christi cultoribus pulcrius aut gloriosius nuntiari, quam pugna illa cunctis memoranda temporibus, qua tot Trojanorum infideliumque milia, cum illo Duce terribili ciderunt? Felix tante stragis campus, qui cesorum ossa, eternum victorie munimentum, in etates plurimas reservabit. Felix Bosne Regnum, cui contigit tam gloriosum certare certamen, tantamque in Christi dextera victoriam obtinere. Felix et illa dies, ac Beati Viti Sanctissimi Martiris celebris et veneranda memoria, qua datum est hostem illum ferocissimum superare. Felices et ter quaterque felices duodecim illa Procerum jurata manus, qui turmas hostium perrumpentes, concatenatosque in circuitu camelos ad Lamoratti tentorium, aperientes viam ferro, vigorosissime pervenerunt. Felix et ille super alios, qui ducem tante potentie, gutturi atque inguini

adacto gladio, fortiter interemit; beatique cuncti, qui glorioso martirij genere, quasi victime cesi ducis, super illud immane cadaver vitam et sanguinem effuderunt. Sed omnium felicissima est Vestra Majestas, quam tam gloriosa victoria nunquam abolende memorie consecravit, cuique, si veri Christi pugilibus et athletis Regnum Dei, ut pie credendum est, preparavit Omnipotens, vera illa et interminabilis gloria reservatur. Illi ergo cunctarum rerum autori Deo, cuius pugnam, tam feliciter pugnavistis, infinite sint laudes et gloria; Vestreque Majestati talis et tanta gratia sit, qualis et quanta potest verbo promi aut animo cogitari, que nostram humilitatem dignata fuit tante felicitatis, tam benigne et tam amicabiliter nedum facere consciam, sed participem et consortem. Feliciteti itaque Deus Majestatem Vestram, cui nos et Commune nostrum devotissime commendamus ad exaltationem Vestri Culminis et totius Christianitatis columen et honorem. Data Florentie die XX. mensis Octobris XIII. indictione MCCCLXXXVIIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive,« stb. czimű okták közt XXI. köt. 137. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

413.

Velenczében tanácskozások, miszerint a köztársaság avatkozzék-e Dalmatia belviszonyaiba? 1389.

Anno MCCCLXXXVIIII. die XXIII. Novembris. Ser Michael Contareno, ser Gabriel Aymo Miles, Consiliarii. Cum alias MCCCLXXXVIII. mensis Augusti captum et deliberatum fuerit in hoc Consilio in maxima unitate, quod unus fidelis nostri Dominii, qui ex parte unius amici tetigit et movit nobis verba de facto Jadre et aliorum locorum Dalmatie, deberet respondere illi amico ex parte nostre Dominationis cum efficacibus et bonis verbis, et dando sibi bonam spem, ac laudando modum recordatum per amicum, et in conclusione responsionis facte per nos illi amico fiat mentio, quod ipse amicus tamquam sapiens potest videre et examinare istud factum, et informare nos de his que habebit, et de omnibus, que occurrent, et tunc nos

dabimus ei nostram responsionem secundum quod convenire videbimus etc., sicut in dicta parte ordinate cavetur. Et modo do novo per omnes nostros amicos nobis notificata fuerint verba aliqua tam super factis Jadre quam aliorum locorum Dalmatie, et laudant et ortantur amici, quod nos mittere debeamus nostram Ambaxatam ad Communitatem Jadre, et ad alia Communia Dalmatie, ad offerendum nos de interpositione differentiarum, quas habent inter se, ita quod possint vivere inter se pacifice et quiete et in bono et tranquillo statu; et laudat amicus hanc opinionem pro accipiendo animum populorum propitium et benignum, et pro honore nostri Dominii, bono agendorum nostrorum et conservatione nostri Status faciat providere super hoc; vadit pars, quod mittatur unus noster Nuntius sufficiens, sicut videbitur Collegio, cum litteris nostris credulitatis ad Communitates Jadre, Tragurii et ad alia loca, que videbuntur Collegio; quibus facta salutatione ac oblatione generali cum verbis amoris et dilectionis, exponere debeat ista modica verba in suo Consilio, in quo sint quam plures et in quam maiorem quantitatem poterit facere congregari: quod intellecto per nos de certis differentiis, quas habent ad invicem, tamquam boni vicini et amici recepimus et recipimus displicentiam in cordibus nostris, quia desideravimus et desideramus honorem et bonum statum suum velut nostrum proprium. Et volentes per effectum demonstrare sinceram et optimam dispositionem nostri Dominii erga eos, offerimus nos paratos, placendo eis, de eligendo et mittendo nostram Ambaxatam pro concordando eos in simul, et pro removendo omnes differentias, scandala et errores inter eos, sequendo vestigia progenitorum nostrorum, ita quod vivant inter se in pacifico et bono statu secundum desiderium suum et nostrum; et cum eo, quod noster Nuntius habuerit et fecerit, redeat ad nostram presentiam de omnibus plenissime informatus, et tunc erimus ad istud Consilium, et fiet, sicut videbitur utilius et melius pro factis nostris. De parte XXXVI.

Ser Andreas Donato, ser Petrus Pisani Consiliiarii; Ser Ludovicus Faletro, ser Nicolaus Delphino, ser Michaletus Trivisano, Capita de XL, Sapientes Consilii. Capta : Quia ista negotia sunt magna et ardua, et tangunt vehementer

Statum nostrum; vadit pars, quod pro manifesto bono et utilitate agendorum nostrorum supersedeatur in his factis usque per totum mensem Decembris proxime venturum; et si ante venient nova, per que appareat de veniendo ad istud Consilium, erimus hic, et fiet, sicut videbitur utilius et melius pro statu nostro. De parte LVIII, de non I, non sinceri XII.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt. 50. sz. a.)

414.

A velenczei kormánytanács Mária magyar királynét és Zsigmond királyt tudositja a Boszniában készülő dolgokról 1390.

Anno MCCCLXXXVIIII. indictione XIII. die XXX. Januarii. C a p t a : Quod pro reddendo informatum Regem et dominam Reginam Hungarie de his, que sentimus de partibus Bossine, et etiam de illis duobus Cardinalibus, qui ituri sunt ad coronandum filium quondam domini Regis Karoli; Collegium Domini, Consiliariorum, Capitum et Sapientum ambarum manuum habeat libertatem mittendi unam sufficientem personam ad partes Hungarie ad significandum sibi predicta pro bono agendorum nostrorum, per illum modum, qui dicto Collegio utilis apparebit.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt. 50. sz. a.)

415.

De Monacis Lőrincz mint velenczei követ Magyarországban. 1390.

Anno MCCCLXXXVIIII. indictione XIII. die tercio Februarii. In Collegio Domini, Consiliariorum, Capitum et Sapientum ambarum manuum vigore suprascripte libertatis. Capta : Laurenti! Vade ad presentiam Serenissimi domini Regis et Excellentissime domine Regine Hungarie cum nostris litteris credulitatis, quas tibi fecimus exiberi; quibus et utrique eorum

facta cordiali salutatione et generali oblatione cum illis verbis, que tue sapientie videbuntur, expones, qualiter intendentes perseverare in sincera dispositione nostra et cordiali caritate, quam habemus ad Maiestates Suas et statum suum, dedimus et continuo operam damus de sentiendo de his, que tractantur et fiunt, et precipue tangentibus conservationem Regni et Corone sue, ut possimus eos reddere de omnibus informatos ad finem, quod possint providere secundum quod viderint opus esse. Et propterea notificamus eisdem, quod noviter informati fuimus, quod dominus Innocentius Papa in publico Consistorio pronuntiavit et publicavit in Regem Apulee filium condam domini Regis Karoli, et deliberavit mittere duos de Cardinalibus suis, qui sunt de proximo recessuri, ad coronandum eundem de Regno predicto.

Item sentimus, quod dominus Rex Bossine de novo acquisivit et habuit castrum Clisse, et similiter castrum Vrane; et multum vigilat ad acquisitionem et occupationem terrarum et locorum Dalmatie in tantum, quod apparet, dictas Civitates et loca esse in maximo dubio et timore, dubitantes, non posse resistere potentie dicti Regis et oportere subiugari sibi. Et ut audimus, ipse Rex dicit facere supradicta pro filio predicti domini Regis Karoli, et quod quicquid acquirit, nomine suo acquirit. Et licet certi simus, quod dominus Rex et domina Regina predicta hec per alias vias etiam habere potuerint; tamen moti sincera caritate nostra, quam indefesse habere intendimus ad conservationem status sui, timentes dubia et pericula, que iuditio nostro videre videmur, si filius condam domini Regis Karoli intraret Dalmatiam, deliberamus ipsa parte Serenitatibus Suis facere manifesta, ut possint ante tempus occurrere, et sic sufficienter de utilibus et necessariis remediis providere, quod non occurrant aliqua, que sint statui suo importabilia vel molesta. Et expositis predictis, ac habita responsione ab ipsis domino Rege et domina Regina, redeas Venetias, sumpto amicabili commeatu, quam citius poteris de omnibns informatus. Si vero ipse dominus Rex vel domina Regina, donec ibi eris, dicerent tibi, vel facerent aliquam mentionem de factis Dalmatie, vel de aliquibus aliis, que possent spectare et tangeres statum nostrum; debeas respondere, quod

super talibus nullum mandatum habes a nobis, nec ullam responsionem dare posses, sed si placet Maiestatibus Suis aliqua tibi committere vel dicere, ipsi possunt dicere, quecumque eis placent, quia tu venies ad presentiam nostram, et referes quecumque eis placuerint, et nos postea providebimus secundum quod nobis videbitur opus esse pro honore Sue Excellentie et nostro. Verum quia leviter verba alias tibi dicta per dominam Reginam ipsa posset petere a te, si tu dixisti nobis ipsa verba, et quid nos respondimus; debeas respondere, quod tunc, quando Maiestas Sua tibi dixit verba predicta, si bene recolis, voluisti declarari, si Maiestati Sue placebat, quod illa nobis refereris, et ipsa non respondit; propter quod considerante te, quod ipsa Maiestas Sua dixerat tibi in magno secreto, tu noluisti facere mentionem, sed bene potes testificari Serinitati Sue et mundo, quod Dominatio nostra est talis nature, quod si promitteremus sibi vel alteri quicquam propter aliquam causam, nos infallibiter omnibus postpositis attenderemus, quecumque promitteremus.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. kötetéből 50. sz. a.)

416.

A velenczei köztársaság ügynököt küld Dalmatiába a békesség fenntartássa végett. 1390.

Anno MCCCLXXXX. indictione XIII. die XXVIIII. Aprilis. Capta: Quia propter condiciones et terminos, in quibus presentialiter se reperiunt Communitates Dalmacie, debemus habere mentes nostras ad facta predicta, ut adveniente hora et tempore, possint fieri et procurari ea, que habeant statum nostrum securum reddere temporibus in futuris; vadit pars pro possendo habere plenam et claram informationem de omnibus condicionibus partium predictarum, et de voluntatibus et intencionibus dictarum Civitatum, et in speciali pro possendo conferre cum illo amico de Tragurio, qui scribit civi nostro, quod mittatur ad partes illas cum una nostra barcha armata unus noster Nuncius sufficiens et discretus

cum ista commissione et sub isto colore et cautela, videlicet quod dictus noster Nuncius vadat, et se presentet cum nostris literis credulitatis coram Regiminibus Sibinici, quibus facta salutatione amicabili et oblatione cum illis utilibus et amicabilibus verbis, que sue sapientie videbuntur, dicere debeat, quod sicut eis scripsimus noviter ad audientiam nostram per querelam aliquorum nostrorum civium est deductum, quod euntibus eis cum una sua barcha et cum nostris literis per Dalmatiam cum certis suis mercationibus, raminibus et aliis bonis eorum, eis per aliquos subditos suos in aquis suis accepta fuit barcha cum omnibus mercationibus et bonis eorum, et nudi in maxima miseria relaxati; de quo certissime mirati fuimus et miramur, considerata caritate, quam gessimus et gerimus ad Communitatem suam, et generaliter ad omnes Communitates Dalmacie, et ad conservationem eorum, et quam dulciter et fraterne suì tranctantur a nostris in omnibus aquis et locis nostris; nam firmiter tenebamus, quod in terris et districtibus suis nostri mercatores et cives cum barchis, navigiis, bonis, et mercationibus suis possent stare et sine molestia navigare, ita quod non damnificarentur ab eis, sed pocius defenderentur, si necesse foret. Verum quia non dubitamus, quod predicta violentia et novitas facta fuit preter conscientiam et voluntatem suam, et quod eis displicuit et displicet non minus quam nobis; rogamus benivolentiam suam, quod placeat tenere talem modum, quod damna emendentur, et quod satisfiat nostris civibus ea passis, taliterque de cetero providere et regulare subditos suos, quod nostri in illis partibus conversantes non damnificentur ab eis, nec similiter alia navigia, que venirent ad Civitatem nostram, et de ea redirent ad partes suas, ut alias eis dici fecimus, quemadmodum constanter dispositi sumus, quod sui nullo modo damnificentur a nostris, ymo tractentur in omnibus locis nostris fraterne, benigne et secure, et ut proprii nostri cives, et melius, si melius fieri poterit. Et circha obtinendam istam nostram intencionem debeat noster Nuncius cum illa honestate et dextero modo, qui sue sapientie videbitur, facere posse suum, ita quod damna predicta emendentur. Et cum eo, quod fecerit et habuerit, prosequatur viam suam ad partes Tragurii, ut inferius conti-

netur. Sed nichilominus si eo tempore, quo stabit in Sibinico, per aliquos fieret mentio de oppressionibus suis, et de sua necessitate, dicendo, quod est eis necessarium, ut provideant conservationi sue, et quare non ponimus ad hoc mentem nostram, et aliqua alia similia verba spectantia ad intentionem nostram, propter quam principaliter eum mittimus; tunc noster Nuncius predictus dicere illis talibus debeat, quod ad hoc nullam responsionem dare posset, quia nichil habet in mandatis a nobis, tamen tantum eis dicere et asserere potest de intentione et dispositione nostra, quod nostra Dominatio est tantum bene et humane disposita versus eos et totam Dalmatiam ac suam conservationem, quantum esse posset versus proprios cives suos, quia sic eos reputamus et reputare dispositi sumus in casibus quibuscumque, sicut clare viderent per effectum operum, si in aliquo nos requirerent. Nichilominus dictus Nuntius cum illa industria et per illos honestos modos, que sue sapientie videbuntur, monstrando semper a se dicere et facere, procuret trahere et sentire de sua intentione et dispositione, et si sunt in una opinione vel pluribus, et in quibus, et quomodo se intelligunt, et quomodo uniti sunt cum Jadratinis, Tragurinis et Spalatinis, et quomodo oppressi sunt, et qualiter se valere putant, et similiter quomodo exequi possent intenciones, quas haberent, et omnia alia, que trahere et sentire poterit, ut in suo reditu de omnibus plenissimam informationem habere valeamus. Quando autem erit in Tragurio, debeat comparere cum nostris litteris credulitatis coram Rectoribus dicte terre, et facta illa salutatione, que sue sapientie videbitur, dicere debeat, qualiter propter certa damna nuper aliquibus nostris civibus illata in aquis Sibinici per certos homines dicte terre, qui per vim arripuerunt unam suam barcham cum omnibus bonis et mercationibus in ea contentis, nos providimus, eum mittere ad presentiam Rectorum terre predicte ad procurandum emendam et satisfactionem damni predicti pro indemnitate civium nostrorum damna passorum sicut debitores sumus, et ad rogandum, ut de cetero provideant per modum, quod talia vel similia non occurant in bonis mercationibus et navigiis nostrorum, nec etiam aliorum, qui venirent ad Civitatem nostram, et inde recederent, sicut eos

rogari fecimus anno preterite. Unde videntes, quod veniebat tantum ante, mandavimus sibi, quod deberet comparere similiter coram eis propter damna data, ut sciunt, anno elapso in partibus suis brigentino nostro, quod veniebat Venetias de partibus Mothoni, ad sciendum, si aliquid recuperatum fuit, ut promiserunt, de rebus ablatis, et rogandum, ut placeat providere, quod toto suo posse ipsa damna recuperentur, et quod de culpabilibus fieret debita punicio, uti alias per nos fuerunt requisiti; et similiter, quod providerent per talem modum, quod nostri non damnificentur de cetero in partibus suis, nec alie nationes, que venirent ad terram nostram, offerendo se ultimate ad cuncta concernentia honorem suum, bonum et conservationem status sui, tanquam carissimorum amicorum et benivolorum vicinorum nostrorum. Et habita responsione dicte Communitatis circha ea, que superius dicta sunt, cum eo, quod fecerit et habuerit, ac cum plena informatione condicionum omnium et terminorum, in quibus sunt, et oppressionum vulgarium, et intencionum suarum et omnium aliorum que habere poterit pro nostra declaratione, accepto amicabili commeatu, Venetias revertatur.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt 53. sz. a.)

417.

A magyar tengerpartnak kereskedelmi összeköttetése Aragóniával. 1390.

Anno MCCCLXXXX. die XXVI. Maii. Capta: Quod concedatur Nuncio Admirati domini Regis Aragonum, quod de partibus Segne, Fluminis, et in illis partibus possit cum nostris nauibus extrahere lignamen, et conducere ad partes Aragonum de gracia speciali.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XLI. köt. 185. l.)

418.

A velenczei kormánytanács Plumatio János dalmatiai missiójáról. 1390.

Anno MCCCLXXXX. die XXVI. Maii. Capta: Quia pridie, quando providus vir Johannes Plumacio venit de partibus Sclavonie, amici illi de Dalmacia rogaverunt, ut super illis, que sibi dixerunt, daretur sibi presta respensio; vadit pars, quod cives nostri rescribant amicis suis predictis, quod Dominatio nostra videt et cognoscit bene perfectam et optimam dispositionem, quam ipsi cum omnibus suis habent ad honores et statum nostrum, de quo regraciatur sibi quantum potest, intendens eos semper habere tanquam carissimos suos in quibuscunque casibus cordialiter recommissos. Ad factum principale sibi dicant, quod, consideratis modis servatis per Communitates illas in mittendo suam Ambaxiatam ad Regem Bossine, et terminis, in quibus se reperiunt, non videretur nobis utile pro presenti facere aliam mencionem de his factis.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt. 55. sz. alatt.)

419.

Raguza város hatóságának Syracus siciliai város községe. 1390.

Fratres colendi atque carissimi. Aliis capitibus vobis scripsisse recolimus, quod super exemtione et liberatione juris dohane vestrorum concivium ad Ciuitatem Syracus concurentium per nobilem Matheum de Gradi concivem vestrum plenarium vestre fraternitati dederamus responsum. Verum quia ut melius de intentione nostra eadem fraternitas declaretur, vos duximus seric presentium informandum, quod multis consideratis, que vobis et vestris omnibus nos complacere admonent, dum vos et vestros quoslibet nobis perpendimus placituros, ob quod honores vestri et commoda sicuti propria indife-

renter appetamus, eosdem vestros concives vestre dilectionis intuytu a solutione dicti juris dohane a primo Septembris proximo futuri in antea liberos et exemptos noveritis nos fecisse, prout in litteris nostris patentibus super hujusmodi concessione factis plenissime continetur. Dignum etiam reputamus et honestum, vestram fraternitatem et intercessionem nobilis Mathei prelibati concivis vestri ad hec et alia diligentissimi intercessoris nobisque suis virtutibus exigentibus satis cari debere me — — talia a nobis rationabiliter obtinere, sicuti a vobis confidimus pro nostris omnibus in casu simili consequi valere, imo et majora prosequi semper ad omnia vobis grata. Scripta Syracusii XIII. Junii XIII. indictionis.

Jaymus de Aligona etc. Regni Sicilie
Cancellarius.

Kívül : Magnificis et Egregiis Rectori, Consilio et Judicibus Ciuitatis Raguxii, honorabilibus et carissimis fratribus nostris.

Recepta Syragusio XXIIII. Julii.

(Eredetie a bécsi császári titkos levéltárban.)

420.

Tvartko II. István szerb és boszniai királynak követsége Velenczében. 1390.

Anno MCCCLXXXX. indictione XIII. die XXX. mensis Augusti. Capta : Quod respondeatur istis Ambaxiatoribus domini Regis Bossine de Ambaxiata per eos exposita.

Et primo ad primam partem, per quam ipse dominus Rex communicat nobiscum prosperitates suas tamquam cum carissimis amicis suis etc., quod regraciamur multum Maiestati Sue de amicabili et fraterna participatione, quam facit nobiscum de exaltatione Corone sue et status sui, de quo nos recipimus letitiam et consolationem immensam propter singularem amorem, quem semper habuimus et habemus ad excelsam domum suam, et quanto prosperitas et exaltationes sue forent maiores, tanto nos essemus magis contenti; supplican-

tes Altissimo, ut Maiestatem Suam conservare et augere dignetur secundum desiderium mentis sue.

Ad aliam partem, per quam ipse significat nobis, quod intentio et dispositio sua est velle acquirere Civitatem Jadrensem, sicut aquisivit alias Civitates Dalmatie, et propterea nos rogat, quod debeamus sibi dare auxilium et favorem ad possendum implere istam suam intentionem etc. Respondeatur eis, quod sicut Maiestas Sua plene novit, nos sumus in bona pace et benivolentia cum domino Rege et Corona Hungarie, et in bono amore cum Jadratinis, quam infringere non vellemus, nec possemus, nisi cum magno onere nostre Communitatis et nostri Dominii, quod non dubitamus ipse dominus Rex nullo modo vellet; et propterea rogamus Excellentiam Suam, quod si in hoc non condescendimus votis suis, habere nos placeat merito excusatos.

Ad tertiam partem, per quam se offert velle se interponere ad tractandum concordium et pacem et bonum amorem inter dominum Regem Ladislaum, filium condam domini Regis Karoli, et dominam Margaritam eius matrem ex una parte, et nos ex altera etc. Respondeatur ipsis Ambaxiatoribus, quod teste Deo nos semper sincera mente dileximus Serenissimum quondam dominum Regem Karolum, nec unquam voluimus, potentes habere multas prerogativas et avantagia, aliquid facere vel procurare cum adversariis suis contra statum suum, nec similiter contra statum dictorum suorum filii et uxoris, quia dispositio nostra, excepto quod intervenerit postea aliqua materia scandali et erroris, semper fuit bona et sincera versus eos, eritque in futurum, quia quantum erit in nobis, quandocumque sibi placebit, nos dispositos inveniet et paratos ad volendum cum eis vivere pacifice et quiete ac in bona benivolentia, uti viximus cum domino Rege Karolo supradicto.

Ad quartam partem, per quam ipsi Ambaxatores nobis significant, quod dominus Rex predictus est contracturus parentelam cum domino Duce Austrie; et licet sciat, quod inter ipsum et nos sit sincerus amor, tamen se offert procurare et facere, quod dictus amor et caritas de bono in melius augeatur. Respondeatur ipsis Ambaxatoribus, quod nos volumus

esse manifestum Excelentie Regie, quod nostra Communitas semper coniuncta fuit singulari benivolentia et amore cum Excelsa Domo Austrie, et ad presens notanter est cum domino Duce Alberto. Sed si Deo placebit, quod istud matrimonium compleatur, nos recipiemus tantam consolationem, quantam recipere valeremus, quia unitis ad invicem duabus amicitiis nostris ita perfectis, certi reddimur, quod utriusque partis amor augebitur versus nos, si augeri poterit, et nos etiam maiorem causam habebimus conservandi amorem et benivolentiam utriusque; refferentes infinitas grates Excellentie Regie, quia ita vigilat ad honores et commoda nostra, ad eaque procuranda ita offert liberaliter se paratam.

Ad ultimam vero partem, quam ipsi Ambaxatores exposuerunt, per quam videntur innuere et requirere ligam generalem, videlicet quod amici unius partis sint amici alterius, et inimici inimici etc. Respondeatur ipsis Ambaxatoribus, quod sicut domino Regi et toti mundo notissimum est, Civitas nostra est taliter situata et fundata, quod ex solo exercitio mercature alitur et nutritur. Unde predecessores nostri vigilantes ad conservationem dicte nostre Civitatis procuraverunt habere certa pacta et conventiones cum omnibus, ad que pacta partes obligate sunt, ita quod nullo modo ad istam ligam attendere valeremus, quia possent nimium preiudicium nostro statui generare; et propterea rogamus ipsum dominum Regem, quatenus nos habere vedit excusatos. Reddat tamen se certissimum, quod terras et subditos suos nos semper habebimus ut nostros proprios benigne et favorabiliter recommissos, rogantes, ut versa vice terre et subditi nostri recommissi sint Maiestati Sue.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt. 59. sz. a.)

421.

László siciliai király és magyar ellenkirály megbizottat küld Magyarország főuraihoz. 1390.

Ladislaus Dei gracia Hungarie, Jerusalem, Sicilie, Dalmacie, Croacie, Rame, Seruie, Galicie, Comanie, Bulgarieque

Rex, Prouincie ac Forcalquerii ac Pedemontis Comes, Reuerendis Patribus Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopo Varadiensi, Episcopo Vaciensi, et alijs Prelatis Regni nostri Hungarie et aliorum Regnorum annexorum eidem; nec non viris Magnificis Stephano Voyvode dicti Regni nostri Hungarie Palatino, Johanni Bano Machouiensi in Regnis predictis nostro Vicario Generali, Stephano filio condam Dyonisij Vayuode, Ladislao de Lochoncz, Emerico Bano, Detrico fratri suo, Georgio filio condam Nicolai de Secz (Zeech) Regni Hungarie Palatini (így), Gregorio eius fratri, Folcacio filio Petri Vayuode, Emerico Manenio, eius fratri Nicolao de Zambo dicti Regni nostri Hungarie Regalium Tauernicorum Magistro, et Johanni de Vuich eius nepoti, alijsque dictorum Regnorum Proceribus, Magnatibus, Vayuodis, Banis, Comitibus, Consiliarijs et fidelibus nostris dilectis graciam et bonam voluntatem. Super nonnullis, que vestri parte a P(aulo) Episcopo Zagrabiensi, Consiliario et fideli nostro dilecto, nuper accepimus, queque nobis indicibiliter aduenere gratissima, certa fiducialiter commisimus Sabastiano Hungaro et . . . familiaribus et fidelibus nostris dilectis; quos ad vos et vestrum quemlibet presencialiter mictimus, per eos vobis et vestrum vnicuique referenda oretenus nostri parte: ideoque dictorum Sabastiani et . . . relatibus velitis adhibere fidem credulam et indubiam tanquam nobis. Has autem nostro pendenti sigillo in premissorum testimonium iussimus communiri. Data Gaiete in absencia etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXI. die VII. Octobris XV. indiccionis, Regnorum nostrorum anno quinto.

(A »Registri Angioini« 361. sz. a. kötetéből Reg. Ladislai R. 55. l.)

422.

Venerio Antal velenczei dogének Mária magyar királyné, Barbadico János érdekében. 1391.

Inclite Princeps, amice carissime. Ad vestram notitiam tenore presentium deducimus, quod Egregius Miles dominus Johannes Barbadico, civis Venetiarum, gratos et placibiles in

commissione eidem per vestram amicitiam data exhibuit Nostre Maiestati famulatus, de quibus eum honore vestre amicitie dignum foret premia reportare meritorum. Quare requirimus vestram amicitiam, ut dum Nostra Maiestas vellet ipsum aliquo remunerationis premio condonare, in ere videlicet et aliis iocalibus, transeat de consensu et annuentia amicitie vestre prelibate. Datum Bude XXII. mensis Januarii.

Maria Dei gratia Regina Hungarie, Dalmatie, Croatie etc.

Kívül : Inclito domino Antonio Venerio Duci Venetiarum et amico nostro sincero.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 206. l. V. ö. 369. sz. a. fentebb.)

423.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak adománya Poséga vármegyében a Sárosi testvérek számára. 1391.

Ladizlaus Dej gratia Rex etc. uniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Exaltat potentiam Principum munifica remuneratio subiectorum; quia recipientium fides crescit ex premio, et alij ad obsequendum deuotius animantur exemplo. Sane actendentes merita sincere deuotionis et fidei Pauli de Sarus, fratris Petricze de Sarus Ordinis Sancti Johannis Jerosolomitanj, et Johannis de Sarus fratrum carnalium, vtrumque coniunctorum nostrorumque familiarium et fidelium dilectorum; necnon grata vtilia et accepta seruitia per eos clare memorie domino Regi Karulo Tertio reuerendo domino genitori nostro dum vixit, et nobis consequenter impensa, nullis parcendo earum personarum periculis, laboribus et expensis, queue Nostre Maiestati prestant ad presens, et speramus ipsos imposterum de bono semper in melius continuatione laudabilj prestituros, ex quibus ipsos reputamus specialj nostra gratia fore dignos. Vt proinde erga dictos Paulum, fratrem Petriczam, et Johannem non omictamus exercere nostre liberalitatis officium, quos letarj cupimus conueniens eorum meritis suscepisse talentum; eisdem Paulo,

fratri Petricze, et Johanni, ac ipsorum et cuiuslibet eorum heredibus masculini sexus ex ipsorum corporibus legitime descendentibus, natis iam uel inantea nascituris, imperpetuum Castrum Ninna in Comitatu de Vulko, et castrum Omona in Comitatu Posege de Regno Sclauonie posita, que fuerunt Johannis Trutel rebellis nostri notorij, per ipsius rebellionem notoriam et lese Nostre Maiestatis crimen, adherendo emulis et rebellibus nostris Regni nostri Hungarie sequacibus, adherentibus et fautoribus eorum, aliaque nephanda per ipsum commissa in personam dicti quondam domini genitoris nostri ad manus nostre Curie iuste et rationabiliter deuoluta, cum fortillicijs, hominibus, vassalis, jobagionibus, redditibus, censibus seruitijs, domibus, possessionibus, vineis, oliuetis, siluis, nemoribus, pascuis, arboribus, molendinis, aquis et aquarum decursibus, piscarijs, theloneis, juribus, jurisdictionibus et pertinentijs earum omnibus, ac sub hijs metis, terminis et confinibus, sub quibus possessiones ipse per dictos Gregorium et Ladizlaum fratres ante prefatam eorum rebellionem notoriam tente et possesse fuerunt, de certa nostra scientia, ac cum consensu et auctoritate Serenissime Domine domine Margarite Dei gratia Regine Regnorum predictorum reuerende genitricis et Balie nostre, tam nomine suo quam Reverendissimi in Christo patris domini Angeli tituli Sancti Laurentii in Damasco Presbiterj Cardinalis et Apostolice Sedis Legatj, nostri similiter Balij hinc absentis, nostre noue et irreuocabilis donationis titulo iuxta vsum et consuetudinem Regni nostri Hungarie tenore presentium concedimus et donamus, per eundem Ladizlaum et dictos suos fratres et heredes, inmediate et in capite a nobis et nostris in eodem Regno nostro heredibus et successoribus, sub seruitijs et recognitionibus propterea debitis et prestarj solitis tenendas et perpetuo possidendas; inuestientes eundem Ladizlaum pro se et dictis suis fratribus et heredibus de presenti nostra concessione et gratia per anulum nostrum presentialiter, ut est moris. Quam inuestituram vim et efficaciam vere donationis et realis assecutionis possessionum predictarum volumus et decernimus obtinere superioritate quidem et fidelitate nostra, predictisque recognitionibus et seruitijs pro dictis possessionibns Curie nostre

debitis et prestarj solitis, alijs quoque nostris et cuiuslibet alterius iuribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fierj, et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus commun rj. Data Gaiete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXI. die XI. mensis Iuuij XIIII. indictionis Regnorum nostrorum anno V.

(A »Registri Angioini« 362. sz. a. B. Reg. Ladislai Regis kötetéből 73. l.; az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

424.

Venerio Antal velenczei dogének Zsigmond király. 1391.

Inclite amice carissime. Fideli nostro Nicolao de Libris presentium exhibitori commisimus, ut septem mille ducatos boni auri et iusti ponderis pro solutione huius instantis anni, anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo primo nobis debitos ab Amicitia Vestra recipiat. Placeat igitur Vestre Amicitie, et velitis dare ipsam pecuniam Nicolao predicto, recipiendo ab ipso superinde ex parte nostra et Reginali expeditoriam consuetam, quam per ipsum Nicolaum transmittimus; dispositi semper ad honores vestros et beneplacita lete corde. Datum Bude prima die mensis Julij.

Sigismundus Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Marchioque Brandenburgiensis etc.

Kivül : Inclito domino Anthonio Venerio Dei gratia Duci Venetiarum amico nostro carissimo.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyvből VI. köt. 123. l.)

425.

László siciliai király és magyar ellenkirály Hervoya vajdát és Vulko bánt nevezi ki dalmátiai és horvátországi bánoknak. 1391.

Ladislaus Dei gratia Rex etc. Magnificis viris Heruoye Vayuode et Vulko Bano fratribus nostrisque Consiliarijs et

fidelibus dilectis gratiam et bonam voluntatem, Actendentes merita sincere et constantis vestre deuotionis et fidej, qua erga clare memorie dominum Regem Karolum reuerendum dominum genitorem nostrum dum vixit, et nos laudabiliter claruistis, necnon grata grandia vtilia et fructuosa seruitia, per vos dicto quondam domino genitorj nostro, dum humanis rebus potitus extitit, signanter in acquisitione Regni nostri Hungarie, et preseruatione tam Regni predicti, quam etiam Regni nostri Sicilie ab insultibus et peruersis conatibus emulorum et rebellium Regiorum paternorum atque nostrorum, et nobis etiam fideliter et laudabiliter prestita, personas vestras exponendo sub dubie sortis euentibus, nec personalia pericula, sumptus, labores et tedia formidando, queue Nostre Maiestati prestatis ad presens, et speramus vos imposterum de bono semper in melius prestituros, ex quibus vos amplioris nostre remunerationis gratia dignos et benemeritos reputamus; nec minus de vestre sinceritate constantie inuicte fidei, robore virtutum, meritis et strenuytate probata, quos semper inuenimus nostri honoris, status et nominis zelatores precipuos in subscriptis et maioribus longa rerum experientia confidentes vobis Banatum Regnorum nostrorum Dalmatie et Crohatie cum terris, villis, castris, oppidis, juribus, jurisdictionibus, auctoritatibus, potestatibus et pertinentijs omnibus et singulis ad dictum Banatum spectantibus quouis modo, et alijs, eis modo et forma, quibus ac si, et prout de huiusmodi Banatu per recolende memorie dominum Ludouicum Dej gratia Hungarie, Dalmatie etc. Regem nobis honorabilem tamquam patrem prouiderj consueuit quoad vixit, de certa nostra scientia, et cum consensu et auctoritate Serenissime Domine domine Margarite Dej gratia Regnorum predictorum Regine reuerende genitricis et balie nostre tam nomine suo quam Reuerendissimi in Christo Patris domini Angelj tituli Sancti Laurentij in Damasco Presbiteri Cardinalis Apostolice Sedis Legati, nostri similiter Balij hinc absentis, vsque scilicet ad nostram beneplacitam voluntatem tenore presentium confirmamus pro honore. Volentes et intendentes expresse, quod vos tamquam Banj Regnorum predictorum per nos vt predicitur ordinatj illis honoribus, fauoribus, libertatibus, immunitatibus,

exceptionibus, priuilegijs, prerogatiuis et gratijs ubilibet decetero potiamini et gaudeatis, quibus alij Banj dictorem Regnorum, qui fuerunt pro tempore, potiti et gauisi hactenus extiterunt. Quocirca fidelitati vestre precipimus, quatenus onus predictum ylariter et liberaliter assumentes, omnia que ad dictum Banatum spectant et pertinent, ad honorem et fidelitatem nostram sic curetis fideliter et vigilanter exequi, quod per merita gestionis vestre laudabilis et actus probate experientie ad maiora possitis per Nostram Excellentiam promouerj. Nos enim vniuersis et singulis Castellanis siue Custodibus quorumcunque castrorum, oppidorum et fortelliciorum ad Banatum ipsum spectantium, necnon Comitibus, Baronibus, Vicarijs, Rectoribus, Baiulis, Judicibus, Juratis, Officialibus, Communitatibus, hominibus et personis alijs per dicta Regna Dalmatie et Croatie constitutis presentibus et futuris damus vigore presentium et per alias nostras licteras expressius in mandatis, quod dicti Castellanj seu Custodes vobis tamquam Banis Regnorum predictorum vel alij vestri nomine castra, oppida et fortellicia predicta, que tenent, assignare debeant tenenda et custodienda per vos, prout ad Banatum ipsum pertinet, ceterique predicti alij vobis tamquam Banis Regnorum eorundem ad huiusmodi honorem et fidelitatem nostram efficaciter hobedire debeant, intendere et parere; has nostras licteras magno pendenti Maiestatis Nostre sigillo munitas vobis in premmissorum testimonium concedentes. Data Gayete in absentia Logothete et Prothonotarij etc. per nobilem virum Donatum de Aretio etc. anno Domini millessimo CCCLXXXXI. die XVII. mensis Julij XIIII. indictionis. Regnorum nostrorum anno quinto.

(A »Registri Angioini« 362. sz. a. B. kötetéből Reg. Ladislai R. 40. l.: az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

426.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak Valkó megyei javakat tárgyazó adománya Zeringlevich László számára. 1391.

Ladizlaus Dej gratia Rex etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris etc. Gratis meritis ad beneficas collationes astringimur; et quos militie decore lustrauimus, conferre munera, quibus ipsam honorifice possint conseruare militiam, rationabiliter obligamur. Sane attendentes merita sincere deuotionis et fidei viri nobilis Ladizlaj de Zeringleuich de Saua, militis familiaris et fidelis nostri dilecti, grataque vtilia et accepta seruitia, que clare memorie domino genitori nostro dum vixit, et nobis etiam prestitit hactenus sue persone periculis, sumptibus et laboribus non parcendo, queue Nostre Maiestatj prestat ad presens, et speramus ipsum imposterum de bono in melius prestiturum se reddens propterea conspectui nostro gratum; necminus aduertentes, quod dictum Ladizlaum virum vtique multiplici virtute et probitate refertum militarj cingulo nuper decorauimus, cui simul cum militia munus aliquid gratum impendere, quo dictam honorabilius possit conseruare militiam, dignum et rationabile reputamus; eidem Ladizlao et suis heredibut masculinj sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, inperpetuum infrascriptas possessiones, que fuerunt quondam Gregorij Thotis de Kerestur militis, nec non et Ladizlaj fratris sui, notoriorum nostrorum rebellium, videlicet Kerestur et Kiapcofri in Banatu Valko positas, et tam per ipsius Gregorij quam prefati Ladizlai fratris sui rebellionem notoriam et lese Nostre Maiestatis crimen, adherendo emulis et rebellibus nostris, Regni nostri Hungarie, sequacibus, adherentibus et fautoribus eorum aliaque nephanda commissa contra honorem et statum nostrum inique et perperam per eosdem, ad manus nostre Curie iuste et rationabilitet deuolutas, cum fortellicijs, hominibus, vassallis, jobagionibus, redditibus, censibus, seruitijs, domibus, possessionibus, vineis, oliuetis, terris cultis et incultis, montibus, planis, pratis, siluis, nemoribus, pascuis, arboribus,

molendinis, aquis et aquarum decursibus, piscarijs, theloneis, jurisdictionibus et pertinentijs earum omnibus, ac sub hijs metis, terminis et confinibus, sub quibus possessiones ipse per dictos Gregorium et Ladizlaum fratres ante prefatam eorum rebellionem notoriam tente et possesse fuerunt, de certa nostra scientia, ac cum consensu et auctoritate Serenissime domine Margarite Dei gratia Regine Regnorum predictorum, reuerende genitricis et Balie nostre, tam nomine suo quam Reuerendissimi in Christo patris domini Angeli tituli Sancti Laurentij in Damasco Presbiterj Cardinalis et Apostolice Sedis Legatj, nostri similiter Balij hinc absentis, nostre noue et irreuocabilis donationis titulo iuxta vsum et consuetudinem Regni nostri Hungarie tenore presentium concedimus et donamus, per eundem Ladizlaum et dictos suos heredes immediate et in capite a nobis et nostris in eodem Regno nostro heredibua et successoribus sub seruitijs et recognitionibus propterea debitis et prestarj solitis tenendas et perpetuo possidendas; inuestientes eundem Ladizlaum pro se et dictis suis heredibus de presenti nostra concessione et gratia per anulum nostrum presentialiter, ut est moris. Quam inuestituram vim et efficaciam vere donationis et realis assecutionis possessionum predictarum volumus et decernimus obtinere, superioritate quidem et fidelitate nostra, predictisque recognitionibus et servitjs pro dictis possessionibus Curie nostre debitis et prestarj solitis quoque nostris, et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes lictèras exinde fierj et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus cemmunierj. Datum Gayete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de Aretio Legum Doctorem etc. anno Domini MCCCXXXXI. die septimo decimo mensis Julij quartedecimo indictionis, Regnorum nostrorum anno quinto.

(A »Registri Angioini« 362. sz. a. B. Reg. Ladislai Regis kötetéből 64. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

427.

László siciliai királynak feudalis adománya Morilla Bánfi Ferencz nejének. 1391.

Ladislaus etc. Morelle de lo Moczino consorti Ciczi (Francisci) Banffi militis de Neapoli conceditur affrancatio feudalis domus. Gaete (1391. 17. julii.)

(A »Registri Angioini« 362. sz. a., B. kötetéből Reg. Ladislao az olasz kir. nápolyi levéltárban)

428.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak adománya Horvátországban 1391.

Ladizlaus Dej gratia Rex etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Benemeritis Principem prouidere fidelibus, et si gratie plenitudo suadeat, obsequiorum quodammodo gratitudo compellit. Sane actendentes merita sincere deuotionis et fidei viri nobilis Dragisse Militis, filii quondam viri Magnifici Vulkach Vayuode dilecti fidelis nostri, grataque, grandia, vtilia et fructuosa seruitia per eum clare memorie domino Regi Karulo reuerendo domino genitori nostro dum vixit, signanter in acquisitione Regni nostri Hungarie, Nobisque consequenter impensa, persone sue periculis, laboribus et sumptibus multiplicibus non parcendo, queue Nostre Maiestati prestat ad presens et speramus ipsum imposterum de bono semper in melius continuatione laudabilj prestiturum, reputantes eum propterea nostre retributionis gratia benemeritum atque dignum, eidem Dragisse ac suis heredibus masculini sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, inperpetuum infrascriptas villas, videlicet villam Svidam in prouincia Saue, et villam Ribichine in pertinentijs castri Glum positas, et ad nos et nostram Curiam spectantes et legitime pertinentes cum castris seu fortellicijs, hominibus, vassallis jobagianibus stb. ac sub hijs metis, terminis et confinibus, sub quibus ville predicte per

eandem nostram Curiam tente et possesse nuncusque fuerunt, de certa nostra scientia et cum consensu et autoritate stb. nostre noue et irreuocabilis donationis titulo, iuxta usum et consuetudinem Regni nostri Hungarie tenore presentium concedimus et donamus, per eundem Dragissam et dictos suos heredes inmediate et in capite a nobis et nostris in dicto Regno nostro Hungarie heredibus et successoribus, sub seruitijs et recognotionibus stb. Data Gaiete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXI. die septimo mensis Jullij quartedecime indictionis, Regnorum nostrorum anno V.

(A »Registri Angioini« 362. sz. a. B. kötetéből Reg. Ladislai Regis 65. l.; az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

429.

A velenczei kormánynak gondoskodása a magyar koronának fizetendő 7000 aranyról. 1391.

Anno MCCCLXXXXI. die tercio Augusti. Capta: Quia per formam pacis firmate cum domino Rege et Corona Hungarie nos sub pena in illa pace contenta tenemur et obligati sumus mittere omni anno Jadram in festo Sancti Regis Stephani XX. die mensis Augusti ducatos septem mille auri, qui terminus est valde prope, ita quod est omnino prouidendum de mittendo dictam pecuniam ad ipsum terminum tam pro honore nostro, quam pro non contrafaciendo paci predicte. Et sicut est notum alias vigore libertatis habite ab isto Consilio Collegium Domini, Consiliariorum, Capitum et Sapientum ambarum manuum determinaverit, quod de certis denariis apud Prouisores nostri Communis certa causa emi deberent imprestita, que adhuc emta non sunt; ita quod apud ipsos Prouisores sunt ducati quinque mille de dicta ratione; vadit pars, quod non grauando terram aliis nouis imposicionibus, quod propter istam causam dicti quinque mille ducati accipi possint pro nunc, et alii ducati duo mille de denariis additionum datiorum ipsi Officio commissorum. Quia alia via

non habetur ad presens, unde haberi possit quantitas pecunie suprascripta.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XLII. köt. 34. l.)

430.

Mária magyar királyné és Zsigmond király nevében de Libris Miklósnak elismervénye, hogy a 7000 aranyt átvette. 1391.

In nomine Dei Eterni Amen. Anno ab Incarnatione Domini nostri Jhesu Christi millessimo trecentessimo nonagessimo primo, mensis Augustt die sexto decimo, indictione quarta decima etc. Plenam et irrevocabilem securitatem facio. Ego Nicolaus de Libris de Boemia, Nuntius Serenissimi et Excellentissimi Domini domini Sigismundi Dei gratia Regis Hungarie, Dalmacie, Croatie etc. Marchionisque Brandeburgensis; nec non Serenissime et Excellentissime Domine, domine Marie consortis eius Regine Hungarie etc. et pro eorum heredibus et successoribus, vobis Serenissimo Domino, domino Anthonio Venerio eadem gratia Inclito Duci et Communi Venetiarum vestrisque successoribus, de ducatis septem milibus boni auri et iusti ponderis, qui sunt pro solutione anni presentis, de millessimo trecentessimo nonagessimo primo, quos denarios vestri nomine habui et cum integritate recepi, ista presenti suprascripta die a Camerariis vestri Comunis. Nunc autem quia exinde me dicto nomine bene et perfecte appacastis et cum omni integritate deliberastis, a modo in antea secure et quiete permaneat in perpetuo; quia nichil melius (igy) remansit, unde amplius a prefatis Dominis meis requiri aut compelli valeatis per ullum ingenium sive modum, Si igitur contra hane securitatis cartam hoc temptaverint, tunc emendare debeant cum eorum heredibus et successoribus, vobis et vestris successoribus auri librarum quinque. Et huic securitatis carte, in suam plenam firmitatem, signum suprascripti Nicolai de Libris est appositum, qui hec rogavit fieri.

Io Marco Denselmo testis subscripsi. Ego Bartholomeus de Thoma-

sio Notarius testis subscripsi. Ego Thomasius de Thomasio Venetiarum Notarius complevi et roboravi.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 342. l.)

431.

A velenczei kormánytanácsnak a magyarországi kereskedést tárgyazó rendelete. 1391.

Anno MCCCLXXXXI. die XXII. Septembris, indictione XI. Capta: Quia multum cedit ad bonum et utilitatem Civitatis nostre et mercatorum nostrorum, habere provisionem super facto raminis; ut habentes de illo, habeant causam conducendi illud Venetias et non ad alias partes, sicut conductum est per tempora elapsa, et fit presentialiter cum tanto damno nostro; vadit pars, quod super facto raminis fiant infrascripte provisiones, que sunt omnino necessarie pro factis nostris. Et primo: quod totum rame affinatum in partibus Hungarie, quod conducetur Venetias per viam Segne, et a Segna citra, et per viam Alamanie per terram, solvere debeat quinque pro centenario, que solvuntur ad tabulam secundum consuetudinem. Et ultra hoc solvat ducatos quatuor auri pro milliari nostris Officialibus Getti pro affinatura, si ponetur in getto, et reddatur milliare pro milliari. Et si noluerit poni in getto, solvat dictis Officialibus nostris Getti ducatos duos pro milliari infra unum mensem, postquam fuerit conductum Venetias, et possit navigari sicut possunt alia ramina. Verum si presentato dicto ramine ad gettum nostrum videretur per extimatores, quod non foret ilius finicie raminis, quod conductum fuit Venetias, de quo declaratur per formam partis capte in rogatis MCCCLXXXIIII. die XX. Novembris, cuius raminis sazium est apud Officiales nostros Getti; non recipiatur in getto, sed solvat dictos ducatus duos, ut dictum est, et sit ad condicionem ordinum nostrorum. Sed si illud rame vollet poni in getto cum illa stima, que dabitur per extimatores, tunc debeat recipi per illos Officiales nostros Getti cum stima predicta, sol-

vendo ultra dictam stimam ducatos quotuor auri Officialibus nostris Getti.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XLII. kötetéből 42. l.)

432.

Márai magyar királyné és Zsigmond királynak nyugtatványa 7000 aranyról, melyeket adóképen a velenczei köztársaság. 1391-re fizetett. 1391.

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Hungarie, Dalmacie, Crohacie etc. nec non Marchio Brandeburgensis etc., ac Nos Maria eadem gratia Regina Hungarie, Dalmacie, Crohacie etc. presentium tenore fatemur et notum facimus universis et singulis presentes utriusque nostrum litteras inspecturis, quod Inclitus dominus Anthonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum etc. nec non Commune dicte Civitatis Venetiarum amici nostri carissimi septem milia ducatorum boni auri et justi ponderis, ad que tenentur danda atque solvenda nobis nomine Sacre Corone nostre Hungarie, et heredibus ac successoribus nostris in perpetuum, omni et quolibet anno, in festo Sancti Regis Stephani de mense Augusti, iuxta formam contractus pactorum et pacis inter predictam Sacram Coronam nostram et ipsos habiti et firmati, dederunt nobis numeratim et manualiter persoluerunt in ac pro instanti anno a Nativitate Domini millessimo trecentesimo nonagesimo primo in die festo Sancti Regis Stephani predistincto, dictos septem mille ducatos boni auri et justi ponderis nobis ut premictitur debitos, nobisque, prout superius declaratum, solutos recepimus et habemus. Et proinde ipsos inclitum dominum Ducem et Commune Venetiarum de solutione ipsorum septem milium ducatorum auri nobis pro instanti ut premittitur anno facta reddimus expeditos. Has autem nostras patentes litteras utriusque nostrum sigilli majoris seu simplicis appensione munitas, eis dedimus, in testimonium premissorum Anno predicto et instanti, videlicet a Nativitate Domini MCCCLXXXXI in die termini prenotati.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. köt. 342. l.)

433.

Parmai Gábor Anjoui Lajos részére Bari város parancsnokának a velenczei köztársaság, a Raguza és Sebenico városok ellen emelt panaszok tárgyában. 1391.

Anno MCCCLXXXXI. indictione XV. die XIII. Octobris. Capta: Quod respondeatur istis literis, quas nobis misit Gabriel de Parma Capitaneus et Castellanus Bari in hac forma, videlicet:

Recepimus et plenarie intelleximus litteras vestras Baro datas decimo mensis Septembris proxime lapsi, per quas nobis officialiter denotastis velle armare fusta vestra ad vindicandam iniuriam per Raguseos, ut scribitis, vobis factam, qui in portu Vestarum furtive rapuerunt unum navigium de Narento mercibus oneratum, per vestram galeam iuste et racionabiliter acquisitum, quatuor hominibus dicte galeote, qui in eo erant nequiter trucidatis; et similiter per Sibenzanos, qui iuxta montem Garganum quemdam vestrum brigentinum inimicabiliter abstulerunt. Ad quas presentibus respondemus, quod molestum nobis fuit et est, quod Ragusei et Sibenzani predicti, vel quicumque alii fecerunt vel faciant aliquid, quod nobis displiceat, et sit contra debitum racionis; et propterea informabimus Capitaneum nostrum Culphy de his, que nobis dictis vestris literis denotastis; et committemus eidem, quod, quam celerius poterit, se studeat informare de veritate predictorum, et habito, quod ita sit, inducat et hortetur Communitates predictas, quod facere debeant id, quod iustum et racionabile fuerit, ut non habeatis iustam causam querele. Tamen ad factum armamenti vestri predicti, Nobilitati Vestre dicimus, sicut alias dici fecimus per nostrum Nuncium, et postea per Capitaneum supradictum, quod nullo modo intendimus tolerare, quod vos, Ragusei vel alii intra Culphum nostrum arment aliqua fusta, que piraticam faciant in damnum navigiorum subditorum et bonorum nostrorum, nec aliarum quarumlibet nationum, que cum navigiis et bonis suis veniant ad Civitatem nostram, vel de ea recedant, propter rationes tunc per dictum nostrum Nuncium explicatas. Et quando contrafieret

huic nostre intentioni, Capitaneus noster predictus et alie nostre galee procederent contra illa fusta et homines in eis existentes tamquam contra cursarios publicos, et contra terras et loca, in quibus forent armata, et a quibus receptarentur; prout nobis iustum et racionabile videretur. Et propterea rogamus eandem Vestram Nobilitatem, quod placeat tenere modum, quod non contrafiat intencioni nostre predicte, nunc et alias declarate, et per vos observari promisse.

(A »Misti« czímű velenczei államkönyv XLII. kötetéből 52. l.)

434.

A velenczei köztársaságnak intézkedései ugyanazon ügyben. 1391.

Et significatur Capitaneo nostro Culphy querela, quam nobis fecerunt Ragusei de ista dispositione Gabrielis, et mittatur sibi copia istius littere et nostre responsionis, ac mandetur eidem, quod declinante eo ad dictas partes Ragusii et Sybenici, debeat facere consciam dictis Communitatibus de querela ipsius Gabrielis, procurando se informare de facti veritate; et in casu, quo habeat ita esse, ut scribit, inducat et ortetur eos ad faciendum versus dictum Gabrielem id quod iustum et racionabile fuerit, ut non habeat causam querele; significando nobis quicquid fecerit et habuerit pro nostra informatione. Et ad maiorem cautelam dici etiam debeat Raguseis qui hic sunt, et querelam Dominio fecerunt, illa verba, que utilia videbuntur in isto facto, ut ipsi se abstineant a novitabus supredictis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XLII. kötetéből 52. l.)

435.

Venerio Antal dógének és a velenczei köztársaságnak Zsigmond király azon 7000 arany ügyében, melyekkel ez adó fejében a magyar koronának tartozik. 1392.

Inclite nobilesque et prudentes viri, amici carissimi. Accidentibus negotiis et causis, pro quorum expedictione pro-

vidum virum Conradum dictum Grau mercatorem de Norimberga, aut Leonardum familiarem Muflini similiter mercatorem de eadem Nuremberga, exhibitores presentium cum alijs litteris nostris quitantie super septem milibus ducatis auri Nostre Maiestati ex parte vestrorum annuatim in certo termino proveniendis confectis Regalis Nostre et Reginalis Maiestatum sigillis pendentibus munitis ad vestre amicicie dirigimus presentiam; ipsam vestram amiciciam nobis gratissimam sincero requirimus affectu rogantes attente, quatenus adveniente ipso termino anni presentis, annotatis Conrado et Leonardo, vel eorum alteri exhibitori presentium, eadem septem milia ducatorum auri sine dilationis mora, de qua damnum quod pretextu huiusmodi prorogationis eveniret, in Nostre Maiestatis vergeretur detrimentum, assignare et persolvere velitis, ipsosque aut alterum eorum de eisdem pecunijs nostri comtemplatione adeo reali expediatis solutione, ut per eandem dicta nostra negotia iuxta voluntatis nostre desiderium sentiamus effectum amicabiliter fuisse prosequuta, gratam in eo, Claritatis Nostre culmini amicicie benevolentiam ostensuri Datum Bude penultima die mensis Marcij anno Domini MCCC. nonagessimo secundo:

Kivül: Inclito domino Anthonio Venerio Duci, ac Nobilibus et prudentibus viris Consilio et Communi Venetiarum, amicis nostris carissimis.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 343. lev.)

436.

Venerio Antal velenczei dogének Zsigmond király ugyanazon ügyben 1392.

Inclite et nobiles viri, amici carissimi. Requirimus et hortamur Amiciciam Vestram affectu sincero, quatenus iuxta contenta aliarum litterarum nostrarum expeditoriarum, quas vobis more solito sub maiori sigillo nostro transmittimus, census nostros de mense Augusti anni presentis, fideli nostro Petro dicto Puthelberger, seu uni ex sotijs suis presentium ostensori et exhibitori dictarum litterarum expeditoriarum

velitis assignare, gratam in eo nobis complacentiam ostensuri. Datum in descensu nostro campestri prope Ersomlio XXVIII. die Maij anno — — — — LXXXXII.

Kivül: Inclito domino Anthonio Venerio Duci, nec non nobilibus viris Consilio et Communi Venetiarum amicis nostris carissimis.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 343. lev.)

437.

A velenczei kormánytanácsnak gondoskodása az 1392. a magyar koronának fizetendő 7000 aranynyi adóról. 1392.

Anno MCCCLXXXXII. die III. Julii. Capta: Quia appropinguat tempus solucionis septem millium ducatorum, qui dari debent domino Regi Hungarie iuxta formam pacis; sumus eciam debitores banchis, qui seruiuerunt nostro Dominio de ducatis nouem millibus sexcentis, de quibus non possunt sibi ad presens dari nisi quatuor mille; Capitaneus noster Culphi scribit habere multos homines ad mensem, quibus non potest subvenire de vno denario, cum nullum habeat: vadit pars, quod pro istis causis, et pro faciendo certas alias expensas in proximo occurrentes, possit accipi a Prouisoribus nostri Communis de illis imposicionibus et addicionibus daciornm, que perueniunt ad manus suas, ducati quindecim millia. Quia aliter fieri non posset, nisi terra grauaretur imprestitis vel nouis imposicionibus.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XLII. kötetéből 151. l.)

438.

A velenczei köztársaságnak beavatkozása Trau dalmatiai város belviszonyaiba. 1392.

Antonius Venerio Dei gracia Dux Veneciarum etc. nobili et sapienti viro Saraceno Dandulo de suo mandato Capitaneo Culphi fideli dilecto salutem et dileccionis affectum. Quemadmodum ad audienciam vestram potuerit peruenire,

exorta fuit et est certa discordia et scandalum inter ciues Tragurij, de quorum nouitate Regimina Tragurij nobis per venerabilem virum fratrem Antonium Ordinis Minorum, in partibus Dalmacie etc. inquisitorem sub credentialibus litteris intimarunt. Verum quia eadem Communitas est nobis amica, et pacificum statum suum optamus ex corde: fidelitati vestre scribimus et mandamus, quod in casu, quo declinetis ad partes Dalmatie, sumus contenti, quod presentetis vos circa Tragurium, et pro omni bona causa et respectu debeatis interponere vos, et procurare omnem concordiam et bonum amoren inter ciues predictos cum illis sapientibus et bonis verbis, que discrecioni vestre videbuntur pro bono et tranquillitate ipsorum, sicut optamus. Insuper, prout nobis per eundem fratrem Antonium fuit relatum, videtur quod aliqui Traguriui per mare inuicem se damnificant, quod nobis displicet; et propterea placet nobis, quod omne bonum remedium, quod poteritis apponere, debeatis, ut predicti non se damnificent ullo modo, sed remaneant in quiete et bono amore, sicut debent esse boni ciues et fratres; et istud nobis summe placebit. Et circa hoc faciatis, quicquid boni poteritis pro tranquillitate et pace dicte Communitatis. Et quia dum eritis in partibus illis, habebitis omnem informacionem de rebus predictis, et debeatis operari et facere posse vestrum ad ponendum illos ciues in concordia et bono amore, et quod desistant a nouitatibus quibuscunque pro bono et conseruacione sua, per illum modum et viam, quam expedire noueritis, prout de sapientia vestra confidimus et speramus. Datum etc. die X. Augusti indiccione XV.

(A »Copia de Commemoriali« czimü velenczei államkönyvből VIII. kötetéből 165. l.)

439.

Mária magyar királynénak és Zsigmond királynak nyugtatványa, hogy a velenczei köztársaság 1392-re a 7000 aranyt kifizette. 1392.

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. Marchioque Brandiburgensis etc., et Nos Maria

eadem gratia Regina Hungarie, Dalmatie, Croatie etc. presentium tenore fatemur et notum facimus universis et singulis has nostras litteras inspecturis : quod Inclitus dominus Anthonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum etc. nec non Commune dicte Civitatis Venetiarum, amici nostri carissimi, septem millia ducatorum boni auri et iusti ponderis, ad que tenentur danda atque solvenda nobis nomine Sacre Corone nostre Hungarie, et heredibus et successoribus nostris imperpetuum, omni et quolibet anno in festo Sancti Regis Stephani de mense Augusti, iuxta formam contractus, pactorum et pacis inter predictam Sacram Coronam nostram et ipsos habiti et firmati dederunt nobis numeratim, et manualiter persolverunt in ac pro instanti termino presentis anni Nativitatis Domini millesimi trecentessimi nonagessimi secundi in die Sancti Regis Sşephani predistincti; quos septem mille ducatos boni auri et iusti ponderis nobis, ut premittitur, debitos, atque nobis, ut superius declaratur, solutos recepimus et habemus; atque ipsos inclitum dominum Ducem et Commune Venetiarum amicos nostros de solutione ipsorum septem millium ducatorum auri Nobis pro instanti anno, ut premittitur, facta reddimus expeditos. Has autem utriusque nostrum patentes litteras sigilli utriusque nostrum maioris seu simplicis appensione munitas eis dedimus in testimonium premissorum, anno a Nativitate Domini predicto et instanti, seu millesimo trecentessimo secundo in die termini prenotati.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 344. l.)

440.

Jegyzői elismervény, hogy a 7000 arany kifizettetett. 1392.

In Christi nomine Amen. Anno Nativitatis eiusdem millessimo trecentessimo nonagessimo secundo, indictione quinta decima, die vigessimo tercio mensis Augusti. Cum Serenissimus Dominus dominus Rex Hungarie et Corona Hungarie secundum formam et tenorem pacis cellebrate Taurini in M.CCC. octuagessimo primo, dei octavo mensis Augusti, debeat recipere singulo anno de mense Augusti ab

Illustri et Excelso Domino, domino Duce et Commune Venetiarum ducatorum septem millia auri causis et rationibus in instrumento pacis singulariter expressatis, et Serenissimus Dominus, dominus Sigismundus Dei gratia Rex Hungarie, etc. ac Serenissima domina Maria consors eius Regina Hungarie, misserint suas patentes literas, ad manus circumspecti viri Conradi dicti Graw de Norimberga nunc Venetiarum existentis, sotij Petri de Puthelberger de Norimberga, contentorum et nominatorum in duabus literis bombacinis destinatis Ducali Dominio ex parte Serenissimi domini Regis Hungarie suprascripti, prima quarum data fuit Bude penultimo Marcij M.CCC.LXXXXII. in qua nominatur predictus Petrus Puthelberger de Norimberga; secunda vero litera data Bude XXVIII. Maij MCCCLXXXXII., in qua nominatur predictus Conradus dictus Graw; per quas quidem patentes literas prelibati dominus Rex et Regina fatiunt finem, quiectationem et absolutionem liberam de predicta ducatorum VII^{M} quantitate, prout in eisdem litteris datis in M.CCC.LXXXXII. in die termini Sancti Regis Stephani, suis sigillis magnis Regio et Reginali vallatis, singulariter et speciosius continetur, pro solutione anni presentis de MCCCLXXXXII. prefatus Conradus dictus Graw, tamquam presentator litterarum et Nuntius prelibatorum dominorum Regis et Regine Egregijs et Nobilibus viris, dominis Fantino Querino, Marco Barbo, et Bernardo Fuschareno, Officialibus Rationum Communis Venetiarum, recipientibus nomine et vice Illustris domini Ducis et Communis Venetiarum, sponte et ex certa animi scientia contentus et confessus fuit, se habuisse et recepisse, et re vera sic habuit et recepit a predictis dominis Officialibus Rationum Communis Venetiarum dantibus et solventibus nomine et vice Excelsi et Illustris Domini domini Anthonij Venerio, Dei gratia Incliti Ducis Venetiarum ac Communis Venetiarum; et de propria pecunia ipsius Communis, ducatos septem millia boni auri et iusti ponderis; et hoc nunc solutionis predicte fiende in dicto tempore de mense Augusti pro anno presenti de MCCCLXXXXII. per prefatum dominum Ducem et Commune Venetiarum. De quibus denariis et paga predictus Conradus dictus Graw presentator litterarum predicta-

rum recognovit sibi bene fore solutum et integre satisfactum a predictis dominis Officialibus Rationum dantibus et solventibus nominibus quibus supra; renuntians exceptioni non sibi date tradite et nominate dicte quantitatis pecunie, et spei future dationis et nuntiationis, et omni exceptioni doli mali, quod metus causa vel ex iniusta causa, in factum ationi et omni alij legum et Juris tam Canonici quam Civilis auxilio et privilegio, quibus vel quorum occasione posset contra predicta vel aliquod predictorum facere vel venire, pro quibus omnibus et singulis attendendis et firmiter observandis idem Conradus dictus Graw presentator litterarum predictarum veluti nuntius prefatorum dominorum Regis et Regine eisdem Dominis effectum rationum stipulantibus et recipientibus nobilibus quibus supra, omnia bona prefatorum domini Regis et Regine mobilia et inmobilia presencia et futura pignori obligavit. Actum Venetiis in camera predictorum dominorum Officialium Rationum; presentibus providis viris ser Johanne Pacagnella quondam domini Nicolai, ser Francisci de Ferigo quondam domini Nicolai, scribis ad dictum Officium Rationum, ser Francisthino de Bassano, cive Venetiarum testibus ad premissa vocatis specialiter et rogatis, et alijs.

(Jegyzői jegy.) Ego Johannes Plumatio filius quondam domini Bertucij de Venetiis Publicus Imperiali auctoritate Notarius et Ducatus Venetiarum Scriba, premissis omnibus et singulis presens interfui eaque rogatus scripsi.

(A »Liber Pactorum« velenczei czimű államkönyv VI. kötetéből 344. l.)

441.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak néhai idősebb Garai Miklós nádor javait tárgyazó adománya. 1392.

Ladizluas Dei gratia Rex etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Benemeritis Principem prouidere fidelibus, et si gratie plenitudo suadeat, obsequiorum quodammodo gratitudo compellit. Sane actenden-

tes merita sincere deuotionis et fidei virorum nobilium Thome militis, Gregorij et Andree filiorum Stephanj, nostrorum fidelium dilectorum, qui pro fide et statu nostris se non formidaverunt exponere dubie sortis euentibus, laboribus uarijs, et periculis formidandis, vendicantes sibi propterea vberioris gratitudinis nostre munus, grataque, vtilia et accepta seruitia per eos Culmini Nostro prestita, queue prestant ad presens et prestare poterunt laudabiliter in futurum, ex quibus per nos benigne prosequi promerentur, eisdem Thome, Gregorio et Andree, ac ipsorum et cuiuslibet eorum heredibus masculini sexus ex ipsorum corporibus legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, inperpetuum tam villam Arione, que fuit Dominici filij Johannis rebellis nostri, per ipsius rebellionem notoriam et lese Nostre Maiestatis crimen, quod incurrit adherendo parendo favendo et assistendo Marchionj Brandeburgensi et eius consorti hostibus nostris, sequacibus, adherentibus et fautoribus eorundem, ad manus nostre Curie rationabiliter deuolutam; quam villam Ebres, et oppidum Boya, que fuerunt quondam Nicolaj de Gara olim Regni nostri Hungarie Palatinj, Regij paterni et nostri rebellis et proditoris notorij, per ipsius etiam notoriam rebellionem et crimen per eum commissum in personam clare memorie dominj Regis Karolj reuerendj domini genitoris nostri, cuius necis Nicolaus idem conscius extitit et trattator, ac postremo sicut eius causauere demerita, contra vessilla et gentes nostras prelians interemptus, ad manus dicte nostre Curie deuolutam, et deuolutum similiter rationabiliter atque juste, cum fortellicijs, hominibus, vassallis, jobagionibus, redditibus, censibus, seruicijs, domibus, possessionibus, vineis, oliuetis, terris cultis et incultis, montibus, planis, pratis, siluis, nemoribus, pascuis, arboribus, querquetis, molendinis, piscarijs, teloneis, aquis et aquarum decursibus, seruicijs, territorijs, juribus, jurisdictionibus et pertinentijs earum omnibus, ac sub his metis, terminis et confinibus, modis et formis, sub quibus dicta villa Ariane hactenus per prefatum Dominicum, dictaque villa Ebres et oppidum Boya per memoratum quondam Nicolaum olim Palatinum, dum vixit, tente et possesse fuerunt, nostre noue et irreuocabilis donationis titulo, cum consensu et

auctoritate Serenissime Domine domine Margarite Dei gratia Regine predictorum, reuerende genitricis et Balie nostre, juxta vsum et consuetudinem, dicti Regni nostri Hungarie tenore presentium damus, concedimus et donamus de scientia certa nostra, per eosdem Thomam, Gregorium et Andream, et dictos ipsorum heredes inmediate et in capite a nobis et nostris in dicto Regno nostro Hungarie heredibus et successoribus, sub seruitijs et recognitionibus propterea debitis et prestarj solitis tenendas et perpetuo possidendas; inuestientes virum nobilem Johannem de Grisogonis de Jadra, Cambellanum, familiarem et fidelem nostrum dilectum, pro dictis fratribus et eorum heredibus de presenti nostra donatione et gratia per anulum nostrum presentialiter, ut est moris; quam inuestituram uim et efficaciam vere donationis et realis assequutionis supradictarum villarum et oppidi volumus obtinere, superioritate quidem et fidelitate nostra predictis, atque recognitionibus et seruitijs pro dictis villis et oppido Curie, nostris alijs, et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fierj et pendentj Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Data Gaiete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXII. die decimo Octobris prime indiccionis, Regnorum nostrorum anno sexto.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislai Regis kötetéből 219. l.; az olasz kir. nápolyi nagylevéltárban.)

442.

László siciliai király és magyar ellenkirály János macsói bánt és magyarországi helytartóját, Hervoya dalmatiai és horvátországi bánját, és Laczkovics Istvánt nádorát felhatalmazza, hogy Magyarország és kapcsolt részeinek lakosait általános amnistiában részesíthessék. 1392.

Ladizlaus Dei gratia Hungarie, Jerusalem et Sicilie Rex etc. Magnificis viris Johanni Bano Macchouiensi, nostro in Regno nostro Hungarie et alijs Regnis sibi annexis Vicario Generali; et Heruoie Vayvode Bosnensi, Regnorum nostro-

rum Dalmatie et Croatie Bano, Consiliarijs et fidelibus nostris dilectis gratiam et bonam voluntatem. Intendentes more pij patris et Domini singulos rebelles et inobedientes dicti Regni nostri Hungarie et aliorum Regnorum eidem annexorum ad obedientiam et fidelitatem nostram reducere, ipsisque miserationis nostre januam, qua promptius se a deuio retrahant, aperire; nec minus operantes per actus prouisionis viri laudabilis solertis ingenij perspicaciam et fidei erga nos sinceritatem probatam, quibus non inmerito de hijs et majoribus inherere in operibus commendabilis verstre virtutis confidendo, prestringimus nostrum et dictorum Regnorum statum pertingere terminos optate tranquillitatis et pacis; Vobis harum serie de certa nostra scientia, ac cum consensu et auctoritate Serenissime Domine domine Margarite Dei gratia Regnorum predictorum Regine, reuerende genitricis et Balie nostre, plenam damus licentiam, et omnimodam concedimus potestatem, quod possitis et valeatis tam Vniuersitates et homines terrarum et locorum dicti nostri Regni Hungarie et aliorum predictorum Regnorum sibi annexorum, quam alios quoscunque Regnorum eorumdem Magnates, Proceres, Comites, Barones, personas et homines rebelles nostros ac inobedientes, et maleficos quosuis alios cuiuscunque gradus status et conditionis existant, ad sinum gratie nostre recipere, eisque et ipsorum cuilibet omnes et singulos excessus, crimina, destructiones, depredationes, incendia, curraias, cedes, homicidia, disrobationes et furta publica et priuata, et alia quecumque delicta quocunque nomine censeantur, per ipsos et eorum quemlibet, aut alium vel alios ipsorum, pro preteritis temporibus et usque in diem redductionis ipsorum ad hobedientiam et fidelitatem nostram, vbicunque, quomodocunque et qualitercunque commissas atque commissa, notam insuper rebellionis et crimen lese paterne Regie et Nostre Majestatis, quam et quod parendo assistendo fauendo et adherendo Marchionj Brandeburgensi et ejus consorti hostibus nostris, seu alijs quibuscunque Regiis paternis uel nostris dictorum Regnorum emulis et rebellibus alteri vel alijs eorum, siue ex quibussuis causis alijs aut ipsarum aliqua incurrisse noscuntur, omnemque culpam offensam et penam realem et personalem, in quam premissorum occasione vel

causa forsitan incidissent; nec non banam banorum jura tertiarias sententias et condempnationes quaslibet alias exinde subsequutas, si et in quantum persona et Curia nostra tangitur vel quomodolibet tangi posset, remictere et inperpetuum relaxare, omnemque ipsis et eorum cuilibet ex premissis causis irrogatam rebellionis notam, uel quamnis aliam infamie maculam ab eis et ipsorum quolibet abstergere et clementius abolere, nec non ipsos et eorum vnumquemque restituere et reintegrare per beneficium plene restitutionis in integrum ad famam, dignitates, honores et statum pristinos, bonaque ipsorum quecunque mobilia et stabilia vbicunque in dictis Regnis eorumque locis, terris, villis et partibus posita siue sita, legibus, constitutionibus, consuetudinibus et capitulis quibuscunque contrarijs nec non concessionibus, donationibus et promissionibus quibuslibet factis quibusuis personis per nos vel alios de bonis eisdem, nec non priuilegijs, licteris, cedulis et scripturis quibuslibet insecutis, quas et que quantum ad hec, de dicta certa nostra scientia, ac cum consensu et auctoritate quibus supra, tollimus, revocamus et uiribus uacuamus, non obstantibus quoquomodo. Has enim indulgentias, redductiones, remissiones, relaxationes, restitutiones et reintegrationes, quas ipsis per instrumenta publica, siue per vestras eis in predicto concedendas licteras feceritis, ratas et gratas habentes, illas ex nunc prout ex tunc harum serie de dicta certa nostra scientia cum consensu et auctoritate premissis, quatenus tamen alias rite et provide fierent, acceptamus, approbamus ratificamus, confirmamus, vereque ratificatitonis, acceptationis, approbationis et confirmationis munimine roboramus; ac promittimus et pollicemur firmiter et expresse, eas et ipsarum quamlibet ratas et gratas omni tempore gerere atque securas, illisque vllo unquam tempore non contradicere, facere opponere uel uenire, palam publice vel occulte, directe uel indirecte, per nos aut alios nostri parte; sed ipsas realiter et inuiolabiliter observare ac mandare et facere sine impedimento quolibet observari; nec non et ad petitionem quorumcunque postulantium eas corroborare per nova nostrarum litterarum sufragia cum clausulis et solemnitatibus oportunis. Has nostras litteras magno nostro pendenti sigillo munitas vobis in premissorum testimo-

nium concedentes Datum Gaete in absentia etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXII. die XV. Octobris prime indictionis, Regnorum nostrorum anno VI.

Eodem die ejusdem mensis ibidem similes lictere facte sunt domino Stephano de Baczhis (Łaczkis azaz Laczkovics) Regni Hungarie Palatino cum consensu et auctoritate predictis.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislai Regis. kötetéből 158. l. ; olasz. kir. nápolyi nagy levéltárban.

443.

László siciliai király és magyar ellenkirály de Sancto Angelo magyar nemest a Province helytartójának nevezi ki. 1392.

Ladislaus etc. vir nobilis Hungarus de Sancto Angelo Marescallus Regni Sicilie, Cambellanus et fidelis noster dilectus — fit Prouincie Principatus Vicesgerens.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 159. l.; az olasz. kir. nápolyi levéltárban.)

444.

László siciliai király és magyar ellenkirály követet küld II. Bajazet török császárhoz, ki által leányának kezét kéri. 1392.

Serenissimo Principi domino Pazait Imperatori Turcorum, maiori fratri nostro Ladislaus Dei gratia Rex etc. salutem et fraterne et sincere dilectionis affectum. Quod plerumque perfici atque refferri personaliter locorum distantia prohibet, inuentus, immo utilis et necessarius scribendi modus, ac Oratorum persepe fides exequitur laudabiliter atque supplet. Habentes itaque cum Serenitate Vestra certa conferre que — — — — distantes a nobis eidem Vestre Serenitate uerbo non possumus explicare; nec minus de viro nobili . . . familiari et fideli nostro dilecto ab experto confisi, ea sibi sub credencie fide commisimus; qui de iussu et parte nostris illa

Vestre Serenitati, ad eius se conferens presentiam veniet, est relaturus. Ideoque Imperialem Serenitatem Vestram sincere beniuolentie et fraterne dilectionis affectu precamur, quatenus ... predicti relatibus, quem in agendis nostris et alijs sibi expedientibus fiducialiter Vestre Serenitati reconmictimus, velit eadem Vestra Serenitas fidem tamquam nobis adhibere credentie, Nosque de statu vestro, quem impellente nos fraterno zelo et consanguinitatis nexu quo inuicem iungimur, prosperum audire et esse cupimus, vestris litteris ad nostri recreationem animj, cum habilitas modusque patuerint, informare, statum nostrum, ac Serenissime Domine domine Margarite eadem gratia dictorum Regnorum Regine reuerende genitricis, et illustris Johanne sororis nostrarum fore gratia omnium Conditoris incolumem, ipsi Vestre Serenitatj serie presentium intimantes. Has autem nostras litteras exinde fierj et magni nostri pendentis sigilli jussimus appensione munirj Data Gayete in absentia Logothete et Prothonotarj Regni nostri Sicilie eiusque Locumtenentis per virum nobilem Donatum de Aretio Legum Doctorem etc. anno Dominj MCCCLXXXXII. die decimo octauo mensis Octubris prime indictionis, Regnorum nostrorum anno sexto.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 165. l. az olasz. kir nápolyi levéltárban.)

445.

László siciliai király és magyar ellenkirály a török császár főtisztjeinek ajánlja követét. 1392.

Ladizlaus Rex etc. illustri Amortas amico nostro carissimo salutem et sincere dilectionis affectum. Pro aliquibus agendis nostris honorem et statum nostrum concernentibus virum nobilem ... familiarem et fidelem nostrum dilectum ad presentiam Serenissimi Principis domini Pazait Imperatoris Turcorum maioris fratris nostri, ut quedam Eius Serenitatj nostri parte referat, presentialiter mictimus; cuj similiter certa fidutialiter commisimus per eum vobis eadem nostri parte verbotenus referenda. Quapropter Illustrem Ves-

tram Amicitiam presentium tenore precamur, quatenus eiusdem ... relatibus fidem tamquam nobis adhibere credentie, et ipsum tam in agendis nostris quam in alijs sibi expedientibus recommissum suscipere nostrj amore et contemplatione velitis. Vt ipsi Vestre Illustri Amicitie, ad cuius placida nos offerimus, propterea specialiter teneamur. Has autem nostras licteras exinde fierj et magni nostri pendentis sigilli jussimus appensione munirj. Data Gaiete in absentia Logothete et Prothonotarij Regni nostri Sicilie et eius Locumtenentis, per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Dominj millesimo trecentesimo nonagesimo secundo die XVIII. mensis Octobris prime indictionis, Regnorum nostrorum anno sexto.

(Ehhez hasonló ugyanazon nap alatt kelt levél találtatik, mely szóll »Illustri Aguphasa amico nostro carissimo«.)

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 99. és 165· ll.; az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

446.

László siciliai király és magyar ellenkiralynak több Verbasz és Pozsega vármegyei javakat tárgyazó adománya. 1392.

Ladizlaus Dei gratia Rex etc. Benemeritis Principem providere fidelibus, etsi gratie plenitudo suadeat, obsequiorum quodammodo gratitudo compellit. Sane actendentes merita sincere deuotionis et fidei virorum nobilium Petri filij Paulj militis Viceuayuode Bozonensis, necnon Milos, Dyonisij, Johannis, Stephanj et Blasij fratrum suorum nostrorumque fidelium dilectorum, qui pro fide et statu nostris se non formidaverunt exponere dubie sortis euentibus, laboribus varijs et periculis formidandis, vendicantes sibi propterea vberis gratitudinis nostre munus, grataque, vtilia et accepta seruicia per eos Culmini Nostro prestita, queue prestant ad presens et prestare poterunt laudabiliter in futurum, ex quibus per nos benigne prosequi promerentur; eisdem Petro, Milos, Dyonisio, Johanni, Stephano et Blasio fratribus, ac ipsorum et cuiuslibet eorum heredibus masculini sexus ex ipsorum corporibus legitime descendentibus, natis jam et inantea nascituris

imperpetuum possessionem Harchenzi, et omnes alias possessiones et villas, que fuerunt quondam Gifko filij Vtolen; necnon possessionem Vrifka et omnes possessiones et villas, que fuerunt quondam Nicolaj Conchoz; et villam Vidosenza, que per dictos fratres tenetur ad presens, queue fuit Boronine filij Vidos absque legitimis heredibus et successoribus decedentium, sitas utique et positas in Comitatu seu Districtu de Verbas, per ipsorum vtique Gifko, Nicolaj et Baronine obitum absque legitimis heredibus et successoribus, ut predicitur, decedentium, et ex quibusuis alijs causis legitimis ad manus nostre Curie juste et rationabiliter deuolutas; ac etiam possessionem Strarigradin in Comitatu seu Districtu Posege sitam positam, et ad nos nostramque Curiam spectantem et legitime pertinentem, cum fortellicijs, hominibus, vassallis, jobagionibus, redditibus, censibus, seruitijs, domibus, possessionibus, vineis, oliuetis, terris cultis et incultis, montibus, planis, pratis, siluis, nemoribus, pascuis, arboribus, querquetis, molendinis, piscarijs, theloneis, aquis, aquarum decursibus, tenimentis, territoriis, juribus, jurisdictionibus et pertinentijs earum omnibus, ac sub hijs metis terminis et confinibus, modis et formis, sub quibus supradicte possessimes et ville, que fuerunt predictorum defuntorum, hactenus per eos, et prefata possessio Starigrad nuncusque per nostram Curiam seu Coronam Hungarie tente et possesse fuerunt, nostre noue et irreuocabilis donationis titulo, cum consensu et autoritate Serenissime Domine domine Margarite Dei gratia Regine etc. iuxta usum et consuetudinem dicti Regni nostri Hungarie tenore presentium damus et concedimus de scientia certa nostra, per eum Petrum et fratres et dictos ipsorum heredes inmediate et in capite a nobis et nostris in dicto Regno nostro Hungarie heredibus et successoribus, sub seruitijs et recognitionibus propterea debitis et prestarj solitis, tenendas et perpetuo possidendas; inuestientes virum nobilem Johannem de Grisogonis de Jadra Cambellanum, familiarem et fidelem nostrum dilectum, pro dictis fratribus et eorum heredibus de presenti nostra donatione et gratia per anulum nostrum presentialiter, ut est moris. Quam inuestituram vim et efficaciam vere donationis et realis assecutionis supradictarum possessionum et

46*

villarum volumus obtinere; superioritate quidem et fidelitate nostra, predictisque recognitionibus et seruitijs pro dictis possessionibus et villis Curie nostre debitis, nostris alijs et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rej testimonium presentes licteras exinde fierj et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Data Gayete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXII. die XIX. Octobris prime indictionis, Regnorum nostrum anno sexto.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 167. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

447.

László siciliai király és magyar ellenkirály megerősíti IV. Béla királynak Lipovácz és Szent-Márton nevü jószágokat tárgyazó adományát a Matievics és Miksich nemesek számára. 1392.

Ladizlaus Dei gratia Rex etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Licet adiectionem plenitudo non egeat, nec firmitatem exigat, quod est firmum; confirmatur tamen interdum quod robur obtinet, non quod id necessitas exigat, sed vt suffragium illj cautele plenioris accedat. Sane pro parte virorum nobilium Hercho Matieuich et fratrum, necnon Ladizlai et Hostoye Michzich et fratrum fidelium nostrorum dilectorum, fuit Maiestati Nostre nouiter supplicatum humiliter, vt cum ipsis ex successione progenitorum et parentum eorum ac titulo donationis et concessionis ab olim facte dictis eorum progenitoribus per bone memorie dominum Belam Regem Hungarie predecessorem nostrum, sicut in priuilegijs dicti Regis factis exinde ponitur contineri, habuerint, tenuerint et possederint hactenus, ac ad presens teneant et possideant villam Lipouacz, et villam Sanctj Martini in Borbas, cum hominibus, vassallis, juribus et pertinentijs earum omnibus, confirmare supplicantibus ipsis pro se, et eorum heredibus villas predictas, et ipsius quondam Regis Bele priuilegia propterea iam dictis progenitoribus eorum indulta benignius dignaremur. Nos uero fidelium nostrorum

apta compendia gratis affectibus prosequentes, pro consideratione quoque fidelitatis et seruitiorum dictorum supplicantium, qui ob id per nos tractari et prosequi ubertate nostre gratie promerentur, quamquam predictarum villarum facta iamdictis progenitoribus prenominatorum supplicantium per prefatum quondam Regem Belam concessio et donatio per se valida censeatur et firma; moti nichilominus ipsorum supplicantium nobis in hac parte porrectis supplicatis, et superplenius auditis, que ad exaudictionis gratiam nos inducunt; prenominatis Hercho et fratribus, ac Ladizlao, Hostoye et fratribus, pro se ipsis, et eorum et cuiuslibet ipsorum heredibus masculini sexus ex ipsorum corporibus legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, in perpetuum supradictas villas Lipouacz et Sancti Martinj in Borbas, quas, vt predicitur, tenent et possident, cum hominibus, vassallis, jobagionibus, fortellicijs, censibus, seruicijs, domibus, possessionibus, theloneis, piscarijs, tenimentis, territorijs, metis, terminis, confinibus, juribus, jurisdictionibus et pertinentijs omnibus earumdem, et alijs quibuscumque ad dictas villas spectantibus et pertinentibus quouismodo, et priuilegia similiter dicti Regis Bele prefatis eorum progenitoribus concessa propterea, in robur plenioris cautele, de certa nostra scientia, ac cum consensu et auctoritate Serenissime domine Margarite Dei gratia Regnorum predictorum Regine reuerende genitricis et Balie nostre, tenore presentium ratificamus acceptamus et confirmanus, nostreque ratificationis acceptationis approbationis et confirmationis munimine roboramus. Volentes et decernentes expresse, quod tam prefata donatio et concessio de prescriptis villis per dictum quondam Regem Belam jamdictis progenitoribus memoratorum supplicantium, ut predicitur, facta, plus quam nostra confirmatio exinde subsequuta, supplicantibus ipsis et eorum heredibus perpotuo efficaciter stabilis et incommutabiliter sit realis; fidelitate et superioritate nostra, ac recognitionibus et seruicijs pro supradictis villis Curie uostre debitis et prestarj solitis, alijs quoque nostris et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Data Gaiete in absentia

Logothete et Prothonotarij Regni nostri Sicilie etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Dominj millesimo trecentesimo nonagesimo secundo die decimo nono Octubris prime indictionis Regnorum nostrorum anno VI.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 100. l.; az olasz kir. nápolyi levéltárban.)

448.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak Obrovacz horvátországi jószágot tárgyazó adománya de Grisogonis János számára. 1392.

Ladizlaus etc. Johanni de Grisogonis de Jadra Cambellano et fideli dilecto pro servitiis per eum clare memorie domino Regi Carolo Tertio, nostro domino et reuerendissimo genitori dum uixit, et subsequenter Majestati Nostre impensis; et advertentes etiam, quod quondam vir nobilis Grissius de Grisogonis de Jadra dicti Johannis frater seruitia nostra prosequens captus extitit et in carceribus diem suum clausit extremum; donamus Castrum Obrouacz in Regno Croatie tentum habitum et possessum a diu per Regalem Curiam. Gaiete. MCCCLXXXXII. die XXIIII. Octobris.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislai Regis kötetéből 100. l.; az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

449.

László siciliai király és magyar ellenkirály de Sancto Angelo magyar nemest siciliai birtokában erősiti meg. 1392.

Ladizlaus etc. Vir nobilis Hungarus de Sancto Angelo Cambellamus et fidelis noster dilectus, pro sua solicitudine et strenuitate ac laboribus assiduis in hostium et rebellium nostrorum confusione et excidio, habet in perpetuum terras et loca seu bona quecunque, tentas et occupatas ac tenta et occupata per dictos nostros hostes et rebelles ubicunque sita et posita in Regno nostro Sicilie. MCCCLXXXXII. die VI. Novembris.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislai Regis kötetéből 211. l.; az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

450.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak kormánya Jadrában. 1392.

Ladizlaus Dei gratia Rex etc. Vicemgesentibus, Justitiarijs, Capitaneis, Comitibus, Baronibus, terrarum Dominis nec non Baiulis, Magistris, Juratis et Judicibus ceterisque Officialibus et fidelibus nostris per partes Aprutij et Apulie constitutis presentes licteras inspecturis, eorumque locatenentibus presentibus et futuris fidelibus nostris gratiam et bonam uoluntatem. Pro parte virj nobilis Georgij quondam Johannis de Sancto Petro Hungari, Camerarij familiaris et fidelis nostri dilecti, continuit expositio reuerens Culminj Nostro facta, quod cum Crissius quondam Miche de Baricassis Ciuis Jadrensis, tenens et possidens per se et alios eius nomine tenentes et possidentes hospitium vnum cum curti, orto et pauimentis, cum actionibus quibuscunque ac pertinentijs et juribus, sicut sibi actum congruum et melius visum fuit, non vi, dolo cohactus, aut aliter circumuentus, sua spontanea voluntate in testimonio puplico vendidit et alienauit exponenti prefato presenti et ementi, ut pro se et suis heredibus et successoribus pro pretio et nomine pretij diffiniti ducatorum auri boni et justi ponderis sexcentorum eidem venditori per ipsum exponentem manualiter et realiter solutorum, et promisit dictus venditor eidem emptorj dictum hospitium venditum, ut supra, cum juribus et pertinentijs suis omnibus defendere et antestare ab omnibus hominibus et personis, et de emtione tenerj, et obligauit se ad certam penam et jurauit; et pro predictis obseruandis ad maiorem cautelam ipsius exponentis emptoris fideiussores dedit et posuit penes ipsum exponentem ser Marcum quondam ser Petrj de Glisogolis, et ser Antonium quondam ser Bartholomei de Glisogolis ciues Jadrenses, qui fideiussores quilibet ipsorum in solidum obligauerunt se et bona sua ad certam penam, et jurauerunt predicta actendere et inuiolabiliter obseruare, et contra non facere uel uenire per se ipsos seu predictum venditorem aliqua ratione uel causa, puplice uel occulte, in Judicio uel extra; et consti-

tuerunt se precario nomine et pro parte dicti emptoris hospitium ipsum cum juribus et pertinentijs suis omnibus tenere et possidere, donec hospitij ipsius possessionem exponens ipse acceperit corporalem; prout hec et alia in quodam instrumento puplico, imperialj exinde facto plenius continentur, postquam prefatus exponens ipse acceperit corporalem possessionem dictj hospitij cum juribus et pertinentijs suis omnibus, ipsumque locauit prefato Crissio venditorj presentj et conducentj ad rationem de ducatis viginti per annum soluendis per eundem Crissium dicto exponentj et suis heredibus anno quolibet ratione pensionis hospitij supradictj; et similiter eidem exponentj dictus Crissius fideiussores dedit de soluendo sibi pensionem prefatam predictos ser Marcum et ser Antonium, qui fideiussores in solidum promiserunt soluere pensionem ipsam in casu, quo idem Crissius deficeret in solutione pensionis predicte; et renuntiauerunt legi de primo principalj conueniendo, prout hec et alia in quodam alio instrumento puplico exinde facto plenius continentur. Deinde veniente tempore solutionis pensionis predicte et elapso prefatus exponens in Judicio et extra Judicium requisiuit et requirj fecit prefatum Crissium et dictos eius fideiussores, vt sibi pensionem dictj hospitij soluerent, et dictum hospitium ipse Crissius exflattaret et exflattatum assignaret exponentj predicto; id facere tam dictus Crissius quam prefati eius fideiussores non curauerunt nec curant, propter quod exponens ipse dampnificatus fuit et est in ducatis millesexcentis et plus. Et uolens idem exponens contra dictum Crissium et eius fideiussores prosequi justitiam suam, citarj fecit ipsos principalem et fideiussores in Curia Ciuitatis Jadre coram Judicibus et Officialibus competentibus eiusdem Ciuitatis, super restitutione dictj hospitij, solutione dicte pensionis, ac dampnorum, interesse et expensarum factarum per dictum exponentem. Qui Crissius et fideiussores circumuenti in dicta Curia Jadere per se seu per alios ipsorum nomine certas friuolas exceptiones opposuerunt contra ipsum exponentem; asserentes exponentem ipsum esse rebellem Marchionis Brandeburgensis hostis nostrj, et quod ipse personaliter interuenisset vna cum certis alijs rebellibus ipsius Marchionis ad disrobandum carrectas olim Reginarum

Elisabet et Marie coniugis ipsius Marchionis; et ob istam causam seu occasionem exponens ipse non fuit auditus in juribus suis, et fuit sibi denegata iustitia et spoliatus juribus suis; super quibus prefatus exponens volens in predictis caute agere, fierj fecit sibi certas protestationes tam de justitia sibi negata, quam de requisitione facta dicto principali et fideiussoribus de pecunia solutionis dicte pensionis et de dicto hospitio sibi non assignato, et de omnibus expensis et interresse factis et passis per exponentem ipsum, prout in quibusdam instrumentis puplicis exinde factis plenius continetur. Super quo per ipsum Georgium exponentem Maiestatis Nostre implorato presidio, nos habita super premissis nostrj Consilij deliberatione matura prouidimus et volumus, vestreque fidelitatj de certa scientia nostra harum serie, cum consensu et auctoritate Reuerendissimi in Christo patris domini Angeli etc. commictimus et mandamus expresse, quatenus constito vobis de predictis emptione locatione et protestationibus factis per ipsum Georgium exponentem, vt superius est expressum, vos aut ille uel illi ex uobis, ad quem seu quos presentes peruenerint, capiatis et arrestetis seu capi et arrestarj mandetis et faciatis tot res, merces et bona, in quibuscunque consistant, ex rebus mercibus et bonis quorumcunque hominum Ciuitatis Jadre, portatis et portandis ad terras Jurisdictionum uestrarum, que ascendant ad summam dictorum florenorum mille sexcentorum, ac illas et illa usque ad dictam quantitatem per vos aut alium uel alios vestrum, ut predicitur, arrestandas et arrestanda custodiatis conseruetisque diligenter, ac conseruarj et custodirj sollicite faciatis, et de eis disponatis et faciatis fierj, sicut vobis dabimus per alias nostras litteras in mandatis. Presentes autem licteras post oportunam inspectionem earum pro cautela remanere volumus presentanti vsque ad illarum executionem debitam efficaciter valituras. Data Gaiete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXII. die XXI. mensis Nouembris prime indictionis, Regnorum nostrorum anno sexto.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 85. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

451,

A velenczei kormánytanácsnak engedélye, hogy bizonyos florenczi iparkészitmények Zsigmond király számára a velenczei területen keresztül Magyarországba vittethessenek. 1393.

Anno MCCCLXXXXII. die tertio Januarii. Capta : Quod complaceatur Serenissimo domino Regi Hungarie secundum amicabilem requisitionem suam, quod eius Nuntius possit facere transitum per Venetias cum aliquibus pannis lane et serici aureati, quos laborari fecit in Civitate Florentie, ipsosqueconducere ad partes Hungarie per loca nostra libere et sine impedimento, constando tamen Officialibus nostris, quod illi panni sint prelibati domini Regis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XLII. kötetéből 114. l.)

452.

A velenczei köztársaságnak intézkedései, hogy Trau dalmatiai városban a kitört ellenségeskedések kiegyenlittessenek. 1393.

Anno MCCCLXXXXII. die III. Januarii. Capta : Cum sicut notum est, in tempore nuper elapso occurrerit in Civitate Tragurii et orta sit maxima differentia inter cives, et specialiter inter partem de Michaciis et aliam pcrtem, sequuta sit magna divisio, et dicta Communitas a bono tempore citra fuerit et sit multum amicabilis et devota nostri Dominii, ad cujus instantiam et requisitionem commisimus nobili viro ser Saraceno Dandulo Capitaneo nostro Culfi, quod si ad illas partes Tragurii declinaret, procuraret interponere se ad pacem et concordium inter partes; et de hoc rogatum fuit nostrum Dominium per quemdam venerabilem fratrem Ordinis Minorum, Ambaxatorem dicte Communitatis. Et ultra hoc per Notarium nostre Curie missum ad dictam Communitatem nobis relatum fuit ex parte sua, quod ipsi Tragurini multum contentabantur et rogabant, ut interponeremus nos ad sedandum errores et divisiones predictas, cum essent multi bene contenti de omni eo, quod faceremus in factis predictis; et

super inde pro omni bona causa et respectu omnimo providendum sit: vadit pars, quod Collegium Domini, Consiliorum, Capitum et Sapientum Consilii et Ordinum habeat libertatem mittendi unam solemnem personam, et tam nobilem quam aliam, ad predictam Communitatem Tragurii pro ponendo pacem, reconciliationem et bonum amorem inter predictas partes, cum illa commissione, que videbitur dicto Collegio vel maiori parti, et vadat dicta persona sine expensis nostri Communis.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyv XLII. kötetéből 112. l.)

453.

Velenczei eredetü Gritti György László siciliai király és magyar ellenkirálynak szolgálatában. 1393.

Ladizlaus Dei gratia Rex etc. nobili viro Georgio Gripti de Venetijs Secreto et Procuratorj Secretie ac Magistro Salis Aprutij per nos nouiter ordinato, familiari et fideli deuoto nostro dilecto, gratiam et bonam voluntatem. Licet te ordinauerimus nouiter Secretum et Procuratorem ipsius Secretie et Magistrum Salis dicti utriusque Aprutij; nos enim aduertentes, quod tu nostris alijs hic occuparis agendis non poteris commode premissorum exercicio personaliter interesse, et nolentes propterea jura nostre Curie aliquam incurrere lesionem; tibi quod possis et valeas jam dicta Secretie et Magistratus Salis officia, que tibi per alias nostras literas commissimus exercere et amministrare per tuum ydoneum substitutum, qui loco tuj prenotata Officia et alia ad illa spectantia gerat exequatur et exerceat, plenam de certa nostra scientia, ac cum consensu et autoritate Sanctissimi in Christo Patris domini Angeli tituli Sancti Laurentij in Damasco etc. tenore presentium concedimus potestatem. Sic quidem, quod de dicto per te taliter subtituto merito confidendum existat, tuque de ipsius defectibus et excessibus nostre Curie principaliter tenearis; has nostras literas magno nostro pendenti sigillo munitas tibi in premissorum testimonium concedentes. Data Gaiete in absentia Logothete etc. per virum nobilem Donatum de

Aretio etc. anno Domini millessimo CCC. nonagessimo tertio die XVIII. Februarij prime indictionis, Regnorum nostrorum anno sexto.

(A »Registri Angioini« 368. sz. a. Reg. Ladislai Regis kötetéből 152. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

454.

A velenczei köztársaságnak Magyarország ügyeit tárgyazó határozata. 1393.

Anno MCCCLXXXXIII. indictione prima, die vigesimo nono Aprilis. Capta: Quod respondeatur ad istam Ambasiatam nobis expositam per Ambasiatores Magnifici domini Comitis Johannis; et primo ad primam partem de liga tractanda cum domino Rege Hungarie contra Turchos, ad quam offert se interponere inter ipsum dominnm Regem et nos, in casu quo nobis placeat attendere ad illam, non dubitans, quod dominus Rex erit contentus mittere suam Ambasiatam ad tractandum illa etc. Quod nos clare et manifeste cognoscimus, quod motio verborum istius tractatus lige, quam facit Magnificus dominus Comes predictus, procedit a sincero amore et tenera caritate, quam semper portavit et portat nobis et nostro Dominio; et similiter a solito fervore, quem habuit et habet ad conservationem honoris et status Regni et Corone Hungarie, de adversitatibus et persecutionibus cuius Regni teste Deo nos gravavit et gravat immense. Sed sicut Magnificentia Sua, cui patent ut nobis omnia, que fecimus et operati sumus pro augmento et conservatione illius Regni, plene novit, inter ipsum dominum Regem et Coronam Hungarie, et nos nostrumque Commune viget ita bonus amor et sincera dilectio, quod et propter istam causam et plures alias rationabiles et honestas non videtur nobis necessarium intrare ad tractatum lige, sed si ipsi domino Regi pro conservatione Regni sui forent aliqua necessaria, que per nos fieri possunt, nos quociescunque fuerimus requisiti, parati inveniemur ad complacendum Sue Maiestati, faciendo versus nos de rebus iustis, rationabilibus et honestis; regratiantes immense ipsi

domino Comiti de bona dispositone, quam omni die evidentius habere cognoscimus, Magnitudinem Suam ad honores et beneplacita nostra, ad cuius queque grata sumus vice versa prompta mente dispositi.

Ad alteram partem de tribus galeis, quas ipse dominus Comes requirit a nobis pro damnificando Jadratinos, ut sint obedientes domino Regi et Corone Hungarie, ac sibi tanquam Bano Dalmatie etc.; respondeatur, quod nos sumus satis certi, quod dominus Comes non dubitat, quod nos libenter complaceremus Magnificentie Sue de cunctis nobis possibilibus cum nostro honore; sed in veritate istud foret cum nimio onere nostri Dominii, et contra id, quod querimus et quesivimus tota die, scilicet vivere in pace et benivolentia cum omnibus, et precipue cum circavicinis nostris. Nam non est dubium, quod si daremus dicte Sue Magnificentie galeas predictas, Jadratini possent iuste et rationabiliter gravari de nobis; et propterea rogamus, quatenus istis consideratis et aliis, que dici necessaria non sunt, habere nos placeat merito excusatos.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államakták R. kötetéből 81. sz. a.)

455.

Hedvig lengyel királynénak privilegiuma, melylyel atyjának I. Lajos magyar és lengyel királynak egy malomra vonatkozó engedélyét erősiti meg, a kartauziak szepesmegyei lechniczi zárdája számára 1393.

Hedvigis Dei gracia Regina Polonie, Lithuanieque Princeps Suprema et Heres Russie etc. significamus quibus expedit vniuersis, quod oblata peticio religiosi viri Pauli Prioris Monasterij Sancti Anthonij prope Dunayecz siti Ordinis Carthusiensis nostri deuoti dilecti continebat, quatenus litteram papiream Serenissimi Principis recolende memorie domini Lodovici olim Hungarie et Polonie Regis genitoris nostri carissimi, eius vero sigilo appresso munitam, ratificare et innouare de innata nobis benignitate dignaremur. Cuius quidem litere tenor sequitur et est talis :

Nos Lodouisus D. gr. Rex Hungarie, Polonie, Dalmatie stb. (következik I. Lajos magyar és lengyel királynak 1381. okmánya, mint Fejérnél Cod. Dipl. IX. köt. 5. r. 483. l.)

Not itaque peticionibus prefati Pauli Prioris misericorditer inclinati literam prescriptam ratam et gratam habentes, ipsam in omnibus suis punctis, clausulis et condicionibus innouamus, ratificamus et approbamus; volentes ipsam robur obtinere perpetue firmitatis. Volumus insuper, et de speciali nostra Reginali gracia mandamus districcius iniungentes omnibus Tenutariis, Burgrabiis et Officialibus dicti nostri Castri Czornstim, qui pro tempore fuerint, quatenus dictum Priorem et suos successores, una cum ipsorum Conuentu, in molendino, quod habent in predicto flunio Dunayecz, molestare, et ab ipsis pretextu obstaculi a predicto molendino ad rippam istius partis protensi trans fluuium, aliquas exoneraciones aut exacciones ineptas exigere et postulare non presumat. Si quis autem ex ipsis (contra) hanc nostram graciam et indultum aliquid contrarij temere attentare presumserit, nostram inde grauem indignacionem se nouerit incursurum. Datum in Sandecz die Sancti Gotardi martiris anno Domini millesimo trecentesimo nonagesimo tercio.

(Albert János lengyel királynak 1494. »in Podolynecz feria quinta festi Ascensionis Domini« kelt megerősitő privilegiumából, a »Metrica« czimű lengyel államkönyvből, a varsoi országos levéltárban.)

456.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak Szodamar Somogymegyei birtokot tárgyazó adománya szakácsa Pál mester számára. 1393.

Ladizlaus etc. Paulus filius Nicolai de Somagi nostre coquine magister cocus familiaris et fidelis, pro gratis fructuosis utilibus et acceptis servitijs per eum tam clare memorie Karolo Tertio dictorum Regnorum Regi Inlito reuerendo gnenitori nostro, quam nobis continuatione laudabili fideliter prestitis, queue cum multa solicitudine prestat ad presens; habet in perpetuum villam Sodamar de Prouincia Somagi Regni

nostri Hungarie de demanio nostro ad nos et nostram Curiam spectantem et legitime pertinentum etc. Data Capue. MCCCLXXXXIII. quinto Julij.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislaí Regis kötetéből 130. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

457.

László siciliai király és magyar ellenkirály Gritti Györgyöt Cherso és Ossero dalmatiai szigetek grófjának nevezi ki. 1393.

Ladizlaus Dei gratia Rex etc. nobili viro Georgio Gritti de Venetijs etc. gratiam et bonam voluntatem. Actendentes merita tue sincere ac constantis deuotionis et fidei, qua erga nos laudabiliter clariusti, nec non grata vtilia et fructuosa seruicia per te Maiestati Nostre fideliter et laudabiliter prestita, queue prestas ad presens et prestare poteris in futurum; ex quibus te speciali nostra gratia dignum et benemeritum reputamus; nec minus de tue fidelitatis probitatis et legalitatis meritis ex probata rerum experiencia plenarie confidentes, Te Comitem seu Rectorem Ciuitatum et Insularum nostrarum Chersi et Absari partium Regni nostri Dalmatie, et Districtuum earundem, cum juribus, jurisdictionibus, autoritatibus, potestatibus et pertinentijs omnibus et singulis ad dictum Comitatum seu Rectoriam spectantibus et pertinentibus quouis modo, et alijs eis modo et forma, quibus ac si et prout de huiusmodo Comitatu et Rectoria per clare memoire dominum Ludouicum Dei gratia Hungarie, Dalmatie etc. Regem, nobis honorabilem tanquam patrem, prouidere consueuit quoad uixit, de certa nostra scientia, vsque scilicet ad nostrum beneplacitum et voluntatem, presentium tenore statuimus; Tibique iam dictum Comitatum seu Rectoriam modo et forma premissis harum serie conferimus pro honore. Volentes et intendentes expresse, quod tamquam Comes seu Rector Ciuitatum seu Insularum predictarum per nos ut predicitur ordinatus illis honoribus, fauoribus, libertatibus, immunitatibus, exceptionibus, priuilegijs, prerogatiuis et gratijs vbilibet de cetero potiaris et gaudeas, quibus alij Comites seu Rectores earundem Ciuita-

tum et Insularum, qui fuerunt, pro tempore potiti et gauisi hactenus extiterunt. Concedentes tibi nichilominus harum serie de dicta certa nostra scientia, eo quod hic ad alia Curie nostre seruicia frequentius occuparis, quod possis et valeas quamdin de dieto nostro beneplacito huiusmodi Comitatatus seu Rectorie fungeris Officio, aliquem virum probum fidelem sufficientem et ydoneum, de quo sit merito confidendum, et de cuius defectibus et excessibus tu nostre Curie principaliter tenearis, substituere et dimittere loco tui in Ciuitatibus et Insulis memoratis, recepto prius a te solito fidelitatis et de Officio ipso per te seu dictum tuum substitutum exercendo fideliter corporali ad Sancta Dei Euangelia juramento. Quocirca tue fidelitati precipimus, quatenus statim receptis presentibus ad dictas Ciuitates et Insulas te personaliter conferens, seu prefatum substitutum tuum illuc transmittens, omnia que ad huiusmodi Comitatum seu Rectoriam spectant et pertinent, ad honorem et fidelitatem nostram, ac preseruationem et statum salubrem nostrorum fidelium dictarum Ciuitatum et Insularum, earumque pertinentium et districtuum, cures sic fideliter et vigilanter exequi seu per dictum tuum substitutum aliter facere celebrari, quod per merita tue gestationis laudabilis et actus probate experientie possis de maiori per Nostram Excellentiam promoueri; reuocantes earundem tenore presentium quemlibet alium Comitem seu Rectorem in dictis Ciuitatibus et Insulis quomodolibet ordinatum. Nos enim viris nobilibus Judicibus, Consilio ac Vniuersitatibus et hominibus dictarum Ciuitatum et Insularum, pertinentium et Districtuum earundem, fidelibus nostris dilectis, damus vigore presentium, et per alias nostras licteras expressius in mandatis, quod tibi tamquam Comiti seu Rectori earundem Ciuitatum et Insularum per nos ut predicitur ordinato, seu prefato substituto tuo, in omnibus que ad huiusmodi Comitatum seu Rectoriam pertinere noscuntur, ad huius nostri honorem et fidelitatem nostram deuote pareant, efficaciter hobediant et intendant, ac de consueto et debito debeant integraliter respondere; penas autem et banna etc. has nostras licteras magno nostro pendenti sigillo munitas tibi in premissorum testimonium concedentes. Data Capue in absentia etc. per

virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXIII. die decimo Julij prime indictionis Regnorum nostrorum anno septimo.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislai Regis kötetéből 144. l.; az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

458.

László siciliai király és magyar ellenkirály Gritti Györgynek Cherso és Ossero dalmatiai szigeteknek jövedelmeit adományozza. 1393.

Ladizlaus Dei gatia Rex etc. Magnificis viris Banis Regni nostri Dalmatie, nec non Judicibus, Consilio, Vniuersitatibus et hominibus Ciuitatum et Insularum nostrarum Chersi et Abrasi partium dicti Regni nostri Dalmatie, ac Salinarijs, Tricesimatoribus statutis, et quibuscunque perceptoribus jurium, reddituum et prouentuum Cabellarum nostrarum, tricesimi et salis Ciuitatum et Insularum Cabellotis seu Credencerijs, Officialibus nostris alijs, ad quos spectat et spectare poterit, presentibus et futuris fidelibus nostris dilectis gratiam et bonam voluntatem. Considerantes, quod virum nobilem Georgium Gritti de Venetijs etc. ac Comitem seu Rectorem Ciuitatum et Insularum predictarum per nos nouiter ordinatum oportebit in dictis Ciuitatibus et Insulis subire per se vel locumtenentem sumptus multiplices et labores; intendentes dicto Georgio de aliquo, unde sumptus ipsos commodius supportare valeat, prouidere; eidem Georgio in aliqualem supportationem dictorum sumpptuum jura nostra omnia dictarum Cabellarum nostrarum, Tricesimj et salis Ciuitatum et Insularum predictarum vsque ad nostrum beneplacitum tenore presentium concedimus de scientia certa nostra. Quocirca volumus et fidelitati vestre de dicta certa nostra scientia harum serie mandamus expresse, quatenus vos predicti Judices, Consilium etc., et perceptores jurium predictorum Cabelloti seu Credencerij Officiales, presentes videlicet et futuri, eidem Georgio tamquam Comiti seu Rectori dictarum Ciuitatum et Insularum per nos, vt predicitur, ordinato, vel ipsius locumtenenti, aut persone legitime pro eodem jam dicta

jura, reddictus et prouentus prefatarum Cabellarum nostrarum, tricesimi et salis dictarum Civitatum et Insularum nostrarum Chersi et Absari recolligenda et percipienda per vos ac ad manus vestras exinde prouentura studeatis anno quolibet a die ingressus dicti Georgij, seu prefati locumtenentis sui ad dictum Comitatum, seu Rectorie Officium in antea numerando. quamdiu dicti beneplaciti nostri fuerit, vicibus singulis pro causa huiusmodi integraliter assignare, et ab eo de assignatione huiusmodi recipere apodixam ydoneam vel scripturam aliam, que vobis sufficiat ad cautelam; vosque predicti Bani presentes etiam et futuri non impediatis in aliquo assignationem, sed illam per supradictos Officiales nostros fieri sicut predicitur permictatis, et etiam jubeatis, eos ad predicta in casu renitentie efficacibus remedijs compulsuri. Presentes autem licteras post oportunam inspectionem earum, transumpto ipsarum per vos predictos Judices et Consilium. Vniuersitates et homines ac Salinarios, Tricesimatores statutos, et preceptores Cabellotos seu Credencerios et Officiales, prout vestrum intererit in puplica forma recepto pro cautela, restitui volumus presentanti premisso modo efficaciter valituras; quas magno nostro pendenti sigillo juximus communiri in testimonium premissorum. Data Capue in Camera nostra in absentia Johannis de Thienis etc. per Stephanum de Thienis etc. anno Domini M.CCC.LXXXXIII. die XI. Julij prime indictionis, Regnorum nostrorum anno septimo.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a. Reg. Ladislai Regis kötetéből 144. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

459.

László siciliai király és magyar ellenkirálynak Cherso és Ossero dalmatiai szigeteket tárgyazó adománga Gritti György és testvérei számára. 1393.

Ladizlaus Dei gratia etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Actendentes merita sincere ac constantis deuotionis et fidej, qua vir nobilis Georgius Gripti de Venetijs, filius quondam dominj Friadarj Gripti

de Venetijs, nostri hospitij magister hostiarius, Cambellanus, familiaris et fidelis noster dilectus erga nos laudabiliter claruit, necnon grata vtilia et fructuosa seruitia per eum Magestati Nostre fideliter et laudabiliter prestita, persone sue pericula, sumptus, labores et tedia nullatenus formidando, queue prestat ad presens et prestare poterit vtiliter in futurum, ex quibus ipsum specialj nostra gratia dignum et benemeritum reputamus; eidem Georgio, et suis heredibus masculinj sexus ex suo corpore legitime descendentibus, natis iam et inantea nascituris, imperpetuum Ciuitates et insulas Chersj et Absarj partium Regni nostri Dalmatie, que fuerunt quondam Magistri Sarraceni de Padua sine legitimis liberis decedentis, et successione Johannis de Padua fratris sui Nostreque Maiestatis rebellis notorii, tam per ipsius quondam Magistri Sarracenj obitum decedentis sine legitimis liberis, ut est dictum, quam per dicti Johannis rebellionem notoriam et lese Nostre Maiestatis crimen, adherendo fauendo et assistendo hostibus, emulis et rebellibus nostris, Regni nostri Hungarie, sequacibus, adherentibus et fauentibus eorundem, ad manus nostre Curie juste et rationabiliter deuolutas, cum Castris, fortellicijs, villis, hominibus, vassallis, jobagionibus, redditibus, censibus, seruitijs, domibus, possessionibus, vineis, oliuetis, terris cultis et incultis, montibus, planis, pratis, siluis, nemoribus, pascuis, arboribus, querquetis, molendinis, piscarijs, theloneis, aquis et aquarum decursibus, tenimentis, territorijs, juribus, jurisdictionibus et pertinentijs earum .omnibus, ac sub illis metis, terminis et confinibus, sub quibus dicte Ciuitates et Insule per dictum Magistrum Sarracenum, dum vixit, et successione per prefatum Johannem fratrem suum, tente fuerunt hactenus et possesse, et alijs, eis modo et forma, quibus ac si et prout dicte Ciuitates et Insule per recolende memorie dominum Ludouicum Dei gratia Hungarie, Dalmatie etc. Regem nobis honorabilem tamquam patrem concedi consueuerunt, dum vixit, de certa nostra scientia, nostreque noue et irreuocabilis donationis titulo iuxta usum et consuetudinem dictj Regnj nostri Dalmatie, tenore presentium damus, concedimus et donamus; per eundem Georgium, et dictos suos heredes inmediate et in capite a nobis et nostris in dicto Regno nos-

tro Hungarie heredibus et successoribus, sub seruicijs et recognitionibus propterea debitis et prestarj solitis tenendas et perpetuo possidendas. Concedentes eidem Georgio in augumentum gratie potioris, quod in casu, quo contingat eundem Georgium, quod absit, sine legitimis liberis masculinis ex suo corpore derelictis ab hac vita decedere, viri nobiles Bonus homo (Bonuomo) et Marinus Griptj de Venetijs, ipsius Georgij fratres carnales utrumque coniuncti, utrumque deuoti dilecti, et eorum heredes legitimi masculini sexus ex ipsorum et cuiuslibet eorum corporibus descendentes, nati iam uel inantea nasciturj, in eisdem Ciuitatibus et Insulis per nos dicto Georgio taliter concessis juribus et pertinentijs earum succedant et succedere debeant, et ad eos in premisso casu huiusmodi successio deuoluatur; quos ex nunc in casu premisso ad eiusdem successionis compendium habilitas reddimus et capaces, lege seu constitutione quacunque contraria non obstante. Inuestientes nichilominus eundem Georgium pro se, dictisque suis heredibus, et eius prefatis fratribus et heredibus similiter eorundem, de presenti nostra donatione et gratia per anulum nostrum presentialiter, ut est moris; quam inuestituram vim robur et efficaciam vere donationis et realis concessionis Ciuitatum et Insularum predictarum volumus et decernimus obtinere; superioritate quidem et fidelitate nostra, predictisque recognitionibus et seruitijs a dictis Ciuitatibus et Insulis Curie nostre debitis et prestari solitis, alijsque nostris et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Data Capue in absentia Logothete et Prothonotarij etc. per virum nobilem Donatum de Aretio etc. anno Domini MCCCLXXXXIII. die XI. Julij I. indictionis, Regnorum nostrorum anno septimi.

(A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 190. l., az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.)

460.

Hervoya boszniai föur és testvére velenczei polgároknak felvéttetnek. 1393.

Anthonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum universis et singulis tam amicis quam fidelibus, et tam presentibus quam futuris, presens priuilegium inspecturis salutem et sincere dilectionis affectum. Tanto benignius Ducalis Providentia consueuit personas egregias et honorabiles sibi amicabiles et devotas honoribus prevenire, ipsorumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsorum petitiones liberalius exaudire quanto Ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam Egregius ac Magnificus vir dominus Chervoye Voyvoda, filius condam Voyvode Bossinensis ad Nostre Magnitudinis Excellentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, Ducatum nostrum et singulares personas Ducatus eiusdem tangentibns promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet suplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, prefatum Magnificum dominum Chervoyam Voyvodam nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata in Venetum civem nostrum cum suis filiis et heredibus perpetuo recepimus atque recipimus, et Venetum et civem nostrum fecimus et facimus, et pro Veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni effectu et plenitudine volumus et tractari; ipsum sincere benevolentie brachiis amplexantes et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscumque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudent et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus Cheruoye Voyvoda cum suis heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur; Nobis quoque prefatus dominus Chervoye Voyvoda per suum procuratorem legitimum solenniter ad Sancta Dei Evangelia prestitit fidelitatis debitum juramentum. In cujus rei fidem et evidentiam ple-

niorem presens privilegium fieri jussimus, et bulla nostra aurea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, mensis Julii die tertio decimo, indictione prima.

Simile privilegium factum fuit de verbo ud verbum Egregio et Magnifico viro domine Volcho Bano filio condam Voyvode Bossinensis, fratri suprascripti domini Chervoye.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyvből VIII. köt. 305. l.)

461.

A velenczei kormánytanácsnak a László siciliai király és magyar ellenkirály, s II. Bajazet török császár leánya közt tervezett házasságra vonatkozó határzata. 1393.

Anno MCCCLXXXXIII. indictione II. die XI. Septembris. C a p t a : Quod scribatur ser Francisco Bembo Vicecapitaneo Culphi in hac forma :

Intelleximus litteras vestras, quas misistis, nobis, datas supra Spalatum XXVIII. mensis Augusti, in quibus inter alia fit mentio, qualiter ille Nicolaus de Tragurio vobis dixit, quod habet in mandatis a Domino suo de faciendo poni cum uno brigentino unum Turchum in Apuleam, qui est Ambaxator domini Basaiti, et vadit ad dominum Regem Vencislaum (helyesebben Ladislaum) pro complemento nuptiarum tractatarum inter ipsum dominum Regem et filiam dicti Basaiti; et quod vos estis dispositus ire ad apostandum eum in aquis Manfredonie, quia habetis, quod debeat illuc capitare; et si casus dabit, quod veniat in manus vestras, reddere sibi meritum pro suis bonis operibus. Unde consideratis omnibus, que consideranda sunt super ipsa intentione vestra, et maxime quod dictus Turchus Ambaxator non vadit in cursum, nec pro aliqua alia, quantum ad nos, causa inhonesta; fidelitati vestre cum nostris Consiliis scribimus et mandamus, quod in casu quod veniret in manus vestras eundo vel redeundo, vos non debeatis ei, nec suis in personis vel rebus, nec dicto brigentino aliquam iniuriam vel violentiam facere, sed debeatis ipsum

honorare cum illis verbis et per illum modum, qui vestre sapientie videbitur, ita quod habeat causum laudandi nos, Dominium nostrum et vos; agendo vos taliter in executione istius nostri mandati, quod possitis apud nos de bona observantia commendari.

(A »Misti« czimű velenczei államkönyvből XLII. köt. 215. l.)

462.

VI. Károly franczia királynak Venczel római és cseh király Magyarország dolgairól. 1393.

Illustris Princeps, consanguinee carissime!

Quotiens gratissime persone vestre totiusque Domus Regalis Francie Serenitati Nostre Regie occurrit memoria, protinus mens nostra in letitie specialis resultat tripudium, tantoque avidius persone statusque vestri prosperum incrementum audire crebrius peroptamus, quanto vos in votivis nostris successibus non minus affici desiderio perpendimus evidenter. Ut igitur de status vestri jocunditate certius intruamur, Dilectionem Vestram studioso conamine deprecamur, quatenus nobis in augmentum congaudii status tam persone quam votivorum successuum vestrorum nobis placeat sepius intimare, singularis nobis in eo amoris indicium ostensuri, promptis utique ad ea, que vestris congruunt beneplacitis et arrident. Et ut vos votivorum nostrorum successuum relatione vicaria non lateat certitudo: ecce quod annuente Domino, cujus dirigente dextra Reges regnant, optata mentis et corporis incolumitate vigemus, cunctaque nobiscum sunt prospera, et per Regna nostra magnifice dominamur; optantes et de vobis audire continuo queque grata. Insuper, consanguinee carissime! quod hucusque Dilectioni Vestre in facto Sancte Matris Ecclesie nichil certi nuncciare valuimus, fecit hoc magnitudo prepediens regalium agendorum, et non minus quotidie prestolatus adventus Serenissimi Principis domini Sigismundi Ungarie etc. Regis, fratris nostri carissimi, quem infra octavas Epiphanie proximas venturum Pragam indubie exspectamus; propter cujus exspectationem Consiliariis nostris carere com-

mode non valemus. Cum quo habito colloquio, mox in facto Sancte Matris Ecclesie ac aliis nostris negotiis solemnes Ambasiatores nostros ad vos destinare curabimus, intentionis nostre propositum vobis clarius aperturos. Placeat igitur nos super mora in premissis, quamquam nobis renitentibus incidente, habere favorabiliter excusatos.

(XV. századi kézirati codexből, a herczeg Schwarzenberg családnak wittingaui levéltárban.)

463.

Venerio Antal velenczei dogének Dabissa István bozsniai király. 1394.

Excellentissime frater carissime. Quia iam dudum, sicut recolimus alias Excelentie Vestre scripsisse, commisimus Egregio viro domino Georgio Protovestiario nostro dilecto sibi noto, quod de galeis nostris istic Venetiis apud vos existentibus, sicut scitis, vice nostra ordinare disponereque deberet et posset, prout videretur et placeret eidem; ex tunc nos ratum et gratum habere, quidquid super inde faceret, promittendo. Et nunc ipse commissionem nostram huiusmodi sibi factam, licet alias eam prius fecerit, sicut refert nobili viro Marino de Caboga honorabili civi et factori Ragusino istic idem Venetiis, ut nostis, tunc et nunc etiam existenti, venerabilem virum dominum Michaelem Dominici, presbyterum Ragusinum capellanum suum, exibitorem scilicet harum, istuc idem ad vos mittit specialiter exequutum. Igitur ipsum ipsi Excellentie Vestre recommendamus, attente requirentes eamdem, eum in sibi commissis per ipsum Fraternitati Vestre oretenus expediendis nostri consideratione recommendatum habere et dirigere, et sibi demum favorabiliter assistere dignemini in eisdem, sicut quod vestro mediante favore finem exinde celerem et optatum, sicut de dicta Fraternitate Vestra confidimus, consequi valeamus, factura nobis in eo complacentiam specialem, adscribendam inter specialia beneplacita nostra, et tandem vice versa vobis et vestris in omnibus vobis gratis libenter es libere rependendam, prout idem dominus Michael de omnibut Excellentiam informabit Eamdem; cui que circa hec referet, ei

viva voce nostrique vice credulam fidem placeat adhibere. Data in aula nostra Suthisce die secunda mensis Februarii, anno MCCCLXXXXIIII.

Stephanus Dabissha Dei gratia Rascie, Bosne Maritimeque etc. Rex.

Kívül : Excellentissimo fratri nostro carissimo domino Anthonio Venerio Dei gratia Duci Venetiarum.

(A »Copia de Commemoriali« czimű velenczei államkönyv VIII. kötetéből 483. l.)

464.

Mária magyar királynénak és Zsigmond királynak a florenczi köztársaság. 1394.

Regi Hungarie.

Serenissime Princeps et Domine metuendissime. Franciscus Federigi, Nicholaus de Ujano et Johannes Tommasii, honorabiles mercatores et dilectissimi nostri cives, suas mercantias et pecunias crediderunt Augustino Maruccij de Florentia, quas deberet ipsorum nomine sub certis condiccionibus exercere, et de ipsis secundum mercatorum consuetudinem bonam prefatis nostris civibus reddere rationem. Videtur autem idem Augustinus de rebus antedictis Curie Vestre et pluribus vestris Officialibus a semetipso tradidisse non modicam quantitatem. Ex quo cum nondum eidem Augustino satisfactum sit, non potest predictis suis Dominis respondere : cuius rei gratia decreverunt ad illas partes Antonium Nicholai Macigni et Dominicum dicti Francisci filium, ad revidendum cum eodem Augustino de supradictis negociis rationem, et ea que credidit, cum Vestre Majestatis favoribus exigendum. Quamobrem ipsos benignitati vestre, totius nostre devotionis affectibus commendamus, omni cum reverentia supplicantes, quatenus pro iustitie cultu, nostreque intercessionis intuitu dignetur Vestra Sublimitas eisdem contra dictum Augustinum et debitores suos ius expeditum atque summarium facere ministrari, et pro Vestre Majestatis honore, de rebus, Officialibus et Curie vestre traditis taliter facere satisfieri, quod prelibati nostri

cives nullum ex hoc sentire valeant detrimentum. In qua quidem re considerare dignetur Clementia Vestri Throni, quod nichil aliud efficacius inducit et citius in extreme destructionis miseriam mercatores, quam si pretia mercantiarum, de quibus secuti fuerint emptorum fidem, debitis temporibus non solvantur. Ut non solum humanum, sed debitum et honoris Vestri Culminis sit taliter providere, quod vestri servitores et subditi, quod debent solvant, et de Regalis solutionis retardatione exemplum ac similitudinem non assumant. Nostra vero devotio quicquid circa predicta Vestra Serenitas duxerit ordinandum, sibi reputabit singulariter gratiosum, cum viderit iustissimas preces nostras apud Vestram Eminentiam exaudiri. Datum Florentie die VIIII. Februarij III. indictionis MCCCLXXXXIIII.

Regine ut supra cum hoc adiuncto: Super qua materia dignetur Vestra Superemineutia reminisci devotionem nostri populi, quam semper ad felicis recordationis gloriosissimi genitoris vestri magnitudinem gessit, et benivolentiam quam Sua Majestas erga Florentinos omnes cunctis temporibus demonstravit, ut sicut preces nostre in Celsitudinis Sue conspectu nunquam vacue fuerunt, sic in humanitatis vestre manibus, cum exauditionis desiderate effectu, benigniter audiantur. Datum Florentie ut supra.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXIII. kötetéből 109. sz. a.)

465.

A velenczei kormánytanács Frangepán János dalmát-horvát bánt felszóllítja, hogy néhány az almissaiak által elfogott lovagnak szabaddá bocsáttatását eszközölje. 1394.

Anno MCCCLXXXXIII. indictione secunda, die XXVII. Februarii. Capta: Quia venientibus aliquibus nobilibus Francigenis et Flamengis cum una nostra griparia de Mothono a Sancto Sepulcro, ipsi per unam galeotam de Dalmisio capti fuerunt, et captivi cum pecunia et bonis suis illuc ducti, cum magno onere nostri Dominii propter

ordinem nostrum alias captum superinde et notificatum in omnem civitatem et locum intra Culfum existentem, et cum damno et periculo civium et mercatorum nostrorum mercantium et conversantium cum galeis, bonis et mercationibus suis in partibus, quarum ipsi nobiles sunt oriundi; et propterea expediat superinde providere de illis remediis, que nobis possibilia sunt; vadit pars, quod mittatur presto ad ipsum locum Dalmisii unus noster Nuncius cum una bona barcha armata, cui committatur, quod si Johannes Banus, ad quem spectat ipse locus, erit ibi vel in partibus non multum remotis, ita quod secure ire possit ad eum, vadat ad presentiam suam, et presentatis sibi nostris litteris credulitatis, exponat, qualiter novissime ad nostram audientiam est deductum, quod venientibus cum una nostra griparia et cum uno nostro navigio a Sepulcro Dominico aliquibus nobilibus partium ultramontanarum ipsi cum havere et bonis suis per unam galeotam armatam in dicto loco extracti fuerunt de dicto navigio, quod reputamus ut propriam urbem nostram, cum bonis suis, et captivi ducti ad ipsum suum locum Dalmisii; contra ordinem et provisionem nostram alias notificatam omnibus civitatibus et locis existentibus intra Culfum, qui erat et est, quod omnes venientes ad terram nostram et inde recedentes tam cum nostris navigiis quam aliorum, forent salvi et securi in personis vel bonis suis. De qua violentia et novitate turbati sumus quantum esse possumus; quia nullo modo credere poteramus, consideratis his, que scripsimus et dici sibi fecimus ac Rectoribus loci sui, quod subditi sui processissent ad tantam violentiam contra nostra navigia, homines et bona existentia in eisdem, que salva esse volumus ut proprios cives nostros et bona sua. Et propterea requirimus Magnitudinem Suam, quatenus placeat tenere modum, quod ipsi nobiles capti per dictam suam galeotam, cum bonis suis libere relaxentur et assignentur ipsi nostro nuncio, nt habeamus causam remanendi bene contenti, et habendi eum, subditos et loca sua in nostrum amicum, sicut cupimus et optamus. Faciendo circha istam nostram intencionem obtinendam cum ipso domino Johanne Bano totum id, quod poterit; cum istis et aliis bonis verbis, secundum quod ipsi nuncio utile et necessarium apparebit. Et

si poterit obtinere nostram intentionem predictam, ita quod ipsi nobiles cum bonis suis totaliter liberentur, tunc teneat nuncius noster modum, quod recedere possint deinde et venire ad partes istas, rogando ipsum dominum Johannem, quod det taliter in mandatis suis subditis loci predicti Dalmisii, quod de cetero se abstineant a damnificando nostros et nostra navigia, et similiter omnes alios venientes ad civitatem nostram, et inde recedentes cum mercationibus et bonis suis in nostris navigiis vel aliorum, secundum quod in ipso nostro ordine continetur. Si vero non posset dictam nostram intentionem obtinere, tunc facta omni possibili experientia dicere debeat ipsi domino Johanni Bano, quod pro honore nostro non potuimus aliter pertransire, quam providere superinde de remediis opportunis secundum formam nostri ordinis antedicti, qui est, tractare tales damnificantes nostros vel alios venientes ad terram nostram aut inde recedentes tamquam publicos piratas, et similiter loca ipsos receptantia. Et ad cautelam detur dicto nuncio copia ipsius nostri ordinis, ut sit de eo plenarie informatus; et adimpletis predictis accepto commeatu Venetias revertatur, dando operam, si commode facere poterit, quod ipsi nobiles capti habeant de ista via sua et procuratione notitiam, et quod habeant ab eis linguam pro sentiendo, in quibus terminis sunt.

Verum si Johannes Banus non esset ibi, nec in loco, ad quem secure posset noster nuncius ire; tunc compareat coram Rectoribus dicti loci Dalmisii, exponat et exequatur nostrum mandatum predictum, secundum quod superius est expressum.

(A »Misti« czímű velenszei államkönyv XLII. kötetéből 371. l.)

466.

Zsigmond királynak a florenczi köztársaság. 1394.

Regi Hungarie.

Serenissime et gloriosissime Princeps. Postquam Vestre scripsimus Majestati pro favore iusticiaque nobilium vestrorum Francisci Federigi, Nicholai de Uzano et Johannis Thomasij, dilectissimorum civium nostrorum, qui notabilem et am-

plam in diversis mundi partibus mercaturam exercent, super mercantiis atque pecuniis traditis et creditis Augustino Marucci de Florentia, cum turbatione percepimus eumdem Augustinum mortalis vite tempora compledisse. Propter quod videre videmur negocia sua, que prefatorum nostrorum ciuium sunt non inordinata solum, sed pessime remansisse, nisi dignetur in hoc Vestra Sublimitas providere. Cum autem veritas sit quod idem Augustinus mercantias quas Curie credidit, et aliis tam officialibus vestris quam hominibus patrie secutus de preciis emptorum fidem ex venditione concessit, ferme totas a dictis nostris mercatoribus rationem redditurus acceperit, et non ad ipsum, sed ad illos plenissime pertinerent; Majestati Vestre quantum cum efficacia possumus supplicamus, quatenus pro iusticie cultu et conservatione iurium nostrorum civium predictorum, dignemini cuncta negocia dicti Augustini in manibus Dominici filii dicti Francisci Federigi, et Antonii de Macignis poni facere, favoresque Vestre Celsitudinis, ut omnia congregare possint, et realiter exigant, exibere. Et super his, que Curia vestra deberet taliter ordinare, quod debita solutio fiat eisdem, ne mercatores antedicti propter mortem Augustini sentire possint incommodum, neve propter servitia Curie subeant aliquod detrimentum. Nos autem, totiusque populi Florentini devotio, benignitatem, quam in his nostris civibus ostendetis, recipiemus ad gratiam, et spem concipiemus antique benivolentie, quam Sacratissimum Hungarie Dyadema, felicisque memorie Rex inclitus Ludovicus pater vester semper ad nos habuit perpetuo duraturam. Datum Florentie die XXVIII. Martij III. indictionis MCCCLXXXXIIII.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXIII. kötetéből 121. sz. a.)

467.

Branchoi Vuk szerbiai főur a velenczei polgári jogot nyeri. 1394.

Anthonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum universis et singulis tam amicis quam fidelibus, et tam presentibus quam futuris, presens privilegium inspecturis, salutem et sin-

cere dilectionis affectum. Tanto benignius ducalis providentia consuevit personas magnificas et illustres sibi amicabiles et devotas honoribus prevenire, ipsarumque fidem et devotionem dignis retributionibus compensare, ac ipsas dotalibus favoribus convallare, et ipsarum petitiones liberalius exaudire, quanto Ducatui nostro devotiores fide et operibus se ostendunt. Attendentes igitur multiplicis benevolentie puritatem et devotionis plenitudinem, quam Magnificus ac potens dominus Volchus de Brancho, Dominus Rassie, Slavonie etc. carissimus et intimus amicus nostri Dominii, ad nostre magnituditinis excelentiam habere promptis affectibus se ostendit, qui in agendis nos, Ducatum nostrum et singulares personas Ducatus ejusdem tangentibus promptum et devotum laudabiliter et incessanter se prebuit atque prebet; supplicationibus nobis sua parte porrectis gratiosius annuentes, eum nostrorum omnium consiliorum et ordinamentorum necessaria solemnitate servata, in Venetum et civem nostrum cum suis filiis et heredibus fecimus et facimus et pro Veneto et cive nostro cum suis filiis et heredibus in Venetiis et alibi deinceps haberi et procurari omni affectu et plenitudine volumus et tractari, ipsumque sincere benevolentie brachiis amplexantes, et firmiter statuentes, quod singulis libertatibus, beneficiis, immunitatibus et honoribus quibuscunque, quibus alii honorabiles Veneti et cives nostri gaudeant et perfrui dignoscuntur, prefatus dominus Volchus de Brancho cum suis filiis et heredibus in Venetiis et extra perpetuo gaudeat et utatur; prefatus quoque dominus Vulchus per nuntium suum legitimum solenniter ad Sancta Dei Evangelia prestitit fidelitatis debitum juramentum. In cujus rei fidem et evidentiam pleniorem presens privilegium fieri jussimus, et bulla nostra plumbea pendente muniri. Datum in nostro ducali palatio, anno Dominice Incarnationis millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, mensis Aprilis die nono, indictione secunda.

(A »Liber privilegiorum« czimű velenczei államkönyv I. kötetéből.)

468.

Mária magyar királyné és Zsigmond királynak nyugtatványa, melyhez képest a velenczei köztársaság az évi 7000 aranynyi adót 1395. 1396. és 1397-ere kifizette. 1394.

Nos Sigismundus Dei gratia Rex Ungarie, Dalmatie, Croacie etc. nec non Marchio Brandeburgensis, etc. ac Nos Maria eadem gratia Regina Ungarie, Dalmatie, Croatie etc presentium tenore fatemur et notum facimus universis et singulis, has utriusque nostrum litteras inspecturis, quod inclitus dominus Anthonius Venerio Dei gratia Dux Venetiarum etc. nec non Commune ipsius Civitatis Venetiarum, amici nostri carissimi, septem milia ducatorum boni auri et justi ponderis, ad que solvendum et dandum nobis et heredibus ac successoribus nostris, nomine Sacre Corone nostre Ungarie imperpetuum omni anno in festo Sancti Regis Stephani de mense Augusti tenentur iuxta formam contractus pactorum, et pacis, inter predictam Sacram Coronam nostram et ipsos habiti et firmati, solverunt, realiterque dederunt nobis pro anno proxime secuturo, a Nativitate Domini millessimo trecentessimo nonagessimo quinto. Quam solutionem, ut prediximus realiter nobis factam, acceptavimus et acceptamus, ratamque et gratam habemus, veluti factam modo, ratione; loco, ac termino, ut supra tangitur constitutis, ac de ipsa solutione nobis, ut premittitur, facta predictos dominum Ducem et Commune Venetiarum amicos nostros carissimos reddimus expeditos. Et has utriusque nostrum patentes litteras sigillis pendentibus, utriusque nostrum simplicibus et maioribus roboratas dedimus eisdem domino Duci et Communi Venetiarum in testimonium fidem et certitudinem premissorum. Datum Bude die vigessimo quinto mensis Aprilis anno a Nativitate Domini, millessimo trecentessimo nonagessimo quarto.

(Ugyanazon napon kelt két másik, az előbbivel szóról szóra megegyező még két évre, 1396- és 1397-re szólló nyugtatvány.)

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. kötetéből 347. l.)

469.

Venerio Antal velenczei dogének Zsigmond király. 1394.

Sigismundus Dei gracia Rex Hungarie etc. Inclito domino Antonio Venerio Duci, nec non Nobilibus et prudentibus viris Consilio et Communi Venetiarum amicis nostris carissimis salutem et prosperos ad vota successus. Cum Sinceritatem Vestram ad ea semper benevolam reperierimus, que beneplaciti nostri sunt et honoris; Eandem igitur Amicitiam Vestram ex affectu duximus requirendam, desiderantes, quatenus dilecto nobis nobili viro Petro de Contareno de Venetiis et ejus sociis, quibus pretextu et causa quorumdam debitorum Majestas Nostra tres litteras expeditorias de anno Domini MCCCLXXXX quinto, aliam autem de anno Domini MCCCLXXXX sexto, tertiam vero de anno Domini MCCCLXXXX septimo, super debitis Culmini Nostro et nostra sinceritate, uti nostis, proveniendas dinoscitur assignasse, velit ipsa Gratitudo Vestra juxta dictarum litterarum nostrarum contenta pro dictis tribus annis hujusmodi summam pecunie absque more dispendio persolvere effective, gratum in eo Celsitudini Nostre complacendo exhibentes. Datum Bude primo die Maji anno Domini MCCCLXXXXIIII.

(A »Liber Pactorum« czimű velenczei államkönyv VI. köt. 347. l.)

470.

Jadra dalmatiai városnak a florenczi köztársaság. 1394.

Jadre.

Amici karissimi. Audivimus, quod Petrus de Portinariis civis noster dilectus cum quodam municipe Pagensi subdito vestro societatem habebat de quodam navigio, sale atque pecuniis, sicut inter mercatores sepius consuevit. Contigit autem, quod prefatus civis vester contra vestram Rempublicam, nescimus quod religionis atque infidelitetis facinus attentavit; propter quam causam suadente iusticia omnia bona sua per Magistratus vestros in publicum sunt confiscata. Quod quidem ius-

tissimum arbitramur; nulla namque pena tam acris est, quam committentibus contra patriam ad condigne punitionis equationem possit accedere. Verum non credimus in mentem vestram cadere, quod socius ob delicta socii damnum aliquod debeat reportare. Pene siquidem suos tenere debent autores, nec personas delinquentium egredi, quas dignum non est ex aliena culpa gravare. Eapropter prudentiam et amiciciam vestram quanta cum affectione possumus deprecamur, quatenus amore nostri placeat dictum Petrum civem nostrum favorabiliter suscipere commendatum, sibique partem eum contingentem navigij, pecuniarum et salis, et aliarum rerum, secundum iusticiam consignare. Quod quidem cum iustum sit nobis erit singulariter gratiosum. Datum Florentie die VIIII. Maij.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXIII. köt. 109. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

471.

László siciliai király és magyar ellenkirály megerősiti mindazon adományokat és privilegiumokat, melyeket nevében magyarországi helytartója János macsói bán adott. 1394.

Ladizlaus Dei gratia Rex etc. vniuersis presentes licteras inspecturis tam presentibus quam futuris. Confirmationis auctoritas frequenter ius exhibet; interdum uero suffragium cautele plenioris indulget, quo dum benivolum animum confirmantis ostendit, ipsum ex quodam promissi debito ad obseruantiam sue comprobationis astringit. Sane licet vir Magnificus Johannes Banus Machouiensis in dicto Regno Hungarie et alijs Regnis sibi agnexis (igy) noster Vicarius Generalis, Consiliarius et fidelis noster dilectus, auctoritate dicti Vicariatus officij qua fungebatur et fungitur, diuersis nostris fidelibus Regnorum predictorum, ac personis alijs benemeritis et condignis diuersas concessiones et gratias nuncusque fecerit, et facere poterit in futurum; Nos tamen intendentes, eas tum propter probatam ipsius nostri Vicarij legalitatem, quem semper status nostri vigilem inuenimus promotorem, tum etiam propter concessionariorum merita dignis retributionibus con-

fouenda validius roborare, predictas omnes et singulas donationes, concessiones et gratias, per dictum nostrum Vicarium iamdictis quibusuis nostris fidelibus ac personis alijs benemeritis auctoritate predicta, ut predicitur, factas et per eum decetero faciendas, ratas et gratas habentes, ex nunc prout ex tunc, de certa nostra scientia tenore presentium ratificamus et confirmamus, nostreque ratificationis et confirmationis munimine roboramus, ac promictimus ipsas habere ratas gratas et firmas, necnon et ad petitionem quorumcunque postulantium corroborare pro nouo nostrarum licterarum suffragio cum clausulis et sollempnitatibus oportunis. Volentes et decernentes expresse, quod huiusmodj donationes et gratie, presensque nostri assensus et confirmationis gratia exinde subsecuta, personis quibus facte sunt seu fient efficaciter stabiles et incommutabiliter sint reales, fidelitate nostra, ac alijs nostris et cuiuslibet alterius juribus semper saluis. In cuius rei testimonium presentes licteras exinde fieri et pendenti Maiestatis Nostre sigillo jussimus communirj. Data Capue in absentia Logothete et Prothonotarij per virum nobilem Donatum de Aretio Legum Doctorem etc. anno Domini MCCCLXXXXIIII. die IIII. Julij prime indictionis, Regnorum nostrorum anno septimo.

A »Registri Angioini« 363. sz. a., Reg. Ladislai Regis kötetéből 187. l. az olasz kir. nápolyi nagy levéltárban.

472.

Nelipes cetinai grófnak letéteménye Velenczében. 1394.

Anno MCCCLXXXXIIII. die XXVI. Augstii. Capta. Cum alias anno MCCCXLIII. quidam Comes Neliptius Dominus Cetine partium Sclavonie, vigore pacis tractate et firmate inter nos et eum, depositum fecerit ad Cameram Frumenti librarum viginti millium, de quibus debebat habere prode suum ad rationem quinque pro centenario, uti continetur in quaternis dicte Camere, et de illis habuerit multis annis prode, sed propter guerras et alias novitates a multis annis citra nullus comparuit ad petendum prode, nec capitale; nunc

autem compareat quidam nobilis, qui petit depositum predictum et prode suum, probare se offerens, qualiter ad ipsum spectat pecunia suprascripta. Vadit pars: Cum sit secundum honorem nostri Communis unicuique justitiam ministrare, quod committatus Officialibus nostris Frumenti, quod videntibus illis et habentibus sufficientes probationes et claritatem secundum consuetudinem sui Officii, quod ad ipsum nobilem spectare debeat pecunia suprascripta et prode inde secutum per successionem vel aliter, faciant ei fieri cedulas suas tam de capitali, quam de prode, quod habere debebit; ita quod cum integritate habeat, quod sibi spectabit.

(A Misti« czimű velenczei államkönyv XLIII. kötetéből 68. l.)

473.

A velenczei köztársaságnak válasza Mária magyar királyné és Zsigmond király követségére. 1394.

Anno MCCCLXXXXIIII. indictione tercia, die sexto Septembris. Capta: Quod respondeatur istis Ambassatoribus Serenissimi domini Regis et domine Regine Hungarie ad Ambassatam suam nobis expositam; et primo ad primam partem, per quam notificant nostro Dominio, quod propter invasiones Turchorum in Regno suo ipse deliberavit cum Principibus, Baronibus, fratribus et amicis suis partium suarum de mense Maii proxime venturo movere se cum potenti exercitu suo et ire contra dictos Turchos ad damnum et destructionem suam, et quod propterea nobis placeat dare sibi super hoc consilium, auxilium et fauorem etc. Quod sicut eis diximus, teste Deo nos gravat et gravaret semper omnis novitas, que fieret et molesta foret Maiestati Sue, subdictis et Regno suo per quoscumque, et maxime per dictos infideles persecutores fidei Catholice et nominis Christiani, propter singularem affectionem, quam habemus ad Excellentiam Suam et ad conservationem sui status; et reddimus nos certos, quod omnis deliberatio facta et que fieret per eum tam in hoc, quam in quibuscumque aliis, respectu magne sapientie, que in Maiestate Sua viget et in aliis, cum quibus participavit et delibera-

vit hunc motum suum, foret mature et sapientissime facta, ita quod superinde magis utilis deliberatio fieri non posset per nos. Bene supplicamus largitori omnium gratiarum, cuius res principaliter agitur, quatenus dignetur sibi impertiri de dictis perfidis Agarenis gloriam et triumphum pro conservatione fidei orthodose, exaltatione sui nominis, et populorum sibi subditorum statu pacifico et tranquillo. Ad factum autem auxilii et favoris, quod a nobis petit, sic dicimus: quod quocienscumque alii Principes et Communitates mundi, qui et que prebere possunt favorem huic bono proposito et deliberationi Sue Serenitatis, se disponent ad prebendum de favoribus, qui preberi poterunt, quia noster solus insufficiens esset, et nos fuerimus requisiti, Maiestas Sua inveniet nos paratos et bene dispositos ad faciendum de his, que honeste et rationabiliter per nos fieri poterunt, secundum quod nostra Communitas in similibus casibus semper extitit consueta.

Ad secundam vero partem de deliberatione facta per Serenissimum dominum Imperatorem de veniendo ad partes Italie pro sua Coronatione, et quod dominus Rex et frater deliberaverunt venire cum eo, petentes auxilium et favorem nostrum; respondeatur, quod non dubitavimus, imo certi reddimur, quod deliberatio facta per Imperialem Maiestatem ac per Serenissimum dominum Regem de volendo ad partes Italie personaliter se conferre, est facta cum magna solemnitate, matura et gravi deliberatione, tam pro conservatione predicti honoris Maiestatis Sue, quam quiete totius Italie; et speramus in Divina gratia, quod ex illo descensu suo multi provenient boni fructus, et nos, quandocumque hoc fuerit, inveniemur parati ad honorandum ipsam Imperialem Maiestatem ac dictum dominum Regem et fratrem, ac facere de rebus, que posse nostro sint grata et placibilia eis, et cum honore nostri Dominii.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű államakták R. kötetéből 94. sz. a.)

474.

A Francziaország, Burgundia, Anglia és Magyarország közt a törökök ellen tervezett szövetség. 1394.

Anno MCCCLXXXXIIII. die XXIII. Decembris. Quod respondeatur Ambasiatori domini Imperatoris Constantinopolitani stb. Ad alia capitula de facto lige respondeatur, quod non apparet de faciendo sibi pro presenti responsionem, quia expectantur hic Ambasiate Francie, Burgondie, Anglie et etiam Hungarie, et ut ymaginatur super istis ligis, quas utile est audire, et illis auditis, postea poterit magis deliberate responderi ad omnia supradicta; et similiter dicimus de facto Janue, quia de die in diem habebitur melior deliberatio factorum deinde, ct salubriter poterit provideri.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból B. köt. 102. sz. a.)

475.

A burgundi herczegnek követe Velenzében. 1395.

Anno MCCCLXXXXIIII. indictione tercia, die XXI. Januarii. Capta: Quod respondeatur domino Guilelmo de Tremoilla Mareschalco Burgondie, quod nos optantes tamquam Catholici Christiani, quod ista sancta et laudabilis dispositio domini Ducis Burgondie, ac dominorum Ducum Aureliensium et Lanchastrie ad conservationem et augmentum fidei Catholice sortiatur effectum, sumus dispositi complacere sibi et scribere eis in excusationem more suo in hac forma:

Excellentissime Princeps. Jam pluribus diebus venit in urbem nostram Spectabilis et strenuus Miles dominus Guilielmus de Tremoilla Maraschalcus Burgondie, Excellentie Vestre Orator, expectans Ambaxatam Serenissimi Principis domini Regis Hungarie, cum qua, ut nobis asseruit, iuxta ordinem inter eos ad dicti Regis presentiam stabilitum, debebat ad nostram presentiam comparere pro factis fidei orthodoxe in festo Ephifanie nunc proxime preterito. Et quia usque in diem

presentem Ambasiata ipsius Regis minime comparebat, ipse venit ad nostram presentiam exponens intentionem Excellentie Vestre ac Illustrium dominorum Aureliensium et Lanchastrie Ducum ad pium opus et passagium antedictum. Nos autem habentes iuxta progenitorum nostrorum naturam sinceram dispositionem ad conservationem fidei antedicte; et considerantes, quanta bona ex hoc sequi possent, si sortiretur effectum, suasimus satis ipsi domino Mareschalco, quod adhuc expectare deberet per aliquos dies, ut audita Ambasiata dicti domini Regis Hungarie cum vestra et aliorum Principum predictorum, possemus cum maiori et meliori deliberatione requisitis omnibus respondere. Qui tamquam prompte dispositus ad opus pium predictum et ad Excellentie Vestre honorem requievit persuasionibus nostris, quod in suam excusationem dicte Vestre Excellentie volumus per has literas nostras facere manifestum.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt. 103. sz. a.)

476.

Mária magyar királynénak és Zsigmond királynak a florenczi köztársaság. 1395.

Regi Hungarie.

Serenissime Princeps et Domine metuendissime. Franciscus Federigi, Nicholaus de Uzano et Johannes Tommasij honorabiles mercatores et dilectissimi nostri cives, suas mercantias et pecunias crediderunt Augustino Marucij de Florentia, quas deberet ipsorum nomine, sub certis conditionibus exercere, et de ipsis, secundum mercatorum consuetudinem, bonam prefatis nostris civibus reddere rationem. Videtur autem idem Augustinus de rebus antedictis Curie Vestre et pluribus vestris Proceribus, Nobilibus et Officialibus Regiis a semet ipso tradidisse non modicam quantitatem. Ex quo cum nondum eidem Augustino satisfactum sit, non potest predictis suis Dominis respondere. Cuius rei gratia decreverunt ad illas partes Antonium Nicholai Macigni, et Dominicum dicti Fran-

cisci filium, ad revidendum cum eodem Augustino de supradictis negociis rationem, et ea, que credidit, cum Vestre Majestatis favoribus exigendum. Quamobrem ipsos benignitati vestre totius nostre devotionis affectibus commendamus omni cum reverentia, supplicantes, quatenus pro justitie cultu, nostreque intercessionis intuitu, dignetur Vestra Sublimitas eisdem, contra dictum Augustinum et debitores suos, jus expeditum atque summarium facere ministrari; et pro Vestre Majestatis honore, de rebus Officialibus et Curie vestre traditis, taliter facere satisfieri, quod prelibati nostri cives nullum ex hoc sentire valeant detrimentum. In qua quidem re considerare dignetur clementia vestri throni, quod nichil aliud efficacius inducit et citius in extreme destructionis miseriam mercatores, quam si precia mercantiarum, de quibus secuti fuerint emptorum fidem, debitis temporibus non solvantur. Ut non solum humanum, sed debitum et honoris Vestri Culminis sit taliter providere, quod vestri servitores et subditi, quod debent solvant, et de regalis solutionis retardatione exemplum ac similitudinem non assumant. Nostra vero devotio, quicquid circa predicta Vestra Serenitas duxerit ordinandum, sibi reputabit singulariter gratiosum, cum viderit justissimas preces nostras, apud Vestram Clementiam exaudiri. Data Florentie die VIII. Februarij III. indictione MCCCLXXXXIIII. (1395.)

Regine ut supra, cum hoc adiuncto.

Super qua materia dignetur Vestra Supereminentia reminisci devotionem nostri populi, quam semper ad felicis recordationis gloriosissimi genitoris vestri magnitudinem gessit, et benivolentiam, quam Sua Majestas erga Florentinos omnes cunctis temporibus demonstravit; ut sicut preces nostre in Celsitudinis Sue conspectu nunquam vacue fuerunt, sic in humanutatis vestre manibus, cum exaudationis desiderate effectu benigniter audiantur. Data Florentie ut supra.

(Eredeti fogalmazvány a »Signori, Carteggie, Missive« stb. XXIV. kötegében 109. sz. a., a florenczi nagy levéltárban.)

477.

Zsigmond királynak követei Velenczében. 1395.

Anno MCCCLXXXXV. indictione tercia, de quinto Marcii. Capta: Quia Ambasiatores Hungarie ultra primam exposicionem Ambasiate sue, que fuit in effectu, quod per Suam Serenitatem fuerat deliberatum de volendo totis viribus se movere contra Turchos; propter quam causam mittebantur ad diversas mundi partes, sed primo ad nos tamquam ad speciales et singulares amicos, ad requirendum consilium et favorem nostrum; habuerunt dicere nostris nobilibus, quos misimus ad eos, in substantia et effectu, quod Ambasiata eorum ponderosa erat et pregnans, et quod multa bona possent tractari sub ista materia; et propterea quandocumque sentirent, quod Dominatio nostra attenderet ad istud factum, ipsi aperirent nobis secreta cordis Domini sui domini Regis; et sit laudabilis et sapiens res, antequam alia responsio eis fiat, audire et sentire omnia, que ipsi dicere et apperire nobis volunt; vadit pars, quod dici possit Ambasiatoribus predictis, quod nostra Dominatio, considerans naturam et conditionem istorum agendorum, et habens sinceram dispositionem ad cuncta concernentia honorem et exaltationem fidei Catholice et ipsius Regie Maiestatis, est parata attendere et intrare in isto tractatu per illas vias, formas et modos, qui sint rationabiles et honesti, ita quod ipsi possunt ample loqui nobiscum, et apperire nobis intentionem Domini sui, ut possimus large respondere eis, et declarare mentem nostram. Et ex nunc sit captum, quod Collegium Domini, Consiliorum, Capitum et Sapientum utriusque manus habeant libertatem, cum predictis et aliis verbis, que utilia videbuntur, intrare in tractatu cum dictis Ambasiatoribus, audire et respondere, secundum quod pro bono agendorum nostrorum viderint expedire, non possendo aliquid concludere nec firmare sine licentia et voluntate istius Consilli.

(A »Secreta Consilii Rogatorum« czimű velenczei államaktákból R. köt. 107. sz. a.)

478.

A velenczei köztársaságnak válasza Zsigmond király követségére. 1395.

Anno MCCCLXXXXV. indictioni tercia, die decimo Marcii. Capta: Cum post partem pridie captam in hoc Consilio de possendo intrare cum istis Ambasiatoribus Hungarie, ut posset trahi et sentiri de sua intentione et de secretis Domini sui, sicut promiserant, Dominatio bis miserit ad presentiam eorum cum verbis inductivis ad aperiendum se et ad declarandum suam intentionem, ut clarius possemus in facto procedere et etiam sentire, si forent dispositi ad faciendum de his, que forent grata et accepta nobis; et si in effectu aliud ab eis haberi non potuerit, nisi quod declarato eis ad suam requisitionem, quod XXV galee forent necessarie ad resistendum, ne Turchi transirent in Turchiam de Grecia, et e converso; et quod expensa ipsorum esset singulo mense a XXXV millia in XL milia ducatis. Ipsi ultimate requirere habuerunt, quod placeret nobis declarare eis illud, quod ad istud opus pium, quod suus Dominus pro fide Catholica facere intendebat, offerre et contribuere volebamus, et quomodo videlicet aut in dicti reverentiam aut ob aliam causam; et in ista petitione perseveraverunt et perseverant, dicentes, quod processerunt secundum formam commissionis sibi date, ita quod non poterant aliud dicere, nisi primo responderemus eisdem; quod propterea placeret nobis dare sibi expeditionem, cum haberent, ut sciebamus, ire etiam ad alias partes. Et considerata natura et qualitate istius facti, quod est pium et Catholicum, et modis semper servatis per nostros predecessores in talibus vel similibus casibus, pro nobis faciat dare eis illam responsionem, que sit secundum Deum et nostrum honorem; vadit pars, quod respondeatur dictis Ambasiatoribus, quod licet clarissime cognoscamus, quod volentes habere respectum ad utilitatem et commodum mercatorum nostrorum, qui in bono numero et cum magnis quantitatibus personarum conversantur in terris Turchorum, in quibus secure et bene tractantur, et etiam ad bonum et quietum statum multorum locorum et

terrarum nostrarum, que convicine sunt dictis Turchis, et que sunt in pace cum eis ac sine molestia vel lesione tractantur, pro nobis non faceret impedire se in istis factis propter dubia, damna et pericula que sequi possent nobis et nostris: tamen nos habentes ad hec respectum ob reverentiam fidei orthodoxe et contemplationem ipsius domini Regis, quem habuimus et habere intendimus in nostrum singularem amicum; parati erimus, quotiescumque ipse dominus Rex cum Illustribus Principibus Burgondie, Aureliensibus et Lancastrie Ducibus, ad quos vadunt, prosequetur istam suam intentionsm et motum contra Turchos per terram, secundum quod offerunt per mare ponere et mittere ad nostras expensas ad ipsum transitum prohibendum quartam partem galearum, que ponentur per alios Christianos ad obstaculum et resistentiam supradictam, non transeundo numerum galearum vigintiquinque; hoc modo videlicet, quod si armata erit, et si per omnes ponentur XXV galee, nos ponemus sex, si viginti, ponemus quinque etc., que galee nostre vacabunt et stabunt ad dictum opus tantum, quantum stabunt galee aliorum, et quantum Maiestas Sua et alii domini predicti ad persecutionem et destructionem Turchorum stabunt in partibus antedictis.

Die duodecimo Marcii. Capta: Quia heri Ambasiatores Hungarie, audita et habita responsione eis data per Dominium secundum quod captum fuit in hoc Consilio, habuerunt dicere et petere declarari, quod in casu, quod Christianitas seu illi Principes et Duces Francie et Anglie nollent attendere ad istud factum, et Dominus suus, secundum quod iam deliberaverat et dispositus erat facere, prosequeretur cum Deo dictum factum, si placebit nobis, et si volebamus in servitium Christianitatis et in suam complacentiam ponere galeas nostras, prout promittebamus, et aliud. Et consideratis verbis eorum pro nobis faciat facere sibi finalem responsionem nostram; vadit pars, quod respondeatur eisdem, quod nos dedimus eis responsionem cum deliberatione nostrorum Consiliorum secundum peticionem, quam fecerunt nobis, et ita se moventibus et prosequentibus ipso domino Rege cum Principibus antedictis parati sumus perseverare et attendere, secundum quod continetur in ea; quia faciendo per alium modum,

videre videmur, quod sequi possent multa pricula et manifestissima damna civibus et mercatoribus nostris, et nostris Civitatibus, que sunt vicine Turchis predictis, quod dominus Rex velle aliqatenus non deberet.

(A »Secreta Consilii Rogatornm« czimű velenczei államaktábból R. köt. 108. és 109. sz. a.)

(Mária magyar királyné meghal 1395. május hó 17-én.)

479.

Hedvig lengyel királyné, néhai I. Lajos magyar és lengyel király leánya, és férje Jogjel Ulászló királynak uralkodása alatt Lengyelország hatalmának emelkedése. 1386—1397.

1) Lubart Feodor luczai herczegnek hódolata. 1386.

Feodor Lubhard Dei gracia Dux Luczensis recognoscimus presentibus quibus expedit vniuersis, nos pretextu et racione cuiusdam contractus inter Serenissimum Principem dominum Wladislaum Regem Polonie ab vna, et Inclitam Principem dominam Hedvigem Reginam Polonie et nobiles Barones tocius Regni Polonie predicti parte ab altera facti, obstagium eidem Illustri domine Regine Polonie promisisse, ut omnia et singula promissa, prout eadem in aliis nostris litteris desuper confectis et sigillo nostro roboratis clarius continentur, debeant ad integrum consummari. Sed nunc quadam causa racionabili eisdem Serenissimis Principibus Wladislao Regi ac Hedvigi Regine Polonie, et nobis in terra Lithuanie occurrente, nos in dictam terram destinare et dirigere decreverunt, promissionibus tamen nostris racione dicti obstagii prefate domine Regine per nos factis firmis permanentibus atque fixis. Sed dum et quando per eiusdem domine Hedvigis Regine aut dominorum Baronum Polonie predictorum litteras aut Nuncios ad prestandum nostrum obstagium euocati et moniti fuerimus : extunc promittimus et spondemus nostra fide et honore, dolo, occasione et qualibet difficultate semotis, ad locum vbi ipsis expediens fore videbitur, ad complendum sepefatum obstagium reuenire. Promittimus insuper sub eis-

dem nostris fide et honore Serenissimo Principi domino Wladislao Regi Polonie etc. cum omnibus nostris thezauris, hominibus, terris, et quibusuis nostris bonis, castris, fortalicijs, ac aliis nostris facultatibus, quocunque nominari possent nomine, nullis penitus exclusis, obedire et seruire iuxta eius beneplaciti voluntatem. In cuius rei testimonium sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum Sandomirie feria tercia post dominicam Cantate anno Domini millesimo CCC.LXXX. sexto.

2) Wlodimir kioviai herczegnek hódolata. 1388.

Wlodimirus Dux Kyoviensis etc. significamus tenore presencium quibus expedit vniuersis, quod cupientes se in fidelitate, quam erga Serenissimos Principes dominum Wladislaum Regem et dominam Hedvigem eius consortem Reginam, ac Coronam Regni Polonie gerimus, constancius ac magis fideliter exercere, et prout iustum est, ipsos facere cerciores; eisdem domino Wladislao Regi et domine Hedvigi eius consorti Regine, eorumque liberis, ac Corone Regni Polonie memorate velut homagialis perpetuo, cum omnibus terris, castris, fortaliciis ac hominibus nobis subiectis tenere firmiter pollicemur fidelitatem omnimodam, subieccionemque debitam atque puram. Tenore presencium promittentes, predictos Principes dominum Wladislaum Regem et dominam Hedvigem Reginam eius consortem, eorumque liberos et Coronam Regni Polonie nunquam deserère, aliumque Dominum preter ipsos querere, seu aliis exquisitis coloribus adherere; sed eos toto posse et viribus adiuvare, ac ab omnibus hostium insultibus consilio et auxilio fideliter premunire. Harum, quibus sigillum nostrum est appensum, testimonio litterarum. Datum in Luczko in vigilia Beate Margarethe anno Domini millesimo trecentesimo octuagesimo octauo.

3) Lubart Feodor vlodimiri herczegnek hódolata a severiai herczegség tekintetében. 1393.

Feodorus Dei gracia Dux Vlodimiriensis significamus vniuersis quibus expedit presencium noticiam habituris, quod

Serenissimus Princeps dominus Wladislaus eadem gracia Rex Polonie Lithuanieque Princeps Supremus et Heres Russie etc. Dominus et frater noster graciosissimus de Sue plenitudine Maiestatis cupiens nos specialis gracie prosequi munificencia, vt eidem domino Regi, et Excellentissime Principi domine Hedvigi Regine eius consorti preclarissime, suisque posteris, ac Regno eorum Polonie, Principatui Lithuanie ac Dominio Russie perseuerantis constancie studiis reddamur in antea prompciores, terram suam Severiensem cum omnibus castris, fortaliciis, oppidis, villis, prediis, allodiis ac aliis appendiis, pertinenciis, prouentibus, redditibus, obuencionibus, vtilitatibus quibuscunque ad dictam terram Severiensem quomodolibet spectantibus nobis vtifruendam et fideliter gubernandam graciose contulit, ad sue Regalis dumtaxat beneplacitum voluntatis. Nos igitur huiusmodi consolati prerogatiua, dictam terram Severiensem cum suis adiacenciis per prefatum dominum Regem nobis concessam fore taliter, vt premittitur, recognoscentes, eandem terram Severiensem cum suis pertinenciis fideliter, sine dolo et fraude, iuxta Honorem nostrum Ducalem tenere, gubernare, tueri et omnimode pro nostris viribus defendere ab aduersis, harum tenore promittimus et spondemus, pollicemurque prefatis domino Regi, Regine et eorum Regno, Principatui et Dominio memoratis, nullam eorum partem aduersam verbo vel opere, publice aut occulte, per nos vel interpositas personas fouere, neque alicui aduerse ipsorum parti cum terra Seueriensi predicta vel eius pertinenciis in ipsorum contemptum adherere; sed ipsis semper auxilio assistere, consilio et fauore, dum et quociens loca et tempora ad hoc affuerint opportuna. Harum nostrarum, quas appensione sigilli nostri communiri fecimus testimonio litterarum. Actum et datum Vislicie feria sexta proxima post octauam Ascensionis Domini anno eiusdem M.CCC. nongesimo tertio.

4) Hedvig lengyel királynénak Dobrina vidéke visszaszerzését tárgyazó igyekezeteire nézve a német rend főmestere. 1397.

Serenissime Principi, Domine domine Hedwige Regine Polonie et Heredi Russie etc. humillima commendacione cum fideli nostrarum oracionum studio premissis.

Serenissima Princeps et Domina nostra graciosissima. Exigentibus tractatibus mutuo inter nos proxime habitis conclusiue super Terra Dobrinensi litteras Regie Vestre Excellencie seriem narratiuam quodammodo continentes recepimus; quibus attencius adhortamur, quatenus iuxta conclusa ad redimendam et liberandam dictam terram Illustrem Wladislaum Ducem Opuliensem commonitum habemus etc. Nos proinde, que in premissis tractatibus perinde digesta sunt, prosequi bona fide studiosius cupientes, litteras nostras tam monitorias quam comminatorias illico a dato presencium direximus per expeditum nostrum nuncium et legalem. Et sicut responsis occurrentibus visum fuit, curabimus iteratis vicibus sub obtentu honoris sui exaggerare et aggrauare in eumdem dominum Ducem nostra monita, dissimulacione qualibet procul mota; desiderio siquidem desiderantes etc. premissa nos taliter exhibere, quod Vestra Magnificencia contemplari possit affectus nostri promptitudinem pariter, et effectus non amplius a nobis expetitur, quam quod soluta summa exposita secundum litterarum continenciam per eundem dominum Ducem Opuliensem nobis traditarum, simul honori nostro super obiectis obligatis in futurum contingentibus consulcius prouideatur. Quibus obtentis cessionem a dicta terra animo gratissimo faciemus; nec aliter in nostri honoris iacturam et dedecus Vestram Illustrem Clemenciam confidimus aspirare; intencionem quoque dicti domini Ducis, postquam habuerimus eius responsa, Vestre Serenitati significabimus indilate. Datum in Castro nostro Marienburg in vigilia Corporis Christi anno Domini etc. nonagesimo septimo.

Kivül : Serenissime Principi ac Excellentissime Domine domine Hedvigi Regine Polonie et Heredi Russie etc. Domine mee graciosissime summa cum deuocione.

(Az eredeti példányok szerint készült másolatok után.)

480.

Hedvig lengyel királynénak adománya egyik udvari hölgye számára. 1396.

Hedvigis Dei gracia Regina Polonie stb. quod consideratis fidelibus obsequiis nobis per Formosam de Wanczwoia, coniugem videlicet Stanislai Gamrath, alias puellam nostram curiensem studiose exhibitis, et in posterum exhibendis, et non minus venustis et virtuosis eius conuersacione et moribus in nostro conspectu placide acceptis, solicite attentis; eidem Formose horum consideracione graciam volentes facere specialem, sibi centum quinquaginta marcas grossorum Pragensium numeri Polonicalis consueti, XL octo grossos in marcam quamlibet computando, in et super villa nostra Trcziencza in Districtu Biecensi sita, racione dotis donauimus, assignauimus, ac damus et assignamus per presentes hoc modo, quod ipsa Formosa, et heredes sui successoresque legitimi eandem villam Trcziencza cum omnibus ipsius et singulis censibus stb. tenebunt, possidebunt stb. tamdiu, quousque ipsi Formose, vel suis stb. per nos vel nostros posteros summa prefata fuerit persoluta integraliter et ex toto. Qua soluta possessio dicte ville ad nos debebit redire ac reuerti pleno iure. Datum stb. Cracouie in vigilia Sancti Laurencij martiris anno Domini MCCC nonagesimo sexto.

Per dominam Reginam.

(Zsigmond lengyel királynak 1564-ki megerősítő okmányából Lengyelország u. n. Metricájában, az országos levéltárban.)

(Hedvig lengyel királyné meghal 1399. juliushó 17-én.)

481.

A néhai Hedvig lengyel királyné intézkedései iránti keggeletnek hiánya a lengyel főurak részében. 1406.

Nos Johannes Judex, et Dobeslaus Subjudex Terre Cracouiensis Generales significamus quibus expedit vniuersis tam presentibus quam futuris presencium noticiam habituris;

quod cum strenuus miles dominus Wincencius de Granow Castellanus Naclensis materiam questionis pro et super oppido dicto Srzem cum ipsius pertinencijs contra et aduersus Serenissimum Principem et Dominum dominum Wladislaum Dei gracia Regem Polonie etc. Dominum nostrum graciosum mouisset, et questionaliter proposuisset, quomodo se sibi idem dominus Rex sua potencia de dicto opido contra litteras pie recordacionis Serenissime Principis et Domine domine Hedvigis Dei gracia olim Regine Polonie etc. et eius munimenta intromisisset, in quibus continebatur munimentis, qualiter sibi predicta domina Regina de dicto oppido et eius pertinencijs ad tempus vite sue prouidisset, et ipsum graciosius redonasset. Tandem prenominatus dominus Rex volens veritati et iusticie obuiare, ipsamque nulli poscenti denegare; dominos Prelatos et Barones Regni sui Consiliarios ad discernendum premissa deputauit, et ipsos de sua speciali gracia collocauit; qui domini prenarrati materia questionis inter partes mota sufficienterque auscultata et masticata, ipsorum suffultus consilio, iuxta tenorem et contenta priuilegij terre, Suam per Magnificenciam donati graciosius, prefatum oppidum cum eius pertinenciis sepefato domino Regi adiudicauimus, et presentibus in perpetuum adiudicamus; memorato vero Wincencio Naclensi, ut prefertur, Castellano abiudicauimus, perpetuum sibi silencium imponentes. Harum, quibus sigilla nostra appensa sunt, testimonio litterarum. Actum et datum Cracouie feria quarta ante dominicam Oculi sub anno Incarnacionis Domini millesimo quadringentesimo sexto. Presentibus hys Wenerabilibus et Magnificis Nicolao Archiepiscopo Gnezenensi, Petro Cracouiensi, Alberto Poznaniensi Episcopis, Johanne Cracouiensi Castellano; Petro Kmitho Cracouiensi, Cristino Sandomiriensi, Johanne Liganza Lanciciensi Palatinis; Gnewossio Sandomiriensi, Michaele Lublinensi, Cristino Sandencensi, Johanne Lanciciensi, Nicolao Woyniciensi Castellanis, ceterisque quam pluribus fide dignis.

(Eredetie bőrhártyán Lengyelország országos levéltárában.)

482.

A lengyel nemzetnek tisztelete Hedvig királynénak emléke iránt. Adalékok Hedvignek kanonizatiójához.

1) Hedvig királynénak sírfelirása a krakkói székes-egyházban.

HEDVIGIS LUDOVICI HUNGARIAE ET POLONIAE REGIS FILIA. CASIMIRI MAGNI NEPTIS. VLADISLAI JAGELLONIS UXOR. OBIIT ANNO DOMINI MCCCLXXXXIX.

A TERGO HUIUS MARMORIS ULTIMUM EXPECTAT DIEM.

---

2) Csodák, melyek Hedvig királyné közbenjárására történtek.

1419. Datum die Veneris ultima Junii. Instrumentum publicum. Nobilis Johannes heres de Besscze Diocesis Cracoviensis, recognoscit se per intercessionem Beate Hedvigis sanitatem recepisse.

1419. Datum idem. Strenuus vir Jacobus Kobilinski recognoscit eadem intercessione se sanitatem recuperasse.

etc. etc. etc.

(Eredeti feljegyzés bőrhártyán, a krakkói káptalan levéltárában.)

---

3) Hedvig királyné kanonizatiója tekintetéből történt vizsgálatról kiadott bizonyságlevél. 1426.

Albertus Dei gracia Sancte Gneznensis Ecclesie Archiepiscopus et Primas Reuerendo in Christo Patri Sbigneo eadem gracia fratri et Coepiscopo nostro Cracouiensi, suoque in Spiritualibus Vicario, ac alijs vniuersis et singulis tam

dicte Cathedralis, quam aliarum Ecclesiarum Tinciensis et Claretumbe Abbatibus, nec non Preposito Mechouiensi, Ordinis Sanctorum Benedicti, Bernhardi, et Hospitalis Sepulcri Dominici, ceterisque Prelatis, Canonicis, Doctoribus et Magistris Ecclesie et Diocesis predictarum infra descriptis. Pridem nobis de mense Septembri proxime preterito pro officio visitacionis tam Apostolica quam ordinaria auctoritate in Ecclesiâ predicta Cracouiensi et in medio predicti Capituli ac aliorum plurimorum virorum non parue auctoritatis ad hec specialiter vocatorum presencia constitutis, per fraternitatem vestram dictumque Capitulum deuote et luculenter nobis fuit expositum, quomodo Mirabilis Deus in Sanctis suis faciens prodigia, et pro bonis operibus fructum gloriosum retribuens, funeri seu corpori ac reliquijs domine Heduigis filie condam Illustris Principis Lodouici Regis Vngarie, ac consortis legitime et Regine Serenissimi Principis et domini Wladislai etc. moderni Regis Polonie, pro sui nominis ineffabili laude et gloria, ac predicti Regni salutari patrocinio, dignis ipsius domine Regine, ut pie creditur, exigentibus meritis hanc gratiam conferre dignatus sit, ut sicut ipsa, dum viueret, non paucis diuersarum virtutum ac piorum operum clarebat actionibus; sic non minus post suum felicem transitum ab hac luce corusca cepit reflorere miraculorum frequentia, super quibus et fama publica et personarum exceptione maiorum essent notabilia documenta stb. (Committitur suprascriptis examen vitae et miraculorum) Actum et datum Cracouie in loco Capituli Ecclesie Cracouiensis die lune vltima mensis Septembris anno Domini MCCCCXXVI.

(Eredetie bőrhártyán, a krakkói káptalannak levéltárában.)

---

4) A krakkói székes-templomban az u. n. Hedvig feszülete alatti felirás.

HAEC SALVATORIS NOSTRI JESU CHRISTI CRUCI AFFIXA EFFIGIES,

QUAE IN ICONOTHECA ISTA DEBITO CUM HONORE SERVATUR,

COLLOQUIUM FECIT
(UT MAJORUM HABET TRADITIO)
CUM DIVA HEDVIGE POLONIAE REGINA,
LUDOVICI HUNGARORUM ET POLONORUM REGIS FILIA, ET ULADISLAI JAGELLONIS PRIMA CONJUGE,
PIETATE EXQUISITA DUM VIVERET, POST MORTEM VERO VARIIS MIRACULIS.
TU ETIAM HOSPES SIGNA VULNERUM EJUSDEM DOMINI TUI
SINE VOCE HIC TE ALLOQUENTIA AUDI
ET QUAM GRATUS ERGA EA FUERIS TECUM COGITA.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. (Monumenta Hungariae Historica.) *I. osztály: Okmánytárak.* (Diplomataria.) I–XV. XVII–XXIV. kötet. 1857–1875. 8-rét. (A XVI. kötet sajtó alatt.) Ára az eddig megjelent 23 kötetnek együtt megrendelve 40 frt. Tartalom:

Magyar történelmi okmánytár, a brüsseli országos levéltárból és a burgundi könyvtárból. (1441–1652). Összeszedte s lemásolta Hatvani (Horváth) Mihály. I–IV. kötet. (Monum. Diplom. 1–4. köt.) 1857–59. 99¼ ív 8 frt.

Magyar történelmi okmánytár, londoni könyv- és levéltárakból 1521–1717. Összeszedte és lemásolta Simonyi Ernő. Egy kötetben. (Monum. Diplom. 5. köt.) 1859. 316 lap. 2 frt.

Árpádkori új okmánytár. (Codex Diplom. Arpadianus contin.) Fejér Gy. Codex Diplomaticusanak folytatása. Közzé teszi Wenzel Gusztáv. I–XII. kötet. (Monum. Diplom. 6–13. 17. 18. 20. 22. kötet.) 1860–1874. 362 ív 28 frt.

Alvinczi Péter okmánytára. (Diplom. Alvinczianum.) Erdély visszacsatoltatása felett a magyar királylyal és megbizottjaival folytatott alkudozások történetéhez 1685–1688. Közzé teszi Szilágyi Sándor. 2 kötetben. (Monum. Diplom. 14. 15. köt.) 1870. I. VI és 421 lap. II. 239 és LVIII lap. 4 frt.

Pázmány Péter levelezése. (Codex Epistol. Petri Pázmány Card.) Közzé teszi Frankl Vilmos. I. kötet. 1605–1625. (Monum. Diplom. 19. kötet.) 1873. XXV és 481 lap 3 frt.

Okmánytár I. Rákóczy György svéd és franczia szövetkezéseinek történetéhez. 1632–1648. Szerkeszté és jegyzetekkel ellátta Szilágyi Sándor. Egy kötet. (Monum. Diplom. 21. kötet.) 1873. IX és 491 lap. 3 frt.

Okmánytár II. Rákóczy György diplomacziai összeköttetéseihez (1648–1660.) Szerkeszté Szilágyi Sándor. Egy kötet. (Monum. Diplom. 23. kötet.) 1874. VII és 740 lap. 5 frt.

A két Rákóczy György fejedelem családi levelezése. 1632–1660. Szerkeszté Szilágyi Sándor. Egy kötet, két fényvezett hasonmással. (Monum. Diplom. 24. kötet.) 1875. XII és 644 lap. 4 frt.

MAGYAR TÖRTÉNELMI EMLÉKEK. (Monumenta Hungariae Historica.) *II. osztály: Írók.* (Scriptores.) I–XIII. XV–XX. XXII–XXIII. 1. 2. füz. XXIV–XXVII. és XXXII. kötet. Egy a VIII. kötethez tartozó pótfüzettel. 1857–1875. 8-rét. (A XIV. és XXI. kötet sajtó alatt.) Ára az eddig megjelent 27 kötetnek együtt megrendelve 48 frt. Tartalom:

Szerémi György, II. Lajos és János királyok házi káplánja emlékirata Magyarország romlásáról. 1484–1543. Közli Wenzel Gusztáv. Egy kötet. (Monum. Script. 1. köt.) 1857. XXXIV és 410 lap. 2 frt.

Verancsics Antal, m. k. helytartó, esztergomi érsek összes munkái. Közli Szalay László (1–7) és Wenzel Gusztáv (8–12). 12 kötet. Név és tárgymutatóval. (Monum. Script. 2–6. 9. 10. 19. 20. 25. 26. 32. kötet.) 1857. 294 ív. 26 frt.

Gr. Illésházy István nádor följegyzései 1592–1603, és Hidvégi Mikó Ferencz históriája 1594–1613. Bíró Sámuel folytatásával. Közli Kazinczy Gábor. Egy kötet. (Monum. Script. 7. kötet.) 1863. IX és 231 lap. 2 frt.

Rozsnyay Dávid, az utolsó török deák, történeti maradványai. Összeszedte s jegyzetekkel és szótárral kisérve kiadta Szilágyi Sándor. Egy kötetben s egy pótfüzettel. (Monum. Script. 8. kötet.) 1867. 514 lap.

Altorjai B. Apor Péter munkái. Közli Kazinczy Gábor. Egy kötetben. (Monum. Script. 11. kötet.) 1863. X és 484 lap. 2 frt.

Brutus János Mihály, m. kir. történetíró magyar históriája. 1490–1552. A m. k. egyetemi könyvtár eredeti kéziratából s szerző életével közli Toldy Ferencz. I. II. kötet. (A 3. kötet sajtó alatt.) (Monum. Script. 12. 13. kötet.) 1863–1867. I. LIX és 467 lap. II. IX és 495 lap. 5 frt.

[illegible]

[illegible]

Késmárki Thököly Imre [illegible]

Késmárki Thököly Imre [illegible]

Késmárki Thököly Imre [illegible]

[illegible]

[illegible]

Oláh Miklós levelezése. Közli Ipolyi Arnold. [illegible]

HARMADIK OSZTÁLY: ORSZÁGGYŰLÉSEK.

MAGYAR ORSZÁGGYŰLÉSI EMLÉKEK, történeti bevezetésekkel. [illegible] Budapest, [illegible]

ERDÉLYI ORSZÁGGYŰLÉSI EMLÉKEK, történeti bevezetésekkel [illegible] I. kötet. [illegible] XVI és [illegible]

NEGYEDIK OSZTÁLY: DIPLOMÁCZIA.

MAGYAR DIPLOMÁCZIAI EMLÉKEK, az Anjou-korból. [illegible] Budapest, [illegible]

MAGYAR DIPLOMÁCZIAI EMLÉKEK. [illegible] Budapest, [illegible]

II. Rákóczy Ferencz [illegible] Budapest, [illegible]

[illegible]